ANTIQVI-
TATIS ACADEMIÆ OXO-
NIENSIS APOLOGIA.

In tres libros divisa.

AVTHORE

BRIANO TWYNO *in facultate Artium Magistro, & Collegij Corporis Christi in eâdem Academia Socio.*



OXONIÆ,
Excudebat Iosephus Barnesius.
Anno Dom. 1608.



NOBILISSIMO AC ILLVSTRISSIMO HEROI, DOMINO SVO Honoratissimo, Domino ROBERTO SACVILLO Baroni de Buckhurst, & Comiti Dorcetensi,

BRIANVS TWYNE.

S. P. D.



VO Sunt (illustrissime Comes) quæ in his edendis multò mihi maiores molestias, quàm penè in componendis, creasse videntur: Primum, quod cum de optimo aliquo patrono deligendo concilium inijssem, & in patrem tuum illustrißimum Heroem cogitationes meas fixissem, eum profecto non tam citò invenisse quàm in medio veluti cursu perdidisse atquè amisisse contigerit: alterum quòd eo dolenter occidente, tametsi in te filium ac Heroem non minus illustrem omnia conspirassent, tamen in dedicãdo ita fuerim diuulsus atq; distractus, vt quoties de te aut ad te vnam vocculam scriberem, toties & patrem quoq; tuum, primum patronum alloqui; & eo paulùm dimisso, tecum rem habere,

ac deniq; bipartita quadam ratione, omnia inter vtrumq; dividere ac distribuere debere viderer. Etenim Pater tuus illustrissimus, quem honoris & amplitudinis causa nomino, tantus fuit Oxoniensis Academiæ conseruator, vt vel inter ardua totius Reipublicæ negotia quæ ille sūma fide & fælicitate administrabat, illud ei inprimis curæ fuit vt Oxoniensium suorum saluti quam optimè prospiceret. Verum tamen is, quo in novis querelarum nostrarum causis suscipiendis agendisq; paratior extitit, eo nos in veteri querimonia ipsi deferenda fuimus tardiores: Ea est quòd cum ille, Academiæ tam antiquæ atque grandæuæ patronus fuerit, vt illorum potius qui antiquitatem eius primum oppugnarūt, quàm qua ipsa antiquissima esse cæpit, memoria, ex libris fastisq; tollenda sit, nonnihil fælicissimi ipsius patrocinij opinione nouitatis diminutum est, & nos veluti Posthumi, omnem priscæ ingenuitatis, & Natalium nostrorum splendorem penè amisimus. Patri igitur tuo (Illustrissime Comes) opus hoc meum qualecunq; dedicandū olim censui, propterea quod illius Honoratissimi tum Cancellarij nutu atq; auspitijs iam in lucem prodijt. Sed quoniam ipse nunc non sine acerbissimo omnium dolore extinctus & de medio sublatus & cælestium Herourn numero ascriptus est, ideo visum est, hunc supremum illius immortali nomini atq; memoriæ honorem, ad sacram illius aram habere; vt cineres, vt umbras illius venerer, animamq; planè divinam.

His saltem accumulem donis, & fungar inani
Munere.

Tibi vero (Honoratissime Domine) qui ex illius cineribus tanquam Phœnix ortus es, hoc idem do dicoq; munus, quoni-

niam tu tam expressa, tamq; viva paternæ virtutis imago & effigies evasisti, vt non minus tibi acceptum fore sperem, quod egregius tuus pater valde approbasse videbatur, quam iucundum omnibus, videre, eandem quoq; tui imaginem in duobus tuis nobilissimis filijs resplendescētem: quorum cùm animi tum corporis dotes atq; virtutes dum vberioris ingenij fructus causâ Oxoniæ nobiscum agerent, vt scimus profectò omnes, ita quantæ indies futuræ sunt, non sine summa spe expectamus: vterq; insigne familiæ vestræ antiquißimæ & nobilißimæ ornamentum: -----sed si fata aspera rumpas,

Buckhurstij antiqui tui nominis hæredem video,

Tu Marcellus eris. *Taceo Dominum Henricum Glemghamum fratrem tuum prænobilem & Mæcenatem nostrum singularem; cuius divina de me & meis optime meriti beneficia præterire non potui. Si tanto beneficiorum cumulo (cui nuper accessit quod me tibi à sacris eße voluisti) hoc vnicum quod iam peto accederet, hoc illud est vnicum quod libro huic meo te patronum Illustrissimum cupio obnixeq; rogo: nō enim est Accusatio, sed Apologia: nec pro quavis, sed pro Academia Oxoniensi: vt vbicūq; Oxonia est, in qua ipse inter principes alumnos floruisti iamq; flores, ibi amor, affectusq; sit tuus: nec alicuius est maleficij aut criminis, sed splendoris, & gloriæ, & venerandæ illius Antiquitatis Apologia: vt tibi præcipuè qui antiquus illius patronus futurus es, antiquitatem suam inprimis commendaret. Eam igitur (Illustrißime Comes,) tuo patrisq; tui nomine, accipe: tuaq; protectione adiectâ, non vna sed duplex fiet Apologia: quæ quoniam*

tua iam esse incipit, sine meâ vlteriori in vulgus profectò exibit. Vale Illustrissime Dom: ac Deus Opt: Max: Honorem & dignitatem tuam incolumem tueatur. Dat. ex Collegio Corporis Christi Oxon. 3. Iunij. 1608.

Amplitudini tuæ omni officio devinctissimus.

BRIANVS TWYNVS.





ANTIQVITATIS OXONIEN-sis Academiæ Apologia.

Liber Primus.



Elebris illa quidē & pervulgata apud omnes de origine florētissimæ Academiæ Oxoniensis opinio, etsi à tanta vetustate repetita fuerit, vt humanæ credulitatis angustias excedere videatur, ijs tamen est veritatis optimę maximęq; præsidijs adeo tuta atq; munita, vt quemadmodum ipsa certissima est in se, ita certissimum ijs periculū obijciat, qui aut ipsi vim afferre, aut suis artibus circūvenire conantur. Nisi enim hæc vera essent & quasi ex Democriteo ipso puteo derivata, quid profectò in hâc quæstione sentiēdū esset, summorū historicorū incredibilis penè consensus nunquam explicasset: sin verò nudis tantùm leviculæ plebis historicorum assertionibus affirmata, ac non firmissimis proculdubio rationibus, res ipsa ab initio deducta fuisset, profectò spem omnem etiam ipsis historicis præcidisset. Ac fuit quidem tempus cùm satis valerent hæ apud vnūquemq; rationes, nec magis excitabat iniquissimos ad oppugnandum vanitas, quàm æquissimos rerum ęstimatores ad credendum fides: posteà nescio quo modo res malè intellecta ab ijs, à quibus male audijt, cum sarta tecta multis annorum curriculis, longoq; temporis vsu stetisset, ita tandem periclitata est visa, vt non procul ab interitu suo abfuisset nisi suo se patrocinio veritas defendisset: sensit hoc inclyta Academia Oxoniensis vel primis Aluredi Magni tēporibus: quibus à novis hominibus adeo afflicta est eius antiquitas, vt in suo iure cōquirendo tuendoq; summam sibi ipsi iniuriam penè intulisset, de qua dabitur alius dicendi locus:

Præfatio ad susceptum opus.

Tres cum Oxoniensibus de antiquitate cō troversiæ.

cus: at veritate quidem vindice, ita se gessit Academia Oxoniensis in illo antiquitatis suæ quasi foro, vti me docuit fidelissimus antiquitatis ταμίας Asserius Menevensis, vt multo antiquior & ornatior evaserit: sensit hoc idem à socijs Parisiensibus non rarò, quorum soliditatem, etsi potius antiquitati discendæ quam veritati subtiliter producendæ studuisse Richardus Philobiblus olim scripsit, gravior tamen semper erat tantæ causæ æstimatio quàm quæ Parisiensibus ponderibus examinaretur: secuti sunt recentiores etiam scriptores, qui tamen in suâ novitate non solùm viam dignitatis non invenerunt, verum etiam exitū ac rationem defensionis: postremò idem sensit à Cantabrigiensium nōnullis Academia Oxoniensis: nec tamen ita sensit, vt ab antiquitatis suæ iure sibi discedendum putet. Ita quidem res æquissima & antiquissima novorum hominum, & oratorum, qui (teste Cicerone) respublicas semper perdiderūt, libidini dedita, & quasi mancipata, in dubitatione quadam iacuit tam ancipiti, vt angustissimus antiquitati suæ locus relictus ei videatur qui tamen & amplissimus est & spectatissimus. Nos igitur qui ad pristinam hanc antiquitatis effigiem vindicandam accessimus, licet absq; summa difficultate singula accuratè persequi non valeamus, illud tamen sumus acturi, vt & concordię studeamus, ac veritati. Nam quod Antiquarius, incertus quidem ille author, ad Cantabrigiensem olim oratorē scripserit, *se ex nigro codice Universitatis intellexisse Cantabrigiā anno mundi 4321, ex alijs vero libris vetustis anno 1829 & anno 3377 & 4095 & 3588 per Cantabrū Hispanum Gurguntij Regis temporibus incæpisse*, illud certe condonandum ei fuisset si oratori pepercisset, neq; eum in tātum errorem perduxisset, vt non multo post in sua ad Cantabrigienses oratione, etiam præsente Augustissima Elizabetha palam dicere non dubitaret (cùm Lelando summo Antiquario succensuisset quod Cantabri historiam omnemq; fidem illius facti gravissimè excussisset) *non solum Academiam suā, Oxoniensi multo antiquiorem, sed & Oxoniensis parentem à qua prima ingenuarum artiū*

Antiquarius Cantabrigiensem oratorem in errorē primus duxit.

Hæc sunt ipsius oratoris verba apud Londinensem lib. antiquit. Cantabrigię. 1.

in.

incunabula tradita sunt, nec non Parisiensem quoque, scholā Cantabrigiæ coloniam propter Alcuinum Bedæ discipulum qui Caroli Magni temporibus ludum quendā bonarum artium Lutetiæ primus aperuit. Hæc orator: qui tametsi oratione sua illud non fuerat consecutus, vt annosissimam, & quasi plusquam sexagenariam, Academiam suam de ponte præcipitandam ostenderet, seipsum tamen nimis præcipitem in tantos fluctus coniecit, vt ex iis emergere posteà nunquam poterat. Extitit enim vir omni literarum laude florentissimus, (quem in Cygnea cantione Rhetorem & poetam elegantem Lelandus vocat) Ioannes Caius, Collegij quod Oxoniæ, Vniversitatis nomine floret, Magister, & publicus Oxoniensis Academiæ orator, qui edita quadam Antiquitatis Oxoniensis Acad. assertione, certè non indoctâ, (septem dierum erat opus) postquam ipsum Archetypum Cantabrigienses æmuli rapuissent, non solum Cantabrigiensem oratorem vberrimè refutavit, sed etiam quid ipse de antiquitate Academiæ suæ censuit, liberè professus est. Ad quā litem inter vtrosq; oratores componendam, tanquam ad morbum quendā curandum accessit Ioannes Caius Aesculapij filius ætate satis atq; doctrinâ spectatus, qui quo facilius arbiter inter vtrumquè haberetur, Londinensem se dixit, ne si Cantabrigiensis videretur, affectum quoquè suum in scribendo prodidisse videretur: in quo quanta moderatione vsus sit is, dixissem profectò nisi cognovissem eum in homine Oxoniensi refutando, decantatam illam Troiæ obsidionem æquasse, nec tamen pulchram inuenisse Helenam: decennali studio editis duobus libris de Cantabrigiæ suæ antiquitate (accepta vt fertur a suis Syngrapha vt si opus esset, si scripta sua a quouis ex coetu Oxoniensium tentarētur, statim essent qui ex pacto succurrerent) illud assecutus est, vt quiā rumores ante salutē ponebat, ipse inter antiquarios diceretur primus, qui veluti verus aliquis Philosophus plurimorum absurdorum author, vel patronus existeret. quid enim alibi errores eius ab ignorantia profectos commemorem? Errauit in Am-

Caius Oxoniensis Antiquarius, oratoris Cātabrigiensis temeritatē primus retardavit.

Londinensis inter Antiquarium Oxon: & oratorem Cantabr: arbiter.

Callidum Lōdinensis consilium.

Errores Londinensis ab alijs taxati.

bronibus dum eos huius olim terræ incolas extitisse asseruerat, cuius rei causa à Camdeno nostro taxatur: errauit etiam in Ordouicibus, quasi illi veteres Norwici habitatores fuissent aut vnquam in illis locis consedissent, quem errorem ex affectu, nimioq; in natale solum amore, profectum Camdenus idem in Icenis iudicat: vt facile diuinare liceat, quem iam tādem arbitrum habituri sumus, nisi liqueret eum minus in Academiæ suæ rebus quam patriæ fuisse cęcum, quod profecto nunquam constabit. Quamobrem illud missum faciam, quam primum de instituto eius pauca dixero, non quidem iudicio nostro sed suo ipsius proprio, quemadmodum in libello de libris proprijs apertè professus est. *Scripsimus (inquit) & Londinensem seu de antiquitate Cantabrigiensis Academiæ libros duos quos ab Oxoniensi quodam prius lacessiti necessariò excudi curauimus Londini anno Dom.* 1568. *mense Augusto per Henricum Bynneman, in quibus docuimus Cantabrigiensem Academiam Oxoniensi longe antiquiorem esse, & Oxoniensem recentiorem multò quam pro voto Oxoniensis: fraudeq; factum vt ad Alphredum autorem referatur id gymnasium: atq; ad Cricladenses multo magis confutata oratione Oxoniensis, quam et ille in diuersum scripsit, & nos nostris adiunximus libris, quo eam conferendo cum nostris, omnes intelligant quantum ille a scopo aberrauerit: nostros esse quid attinet occultare. cum nota res sit vniuerso populo, et si diligenter dissimulauerim.* Hæc ille; qui dum aliorum malas artes in Aluredo Oxoniensibus tribuendo, sicut Lelandus in Cantabro suis concedendo, accusat, nec propriæ dissimulationis, quâ primò sub fictitio, & quasi vtopiensis alicuius autoris, nomine libri eius aduersus hominem Oxoniensem prodierunt, nec fraudis, qua optimos quosque ac probatissimos historiæ autores plusquā fide Punicâ ad rem suam sæpissimè detorsit, ac minus probatos ijsdem præposuit, nec deniq; contadictionis suæ meminit cum verbis oratoris sui quem defendendum suscepit, qui tā iniquus haberi noluit, vt si suis Cantabrum conciliaret, Oxoniensibus profecto Aluredū non concederet, quod Londinensis fraude factum fuisse putat; Ego autem è contra. Quāobrem

Propositum Londinensis in suis de antiquitate Cantabr. libris.

Dissimulatio & dolus Londinensis arbitri.

obrem statui non esse differendam hanc pro antiquitate florentissimæ simul ac vetustissimæ Oxoniensis Academiæ Apologiam, aduersus quascunq; Londinensis aliorumq; fraudes (inter quas Antiquam exquirere matrem oraculū iussit) institutam: nec tamen singulis Londinensis dictis responsurus, multo minus cōuitijs quibus ille in Oxoniensem hominē & vniuersam Academiam debacchatur, memoriâ quidem nostrâ antiquioribus & multò antequam ego natus fueram or is planè atq; iterum extinctis: satis sū (mihi crede) animo tranquillo atq; sedato: ne sub irascor quidem, vbi ille totus furit. Vt omnes hinc intelligant eum verè Oxoniensem esse censendum qui in causa iustissima, irato atq; furenti aduersario non solum ipse modestè ac temperatè obijcere, sed etiā sine furore & contumelijs respondere potest: ego enim dici Archimedes non cupio vt mihi soli in quouis problemate fides habeatur: consulam optimates & historiarum principes veteres scilicet viros, & ab ijs quæram responsa, vtrùm Londinensi concessuri sint aut mihi: tu interim optime (si optimus sis) lector qui ad spectandum hoc certamen deuenisti, cohibe adhuc judicium μηδὲ δίκην δικάσῃς πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς: Etenim vt clarius instituti nostri ratio tibi innotescat, in tres libros vniuersum tractatum diuisurus sum: in primo postquam ea omnia aut præcipua quæ Londinensis pro summa Cantabrigiæ suæ antiquitate adduxit, vberrime refutauerimus, sententiam nostram de vera & prima illius tum scholæ tum Academiæ Cantabrigiensis origine proferemus. In secundo de antiquitate Academiæ Oxoniēsis sic acturi sumus, vt manifestissime appareat, eam multis gradibus Cantabrigiâ antiquitate superiorem. Tertius ea omnia continebit, quæ de dignitate, virtute, literis ac numero fœtus vtriusq; Academiæ a Londinensi obijciuntur, ac manifestum fiet his omnibus modis Oxoniam semper superiorem extitisse.

Ratio suscepti operis.

Partitio dicēdorum.

Sect. 1. Etenim, vt a miraculo exordiar, quid obsecro mi Londinensis, te ad tantum furorem adegit, vt literas etiam multò ante Brutum apud tuos excultas, scholasq; Cantabrigienses

Prima Londinensis ratio pro antiquit: Cantabr: à Druydibus ducta refellitur.

gienses non incelebres tunc fuisse asseras ac scribas? incredibilis planè assertio, & vt loquar καλὰ φέρνα καὶ καλὰ δῶμα plane stulta, ac misera: propter Druydas (si dijs placet) & samotheos: si modo vllas scientias coluerint humaniores, de illis præcipue loquor qui ante Brutum erant nefandæ crudelitatis homines, violenti, ferini, athei, inhumani fugiunt enim homines adeuntq; cauernas [vt] inquit Caradocus (illustris sui temporis poeta) quos præclaros tandem Academiæ suæ alũnos vult Londinensis: Siquidem pia illa Gygantum gens si qua fuerat multò ante Brvtum extincta, successores accepit ex incubis progenitos, Deorum hominumq; contemptores: vnde Gildas sapiens dubitet an veteres Brytanni aliqua monumenta vel scripta habuerint, cum profiteatur se ex transmarina relatione non ex patrijs monumentis scripsisse: & Lelandus in Cygnea Cantione inquit illud tantum defuisse palmæ antiquissimorum Brytannorum, quòd antè Romanorũ in hanc Insulam adventum operi manuario & militiæ studuerint potius quam literis, quibus famam posteritati propagarent, etsi vel Gildas vel Nennius in historia sua scribat se posse argumentum pro Bruto ex testimoniis veterum suorum hominum haurire: & Io. Baleus Cent. 1. cap. 74. in appẽdice cum dixisset Nennium Bannachorensem, quędam Brytannorum scripsisse monumenta, inferat *ex hic non videri verũ quod ex Gilda Polydorus colligit, nulla nempe extare apud veteres Brytannos scriptorum monumẽta.* Dicat igitur Londinensis quo pacto tunc humaniores artes Cantabrigiæ floruerint? dicat Astronomiam vel Atlante ibi cælum sustinente, vel inventis coctilibus laterculis asterismis inscriptis vt apud Ægyptios; Geometriam dicat invndatione Nili; Logicam imitatione cancrorum: Arithmeticam fluxu refluxuq; maris: Rhetoricã instillatione mellis in ora dormitantium quod fertur de Platone: omnes denique artes, duabus illis columnis lateritiæ ac lapideæ illinc fuisse exaratas, aut Pythagoram solum ibi docuisse, qui ex descriptione Gualteri Mapes in Apocalypsi Goliæ, totum corpus suum pro codice exponens singulis mem-

Gygantes ante Brutum nõ coluere scientias.

Gygantes & Druydes Cantabrigiæ non studuerunt.

membris, scientias singulas inscriptas habuit: Magnifica quidem & plane Gygantea doctrinę ratio: adeo tamen ieiuna vt Galli Sarronidas suos ab illo repetant, qui se etiam Græciæ Magistros & antecessores haberi volunt, apud Wolfangum Lazium lib. 5. de Celtis, Ioannem Becanum Goropiū in antiquitatibus Gallicis, Ioannem Picardum de prisca Celtopædia, plurimosq; alios integræ & Atticæ fidei autores quos quidem ὐκ ἂν ἐγὼ μυθήσομαι ἐδ᾽ ὀνομήνω: certabit etiam cum illo Anglefeya vbi scholas horum Druydum floruisse legimus, non Cantabrigiæ apud suos, dicetq; cum Anchise Londinensis, se veterum errore locorum fuisse deceptum, nisi obscuram illam quidem & ænigmaticam teste Diogene Laertio philosophiam Druydum, Cantabrigiæ diutius quęrere maluerit: certabunt etiam cum Cantabrigiensiū Druydibus, Druydes quoque Oxonienses tanquam Andabates illorum pulueri suis hastis victoriam inscripturi.

Druydes docuerunt Anglefeyæ.

Sect. 2. Sed præcipuè certabit cum illis, historiæ vtriusque Academiæ æstimator omnium æquissimus, Ioannes Rossus Warwicanus. Is quidem in historia sua de Regibus & Contra destructores Villarum, (quem librum vti postea fusius dicam eundem esse existimo, quem de Academijs Brytannicis scripsisse fertur) quatuor gymnasiorum Brytannicorum mentionem facit: Primum & antiquissimū omnium est Oxoniense de quo postea: secundum erat Stanfordiense, de quo a Bladudo Rege condito sic apud Rossum legimus. *Hic (sc. Bladudus) secundum Ioannem Hardingum condidit Stamfordiam iuxta paludes vbi fundauit vniuersitatem qua continuauit ad tempora Sancti Augustini: cuius suggestione Sanctus Gregorius papa, posuit eam sub interdicto propter hæreses tunc ibi emanātes: iste Bladud in iuuētute suā studuit Athenis ac inde duxit secū quatuor magnæ literaturæ viros quos Stamfordia reliquit; de ipso scribit Io. Hardingus sub hac forma.*

Quatuor gymnasia apud Britones ex Rosso.

Stamfordiense studium.

Stauford he made so called to this daie
In which he made a Vniuersitie.
His Noble Clerkes as mention doth saie

Had

Had Schollers full of great habilitie
Studying ouer al, allway in vnitie
In all the seauen liberall science
For to purchase wisdome and sapience.

Tertium erat gymnasium Carlionense, ita is: Sciendum autem fuisse tres vrbes Legionum: Vnam in Venedocia in Glamorgantia quæ appellatur Cestria; alteram in Loegria, quæ nunc Warwicus dicitur a rege guthelino condita & a postrema nominis Syllaba dicta Caerleon (inquit Rossus) sicut dicimus koc pro Wilkock, Ger pro Roger, Bell pro Isabell, Bes pro Elizabeth, Gret pro Margret, Tertiam in Demetia Metropoli, vbi teste Rosso floruit quondam nobilis studentium Vniversitas a Belino Rege condita, quæ primitùs, dicebatur Caeruske a flumine subtus currente, sed postea a Romanis Legionibus ibidem hiemantibus, Caerleon. Quartum & nouissimum in toto hoc Maioris Brytanniæ regno est illud quod iam Cantabrigiæ floret gymnasium; de cuius origine ex nigri codicis Cantabrigiensis Annalibus non ex propria sententia, hoc modo scribit Rossus. *Belino (inquit) successit Gurguntius cuius regni sexto certis Hispanis a regno suo expulsis sub Partholayn eorum principe Hyberniam tunc vacantem de se suisq; sub homagio tenendam Rex Gurguntius gratiose concessit & eorum principis fratrem Cantabrum nomine, Cātabriæ ciuitatis Hispaniæ verum hæredem secum retinuit, cui cum propria filia in vxorem dedit portionem terræ in Estanglia vbi (vt scribunt Cantabrigienses inquit Rossus) ciuitatem super flumen Cant. cōdidit circa annum mūdi 4317. & quia vir literatissimus erat, viros literatos sibi collegit ac ibi studium generale incæpit quod nostris temporibus in magno floret honore, quæ ciuitas a filio suo Grantino qui pontem ibi fecerat Caergrant appellata est vel Grantecestre secundum alios & modo appellatur Cābridge & est patriæ circumiacentis caput.* Hæc Rossus qui non semel in eo tantum loco, sed etiam alibi in Henrico sexto, vbi de primis Hiberniæ Incolis atq; etiam de Dacis locutus est, priorem illius historiæ partem de concessione Hyberniæ duci Partholayn Gurguntij temporibus, repetit

Cantabrigiensis studij origo ex Rosso qui nigrum codicem Cantabr. secutus est.

de

de Cantabro autem ne verbum quidem habet: vel quod ad institutum suum non pertinebat, vel quod cōmenti instar reiiciebat, cum antea non ex sua sed Cantabrigiensium solummodo sententia, vti ipse scribit, recitasset: ex Cantabrigiensium (inquam) sententia, non solum quoad vrbis ædificationem & locum ipsum quemadmodum astutè Londinensis respondet, verumetiam quoad ipsam totius historiæ rationem qua Cantabrigienses secutus est, nihil autem ipse locutus quoad confirmandam illam de Cantabro fabulam accessisse videretur, etsi eò vsq; a Londinensi iniquissimè detorqueatur ipsius oratio: eodem modo inquit idem quosdā asseruisse Gorbomannum Cantabrigiam decorasse: num ergo illud ipse Rossus asserit? Virgilius quoq; dicit, Dędalus (vt fama est) fugiens Minoia regna, Præpetibus ausus pennis se credere cælo; vbi non solum autoris & personæ famā licet parenthesis personæ tantùm videatur adiecta, sed etiā totius rei famam sine dubio secutus est poeta; nec alitèr Rossus est intelligendus qui verba illa (vt scribunt Cantabrigienses) loco tantùm adiecit, vt inde significaret inquit Londinensis, se tantùm quoad locum ædificatæ a Cantabro vrbis cum Cantabrigiensibus Annalibus consensisse, cætera ex sententia propria locutum, vt iam labentem suam antiquitatem tandem ex tanti viri autoritate fulciret: ac certè si Rossus illam parenthesin personæ scilicet Cantabro adiecisset, non dubito quin eodem modo Londinensis nos elusisset.

Rossus originem Cantab. ex propria sētentia non tradidit.

Londinensis, Rossi verba iniquissime detorquet.

3 Verùm quam irrita hæc omnia sunt satis (mihi crede) patebit, si doctissimo Harpesfeildo, Lelando, atq; Baleo, credas, qui tradunt hunc ipsum Rossum aduersus Cantabrigienses historias hasce in libro suo de Britannicis Academijs olim scripsisse: qui liber si idem fuerit cum eo qui de Regibus inscribitur quod suo loco apparebit, quis obsecro tam vecors futurus est qui audeat dicere Rossum in eo loco Cantabrigienses historias confirmasse, quas refutandas susceperat. Missis igitur his ad Cantabrum ipsum deueniam & Basclen-

Valida ratio

Cantabri fabula examinatur

sesipsos quos Nennius in historia sua & Robertus de Glocestria in antiquo poemate Anglicano, Ægyptij, si placet, cuiusdam nobilis, exulis tamen, quod cùm suis populum Israeliticum per mare rubrum insequi noluerant, posteros fuisse scribunt, ex Cantabria Hispaniæ oriundos, vt iam tandē mirari desinam quid sit quod in tanta nominis sui obscuritate versetur: nam Chronicon Sancti Albani quod in Honoratissimi Domini Lumlæi bibliothecavidi, de quodam Gurguntij temporibus profugo quem Yrlemale vocat (vnde Irelandiæ nomen) hoc ipsum refert: Lydgatus decantatissimus ille poeta Buriensis Cantabrum Partholini Regis Hyberniæ fratrem fuisse scribit: at Londinensis libro de Antiquitate Cantabrigiæ primo, Oxoniensem Antiquarium eo nomine reprehendit, quòd Cantabrū, Bartholomeum dixisset, quem potius Partholomū ceu Partholinum dixisset, (licet Sylvester Gyraldus distinct. 3. topograph. Hiberniæ adventum Bartholani in Hyberniam distinctum faciat ab adventu Basclensium sub Gurguntio qui Basclensium duces in Hyberniam demisit, non autem Cantabrum in Angliam secum duxit, vti apud eundem liquet) annon itaque dicit Londinensis eundem esse Cantabrū & Partholinum? Si idem sit, itaq; Cantaber etiam in Hyberniā profectus est, nec Cantabrigiæ fundator extitit, aut de suo nomine vocavit, non quod Cantabri nomen gentile fuerit, aut proprium (quod ab aliquibus respondetur,) etenim & gentilitium nomen interdum denominat, sed quod revera nunquam huiusmodi fuerat qui Cantabrigię author esse potuerit: vt multò magis Cantabrigiā à cantando, quòd Druydes omnia numeris & cantu proferebant, quam à Cantabro derivandam putarem: nam si ad Chembrigiā, Cantabrigiæ nomen referendum dicas quod multi dicunt, vbi quæso, apud quos probatos historicos Chembrigiæ nomen occurrit, quæ Gurguntij Regis Brytonum filia exuli advenæ in matrimonium daretur? Adiecta dotis nomine in Estanglia portione, cum non nisi Arthuri diebus Estangliæ regnum incæperit:

Cantaber & Partholinus, idem iuxta Lōdinensem.

Chembrigia Cantabro nō erat nupta.

perit quod nemo ignorat, donante etiam Gurguntio quem ſi monarcham fuiſſe negarem, non aberrarem: Brutus enim filijs ſuis terras variaſq; regni portiones diſtribuiſſe fertur: Cæſar quoq; multorũ ſimul Regũ meminit in Britãnia: quo minus ſi Gurguntius monarcha non fuerit, cũ Eſtangliæ regnum aut illius portionem Cantabro dare potuiſſe credas.

4 At obeſt nigri codicis authoritas: qui vt iam certè in candidam peccat veritatem, ita certè non ſolum colore ſuo obſcurat, ſed etiam deterret non minus quam alter ille niger codex quem vti apud Bedam ſcribitur, accurata peccatorum ſuorum mentione inſcriptum, homini cuidam extatico dæmones oſtenderunt: ac malè mihi metuo ne ſi niger canis apud Plautũ ædes ingreſſus, adeo mali ominis putabatur, vt nuptias paratas impediret, niger quoque codex amicitiam inter nos dirimat: de quo tamen eiuſq; hiſtoria, nunc grauiſſimum Lelandi in Comment. in Cygneam Cantionẽ iudicium proferam. *Extat* (inquit) *Grantæ Girviorum in Archivis hiſtoriola incerti authoris & fidei longe incertioris: hinc apparet Gurguntium, neſcio quem, Regem Britannorum dediſſe Cãtabro Hiſpano, qui Athenis ſtuduerat, orientalem Britanniæ partem, eumquè poſtea vrbem ſuper Cante flumen conſtruxiſſe, ac Academiam ibidem inſtituiſſe, quæ à Grantano Comite eius filio nomen ſumpſit: Addocet hæc eadem Anaximandrum & Anaxagoram Græcos, Grantam veniſſe ſtudiorũ gratiâ. Centum ſunt ibi præterea huiuſmodi farinæ fabulæ: profectò nihil legi vnquam vanius, ſed neque ſtultiùs aut ſtupidiùs.*

Niger codex Cantabrig.

Cenſura Lelandi & aliorũ de hiſtoria nigri codicis.

5 Hæc eſt Ioannis Lelandi Antiquarij celeberrimi quique antiquitatis ſolem in manibus geſtaſſe Cambdeno viſus eſt, de centenarijs nigri codicis fabulis ſententia: vt non immeritò idem Gulielmus Camdenus, vir in reconditis antiquitatum apothecis longè peritiſſimus Nephelococcygias eorum vereatur, qui Cantabrigiæ vetuſtatem longè ſuprà veri fidem efferentes, Cantabrum iſtum ſtatim poſt Romam conditam multos videlicet ante Chriſtum natum annos hanc Academiam inſtituiſſe tradiderunt: vt nulla quo-

que alia ratione Nicholaus Fierbertus in descriptione Academiæ Oxoniensis hanc de Cantabro sententiam refellat, quam quod prorsus incredibilem appellat: Samuel Leuknerus etiam in suo de Academicis vrbibus libello, hanc de Cantabro fabulam improbat, dum eos laudat qui Cantabrigiam non à Cantabro sed a flumine Grant denominatā scribunt: in quo rectè sentit.

Londinensis furor in Lelā. dum ob censuram suam.

6 Fuit quidem Lelandus de quo supra dixi Philocantabrigiensis at Misocantaber iudicioq; tā acuto vt tales nugas tanta ἀνιστοgησία conflatas ferre nullo modo potuerit: ideoq; ob hoc suum iudicium tam malè à Londinensi audijt, vt Bowlos quidem, horridos Herrisonos, Lanfrancos, Divisienses & nescio quos alios in suis castris militātes, obscuros & quod sciam à nemine præterea nominatos (excepto Io. Anglico qui in 2. parte historiæ aureæ Divisiensem citat) ei in antiqua historia optime versato longè præferat: in cuius laudem ac defensionem, Ioannem Baleum Cent. 8. cap. 81. producam, vt inde omnes intelligant quem & quantum virum Londinensis lacesserit.

Defensio Lelandi aduersus calumnias Londinensis.

7 *Ioannes Lelandus* (inquit Baleus) *Antiquarius inclyta Londinensis vrbis indigena, omnium quos præterita ætate Brytannia nutrivit, rerum suarum studiosissimus, patriam omnem exquisitissimis laboribus adornavit: de eius ingenij & doctrina amplitudine non est quod hic dicam, quùm opuscula plura, tam prosa quam carmine ab ipso fæliciter edita, in omni disciplinarum genere Gracè & Latinè atque in multis alijs linguis eruditissimum fuisse testentur: sub Sylvio quodam Lutetia Parisiorum studuit; & alibi locorum sub præceptoribus semper optimis: Antiquitatis Brytannicæ fervidus amator ac diligentissimus perscrutator, vetera totius Insulæ monumenta, magna vbiq; industria & cura perlustravit, ac quasi ex silice flammam disquisivit, vt ipsam illustraret, &c.* hæc & similia Baleus quæ si opus esset recitarem.

8 Venio nunc ad Richardum Crocum Cantabrigiensem, qui vt historias suorum suspectissimas semper habuit, ita in sua ad Cantebrigienses oratione, quâ eos ad Græcitatis stu-

studium accendit anno domini 1520. apud Simonem Colinęum impressa, illud publicè professus est. Inquit enim, *Mementote quæso originis vestræ, revocate in memoriam Anaximandrum, revocate Anaxagoram vtrumq; Græcum, & nisi impudentissime mentiatur historia vestra vtrumq; huius Academiæ conditorem: non eritis igitur vt ego arbitror tam obstinate segnes vt cõditorum vestrorum literas aspernemini.* In quibus originẽ Cantabrigiensium admodum suspectam habet, quia non est verisimile eos à Græcis fuisse profectos, qui Græcorum tunc eruditionem negligerent.

9 Quæ omnia in nigrum codicem plurimũ faciunt; cui tamen ob illam à Lelando reprehensionem, autoritatem penè Evangelicam Londinensis tribuit, dum tantum in eo religionis ponit, vt Lelando affirmanti atq; aras etiam tenenti nequicquam crederet, siquidem nigri codicis historię in hisce rebus iuxta ac Evangelio in veritatibus divinis, dixit sibi esse credendũ: ego verò à quinto illo nigro evangelio maximè discedendum puto; multòque magis à Londinensi ipso, quòd scilicet pro Cantabri fabula asserenda Bedam & Alfredum, non ex Beda, non ex Alfredo ipso, sed ex Lydgato qui totam suam huiusmodi fabulis operam consecravit, producit. Londinensis nigrum Evangelium. Cantabri fabula Lydgato pińssimum nititur.

10 Nam si verum sit quod ait Lydgatus, hanc historiam sive fabulam apud Bedam atq; Alfredum extare, imprimis mirãdũ est eã Lelando in Bedæ & Alfredi operibus versatissimo, nunquam occurrisse; dicit enim Lelandus se nusquam tam stulta ac stupida nisi in nigro codice perlegisse.

11 Deinde, si minus Lelando, at Londinensi profectò apud prædictos auctores ista occurrissent: tutiusq; fuisset Londinensi ipsos locos protulisse ex autoribus ipsis quam ex Lydgato, qui cuiusmodi fidei in his rebus fuerit, testatur fasciculus ille Guidonis Warwicensis gesta continens ab eodẽ teste Baleo editus: nec fortasse quidem infæliciùs quam Roberti Hudi latronis perinsignis fabula, ab alio auctore quem magni facit Londinensis edita, ac divinis pręconijs apud ho- Lydgatus quis fuerit.

mines vanissimos commendata: aut Bevisij Hamptonensis ab alio suo autore, & Coleni Clouti fabula, quæ a Ioanne Skeltono posteà multò auctior extitit, ioculatore quidem illo & bomologo facetissimo.

12 Tales profectò sunt autores quos Londinensis in Cantabri sui assertionem produxit; talis est nigri codicis autoritas, cuius scilicet historiæ autorem ingenuè se nescire fatetur Londinensis (Lelandus enim incertum eum vocat) siquidem ad Cantilepum referre non est ausus, quem probè norit Henrici Sexti ætatem non excessisse: quem Nicholaū Cantilepum Cantabrigiæ historiam scripsisse, & Lydgati tempore floruisse sub H. sexto autor est Baleus: Carmelitam porrò fuisse, in originibus monachismi decantandis, & ornandis sectæ suæ nominibus exercitatissimum: scripsit enim ordinis sui encomium, cuius ego partem vidi priorem in qua mira & stupenda fabulositate singula prosequitur, eamque vt mihi videtur in fingendo fælicitatem consecutus est, quā in veris explicandis sanè perpauci: vt vel hinc constet quē & qualem historiarum suarum authorem Londinensis habiturus sit.

Nicholaus Cantilepus nigri codicis author.

Cantilepus, cuius fidei.

13 Verū quia Lydgatus tantæ visus est vbiq; apud Lōdinensem autoritatis, vt vel eo solo affirmante, Bedam & Alfredum Beverlacensem autores gravissimos in hanc de Cā-tabro fundatore sentētiam pertraheret, Lydgati ipsius verba in medium producenda sunt: quæ etsi rythmo vernaculo, ab eo scripta sint atq; dimensa, necessariò tamen & examinari & produci debent eo modo quo in antiquis scriptis leguntur.

Verba Lydgati pro fabula Cantabri astruenda

By true record of Doctor Bede
That somtime wrot so mickle with his hand
And specially remem bring as I read
In his Chronicle made of England,
Among other things as we shal vnderstānd
which for mine author I dare alledge
Sith the translation and building of Cambridge,

With

VVith him according Alfred the Chronicler
Seriously who list his books for to see
Made in the time when he was Treasurer
Of Beuerley an old famous city
Affirme and sayne the Vniuersitie
Of Cambridge, and study first began
By their writings as I report can.

He rehearsing first for commendation
By their writing how that old City
Was strongly waled with towers many one
Built and finished with great libertie
Notable and famous of great authority.
As their authors according saine the same
Of Cantaber taking first his name.

Like as I find report I can none other
This Cantaber time of his liuing
To Partholine he was Germane brother
Duke in those daies, in Ireland a great King
Cheife and principall cause of that building
The wall about and towers as they stood
Was set and built vpon a lardge flood

Named Cantebro a lardge broad river
And after Cante called Cantebro
This famous City, this writ the Cronickler
Was called Cambridge: rehearsing eke also
In their book these authors both two
Touching the date as I rehearse can
Fro thilke time that the world began,

Foure thousand comlpet by account cleere
And three hundred by computation
Ioyned thereto eight and forty yeare
When Cantebro gaue the foundation
Of this City and this famous towne
And of this noble Vniversitie
Set on this river which is called Cante.

And fro the great transmigration
Of Kings reckened in the Bible old
Fro Ierusalem to Babylon
Two hundred of winter & thirty yeare old
Thus to write my author maketh me bold
Then Cantebro as it wel knoweth
At Athens schooled in his youth
All wits greatly did imploy
To haue acquaintance by great affection
with folke expert in Philosophy:
From Athens he brought with him downe
Philosophers most Soveraigne of renowne
Unto Cambridge plainly this is the cause
Anaximander and Anaxagoras;
With many other mine authors doth fare
To Cambridge first can him speede
With Philosophers, and let for no cost spare
In the schooles to study and to reade
Of whose teaching great profit that can spread,
And great encrease rose of his doctrine
Thus of Cambridge the name gan first shine,
As chiefe schoole and Vniversity
Vnto this time fro the day it began
By cleare report in many a far countrey
Unto the raigne of Cassibelan
A worthy prince and full knightly man
As saine Chronicles who with mightie hand
Let Iulius Casar to arriue in this land
Fiue hundred yeare full thirty yeare and twenty
Fro Babilons transmigration
That Cassibelan raigned in Britane
Which by his notable royall discretion
To encrease that study of great affection,
I meane of Cambridge the Vniversity
Franchised with many a libertie

By

By meane of his royall favor
From countries about many a one
Diverse schollers by diligent labor
Made their resort of great affection,
To that study great plenty there came downe,
To gather fruits of wisedome and science
And sundry flowers of sugred eloquence.
And as it is put eke in memorie
How Iulius Cæsar entring this region
On Cassibelan after his victorie
Tooke with him clerkes of famous renowne
From Cambridge and led them to Rome towne,
Thus by processe remembred heretofore
Cambridge was founded long ere Christ was borne.
Fiue hundred yeare thirty and eke nine
In this matter ye get no more of me
Rehearse no more I will at this time.
These remembrances haue great authority
To be preferred of long antiquity,
For which by recorde all Clerkes sayne the same
Of heresie Cambridge bare never blame.

14 Hæc in suo de Cantabrigia carmine Lydgatus: neque enim dissimilia sunt cæteris quæ ab eodem vaferrimè de Actis Guydonis Warwicensis, de Guydone & Colbrando, de parliamento volucrũ, saltuq; Machabęi conficta sunt: nam & hic de Cantabri actis suo more (vti videtis) magnificè deprædicat: parùm tamen magnificè si fabulæ suę Romãticæ sensum quam speciem considerare maluerimus, in qua tot mendacia tanto artificio connectũtur, vt videantur mihi Stonehengiæ illud miraculum referre, vbi saxa eo ordine & loco adeò accuratè disponuntur, vt perdifficilis sit eorum enumeratio: Lydgaticæ fictionis examen.

15 Imprimis enim licet magna ei cum Cantilepo historię nigri codicis autore familiaritas intercessit, ab eo tamen, quoad temporis rationem dissentit, quo Cantabrigia incœpisse

pisse dicitur in historia quidẽ Cantilepina anno mũdi 4321. at hic apud Lydgatum aliquanto serius, anno mundi 4348. Londinensis ipse ab vtroque, vult enim incœpisse anno mundi 3588. quemadmodũ & illius Bowlus: Nicasius vero Cadneus, anno 4415; Chronicon Morganense anno 4848. Primus Anonymus à Londinensi productus anno 4695. secundus anno 4317. Tertius Anonymus anno 4091. Quartus Anonymus qui magnos Annales Wigornenses scripsit, anno 3869. Cantabrigiam incœpisse scribit.

Dissonantia Londinensis & testium suorum inter se, de tempore.

16 Est quoquè in publicę Bibliothecę Oxon: Archivis, incerti cuiusdam authoris (quem ego primũ ipsius Londinensis Anonymum esse opinor) Chronicon quoddam Rotularium vsque ad annum Dom. 1447, ab incunabulis mundi deductum, in quo de origine Cantabrigiæ sic lego. *Vniversitas Cantabrigiæ ædificata est à Cantebro duce, a mundi creatione anno* 4095, *& frequentata à Philosophis ante Christi incarnationem per annos* 394. *Ab adventu Bruti in hanc terram anno* 2425. *ab ædificatione London civitatis* 2430, *annis: Cantebrigia constructa est Vniversitas, Millenis Octingentis, Viginti quinque annis.* Hæc ille, ex media sine dubio antiquitate locutus: quibus statim adiungit, *& quia hæ civitates antiquiores & nobiliores erant in Britannia, de cæteris ciuitatibus ponam ori meo claustrum silentij.* Enumerat enim, Londoniam, Eboracũ, Edynburg, Caerlyle, Cantuariam, Wyntoniam, Bathoniam, & (Oxoniâ nullo loco habitâ, item què Alcluyth vrbe quorũdam iudicio omnium antiquissimâ) novam & hodiernã Cantebrigiam.

17 Eccè præclaram hanc testium harmoniam; eccè vades locupletes, certissimaquè supputandi ratione consentientes: peream si vnquam legi, non dicam cum Lelãdo stultiùs aut stupidiùs, sed nec indigniùs quidem, cum apud Londinensem, hæc tanta autorum, testiumq; dissonantia, pro summa harmonia habeatur.

18 Vt de Anonymis suis nihil dicam, qui quemadmodũ ἐκ τῶν τυχόντων καὶ τῶν πολλῶν sunt, ita cum in tanta nominũ

suo-

ſuorum obſcuritate verſantur, parum lucis rebus quoq; ob- Cenſura de Anonymis.
ſcuris afferre poſſunt: nam ſi notus aliquis mendax ignotā veritatem dicit, credimus ei quia verum dicit: at ſi notus aliquis verax, ignotam veritatem dicit, non credimus ei, quia illud verum eſt quod is narrat, ſed credimus rem eſſe veram quia credimus illū hominem eſſe veracem: ſi itaque author quis omnino adeo ignotus fuerit, vt nihil de illius fraude aut fide conſtiterit, illi quidem nec propter rem ſolam quia non ſcitur eſſe mendax, nec propter perſonam ſolum quia non cognoſcitur eſſe verax, credere poſſumus.

19 Hos igitur incertos anonymos, ὓς μὲν ἐυ γνοίην καὶ τοὔνομα μυθησαίμην quod inquit Helena, quos in ſuam ſcenā produxit Londinenſis, & tanquā Hercules ille apud Celtas, omnium autorum colla catenulis aureis linguæ ſuæ affixa credens, penitus reijceremus etſi vel ei conſentirent: iam verò cum tantoperè & à ſeipſis & Londinenſi diſſentiant, quantò magis ſunt reijciendi? Cùm vt Iuriſperiti cenſent multi teſtes ſententijs variantes pro vno & ſingulari ſint habēdi: immò nè pro vno quidem ſi de re cuius certitudinem ignorant, conteſtantur, quemadmodum iſti, reliquiquè in aſſertionem Cantabrigienſis hiſtorię à Londinenſi producti, excepto vnico Middendorpio, cuius animum Hatcherus Cantabrigienſis, Epiſtola hac de re ei tranſmiſſa præoccupaſſe dicitur.

20 At licet de tempore tanta ſit apud eos varietas, tamen fortaſſę de conditore omnes vna voce conſentiunt: etenim *Gurguntij Regis temporibus per Cantabrum Hiſpanum cæpiſſe Cantabrigiam omnium conſenſu* ſcribit in ſua ad Cantabrigienſem oratorem epiſtola is de quo ſupra diximus Antiquarius. videamus igitur pulchrum eorum hac in re conſenſum vt indè omnes intelligant, quam iuſtè à nobis factum ſit quod nihil ijs fidei tribuerimus, Etenim vt eos omittamus, qui non à Cantabro (eccè conſenſum) ſed à Gorbomanno quodam Brytonum, vel Sigiberto Saxonum rege, Cātabrigiam fundatam ſcribunt, Hiſtoria nigri codicis, Cantabrum

Diſſonantia teſtium inter ſe de conditore Cātabrigię

Hispanum, Academiam quandam ad flumen Cante institu-isse tradit, quæ Academia à Grantano quodam Cantabri fi-lio nomen posteà accepit (non a Cantabro ipso) vti ex nigro codice Lelandus superiùs retulerat: quod de prima Canta-brigiæ fundatione intelligendum est.

21 Lydgatus vero non solum fundationis Cantabrigię, sed etiam translationis nescio cuius meminit: ipsius verò de fundatione Cantabrigiensis Academiæ (vti mihi videtur) talis est provt ex ipsius verbis colligitur sententia: nempè Cantebro quendam fundasse Cantabrigiam: Cantabrum denominasse: præcipuum verò authorem cùm ædificationis tùm quod muris cingeretur, fuisse ducem & Hyberniæ Re-gem Partholinum: hæc mihi videtur Lydgati de fundatione Cantabrigiensis Academiæ sententia: refragantibus fidelis-simis historicis qui non huc advenisse Partholinum, sed Hy-berniā se contulisse vna voce testantur.

22 Certè quidem igitur si hoc nigro codici adversatur, cui non minùs quàm Evangelio Londinensis credendum esse putavit; videat Lydgatus quam verum illud sit quod ip-se scripserat, Cantabrigiam hæreseos crimen nunquam sub-ijsse, cùm ipse a nigro codicis illius Evangelio tam apertè discesserit. sed profectò non erit solus si cum ijs conferatur autoribus qui à Londinensi in sententiæ suæ confirmationē producuntur: quorum hic Cantabrigiam à quodam Canta-bro nomine extructam & muris cinctam fuisse tradit: ille verò extructam quidem à Cantabro affirmat, sed à Granta-no vel Grantino comite filio nominatam, a Guthelino autē muris decoratam: Tertius asserit a Bartholomeo duce, ho-mine Cantabro conditam, vti ex quinto Polydori videre li-cet: est etiam qui a vicino flumine Cante siue Granta sive Cantebro (tum viri tum fluvij nomine apud Lydgatum) no-men habere contendit.

23 Quin & Gulielmus Soonus in epistola & annotati-onibus suis quibusdā quas pro typica Cātabrigiæ ratione ad Georgium Bruinum qui Theatra vrbium edidit, miserat, dū

de

de Iuristarum hospitijs antiquis apud suos Cantabrigienses loquitur, sic dicit. *Crates ferrea vbi olim pons Cantaber a Cantabro, vnde Cãtabrigia*; sic is quasi ille velit pontem ipsum (nõ fluuiũ & virum quod vult Lydgatus) dici Cãtabrum: & Cãtabrigiam a ponte ipso non a conditore denominatam, non a Cantabro patre vt alijs visum est, nec a Grantano filio quẽadmodum ex nigro codice Lelandus.

24 Est etiam qui Chembrigiam Gurguntii Regis filiam Cantabri (si placet) sponsam nomen vrbi dedisse scribit: adde quoq; quod quidam Cantabrum ducem, alii ducis Partholini fratrem, quidam Regem, alii non Regem, sed civitatis Cantabriæ hæredem nominant: deniq; non deest ex eorum numero quidam qui Gurguntium Regem Partholino & Cantabro fratri Hyberniam inhabitandam dedisse, prodidit, ex quo apparet eum certissimè censuisse, Cantabrum huc nequaquam peruenisse, sed vnà cum fratre potius Partholino, Hyberniam adiisse; quod & mihi persuasum est, si modo de Gurguntio ipso satis constare poterit, de quo nomnihil dubitarae videtur Lelandus, dum quis ille fuerat Brytannorum Rex Gurguntius nescire se dicit. Atq; hinc eccè pulchrũ illum omnium de conditore Academiæ Cantabrigiensis cõsensum, de quo Antiquarius ad oratorem Cantabrigiensem tantopere gloriatur.

Lelandus dubitauit de Gurguntio

25 Iam ad nomen deveniam: nam autore Lydgato, flumen illud latum iuxtà quod Cantabrigia constituta erat, dicebatur Cante, deinde a Cantebro, flumen ipsum dicebatur Cantebro, vnde demum vrbem Cambrigiam nominatam refert. Ego verò in hâc lite Lelandum consulendum existimo: is in suis in cygneam Cant: comment: sic scribit, *ex his facilè liquet, nomen accepisse Grantanam vrbem a Granta flumine* sic Lelandus: appellat enim illud flumẽ Grantam, quod paulò anteà ex Fœlice Abbate Floriacensi, atq; etiam ex Gulielmo Ramesegano Croylandensi, appellasset Grontam; vrbem verò Cambrigiam corruptissime dici existimat, dum sic ait: *Granta, Britannicè Cairgrant, Saxonicè Grantecestre, & vo-*

De nomine Cantabrigiæ.

cabulo recentiori Grantebridge, corruptè autem mutata G in C, & ablata R litera Cantebridge, & rursus N in M. & sublata. T. Cambridge: in hunc modum Lelandus.

26 Ideoq; Abrahamus Ortelius in prima tabula synonymiæ locorum geographicorum vbi antiqua nomina recẽtioribus explicat, de illa vrbe sic scribit. *Granta Angliæ vrbs olim notissima, Grantebridge Saxonicè, Cambridge nunc corruptè*: in secunda verò tabula siue indice vbi è converso recentiora nomina antiquioribus explicat, sic: *Grantebridge Saxonicè, Caergrant Brytannicè, Cambridge nunc corruptè Angliæ vrbs*: ista in prima editione Ortelij videbis, nam in posterioribus editionibus, has synonymiæ tabulas omittit, earumq; loco Nomenclatorem Ptolemaicum adiecit: Cambrigiæ ergo nomẽ corruptissimum est, nec talis est vspiam Angliæ vrbs vel vrbecula, nisi quædam in Dobunis villula dicta Cam-bridge quemadmodum apud Camdenum videbis.

Cassibelanus Cantabrigienses Romã nõ transtulit.

27 De translatione verò Cantabrigiensium ad Romam per Cassibelanum autore Lydgato, quid attinet dicere? dicit enim Gildas quem centum Lydgatis præfero, Cassibelanum septimo postquam a Romanis esset victus anno, in Britannia obijsse: qui igitur Romam cum Cæsare profectus est Cassibelanus? aut quorsum Cantabrigienses eo transferret si eundum ipsi fuisset: an quod victus & miser, suis finibus eiectus, Cantabrigiensibus ornamento aut commodo esse potuerit, amissa propria dignitate?

28 Hæc sunt nimiùm mihi crede absurda, vt cum Lelãdo non dicam stupida, cuiusmodi feruntur illa apud nigrum codicem atq; Lydgatum de Anaxagora atq; Anaximandro commenta, Richardo quidem Croco Cantabrigiensi suprà diximus suspecta, sed a Londinẽsi libro antiquitatis Cantebr: primo ita defensitata, vt ptopter æqualitatem temporis Anaxagoræ Græci philosophi cũ tempore Gurguntij Regis Brytannorum (nam secundum Constantium Phrygionem Gurguntius 479. Anaxagoras vero 450. ante Christum natum annos floruit vt non multùm altervter ab altero abfuerit)

rit) Anaxagoram Cantabrigiæ intereſſe potuiſſe, plane aſſerat Londinenſis: in quo parùm videtur mihi ſobrius, qui de Philoſopho tam ſobrio (quemadmodum de Anaxagora dixit Ariſtoteles) rem adeó incredibilem pronuntiarit, quemadmodum ex proprijs ipſius autoribus convincam.

29 Nam ſive Cātabrigia per Cantabrum qui hos Græcos philoſophos ab Athenis ſecum duxiſſe dicitur, incœpit anno mundi 4321. vti niger codex affirmat, ſive anno 3588 vti Antiquarius in ſua ad oratorem epiſtola (nigrum interim codicem tacitè vanitatis arguens & mendacij) prodidit; ſive anno mundi 4348 quod Lydgato videtur; vtcunque, certè annus quo antè Chriſtū natum Cantabrigia (autore eodem Lydgato) incæpit, fuit quingenteſimus triceſimus nonus: quòd ſi ſtatuatur annus à mundo condito 3588, is quidèm adventum Chriſti per 375 annos vt Stoveus & Lanquetus ſupputant, vel 335 præcedere debet quemadmodum is ſupputat qui deflorationes Galfredi ſcripſit referente Londinenſi: qui iam cuius ſupputationem ſequuturus ſit, planè incertum habet. Commentum eſſe probatur Anaxagóram & Anaximādium Cantabrigiæ ſtuduiſſe.

30 Nam Stoveus & Lanquetus nec non deflorationū Galfredi author, quos in approbationem ſupputationis illius quam Antiquarius in epiſtola ſua ſequitur, valde confidenter & cordatè produxit, cum Phrygione ſuo vti vides acerrime pugnant: hi Gurguntium annos ante Chriſtum 375 vel 335 regnaſſe ſcribunt, ille vero Gurguntium & proinde Anaxagoram (debent enim eſſe tempore æquales) vſque ad annum quadringenteſimum ſeptuageſimum nonum ante Chriſtum natum producit: atque ita ab Antiquario diſſentit, exiſtimante Cantabrigiam anno mūdi 3588 incæpiſſe, hoc eſt anno ante adventum Chriſti 375 iuxta Stoveum & Lanquetum, vel anno 335 iuxta autorem deflorationū Galfredi. Cogitur igitur Londinenſis Antiquarium Cantabrigienſem (hoc eſt ſeipſum, habetur enim ille epiſtolæ illius de qua ſupra diximus author) deſerere, & iam tandem Conſtātino Prygioni adhærere, vindicandi Anaxagoræ cupiditate

du-

ductus, quem tamen inter litigandum amisit.

31 Tutissimum igitur fuisset Londinensi etiam in primo huiusce quæstionis limine si modo veritati studuisset, Diogenem Laertium autorem omni exceptione maiorē, consuluisse: is Anaximandri & Anaxagoræ vitam, mores, studia, literas & peregrinationes fidelissimè (& aliquanto quam Divisiensis aut Herrisonus suus fideliùs) scripsit; de illorum vero ad Cantabrigiam profectione, ne verbum quidem addit.

32 Quis autem adeo amens vnquam extitit (dic mihi si potes) qui Nicholaū Cantilepum nigri illius immò nigerrimi codicis autorem, Lydgatum, Divisiensem, Herrisonum &c. Diogeni Laertio antiquissimo & nulla non ætate autori receptissimo præponendum audeat dicere? Qui ex Chronico Apollodori Atheniensis, Anaximandrum secundo anno quinquagesimæ octavæ Olympiadis hoc est anno mundi vt in Chronicis Eusebius Funccius & alij tradunt 3417. antè christum natum 546. annis floruisse scribit; quemadmodū & Hyeronymus Henninges in Grecorum Philosophorum familiis & Abrahamus Bucolcerus in chronol. ferè supputant. Anaxagoram verò septuagesima Olympiade floruisse, hoc est anno mundi 3465. & antè Christum natum 498. at secundum Hieronymum Henninges anno mundi 3537: qui licet ex supputatione Antiquarij in epistola, propius ad Gurguntiū accedit, nihil tamen in assertionem temporis Anaxagoræ iuvat, quia supputatione annorum antè Christum natum a Stoveo, Lanqueto, & Galfredi defloratore calculatâ (verène an perperàm videant illi quorum res agitur) penitùs impeditur.

33 Loquor ego iam de vtroq; philosopho: licet enim niger codex & Lydgatus vtrumq;, tum Anaximandrum tū Anaxagoram repetunt, Londinensis tamen Anaxagora solo contentus est, Anaximandrum sibi ipsi reliquit foribus astantem & fenestras intuentem, nunquam Anaxagoræ ædes ingressurum quas Cantabrigiæ si placet habuisse dicitur Anax-

naxagoras, qui & illic sepelitur, referente ex Herrisono Londinensi: annon etiam Pythagoras qui ibidem in Aula Martonensi docuit vt a vulgo dicitur, & Londinensis idem ferè asseruit lib. hist. Cantebr. 1? tu igitur Herrisone quid Diogeni Laertio respondes, qui de obitu ac sepulchro Anaxagoræ sic scribit, *Lampsacum postea profectus, illic diem suum obijt*: & statim post: *defuncto igitur, Lampsaceni honorificè iusta persolverunt, eiusq; tumulum hoc epitaphio ornarunt.*

Pythagoræ & Anaxagoræ domus Cantabrigiæ.

Ἐνθάδε πλεῖστον ἀληθείας ἐπὶ τέρμα περήσας
Οὐρανίου κόσμου κεῖται Ἀναξαγόρας.

Lampsaci igitur sepelitur Anaxagoras (mi Londinensis) nõ Cantabrigiæ provt vanissimè tibi dixit horridus ille mendaciorum pater Herrisonus.

34 A quo iam (omisso Pythagora, imaginibus, scholisq; suis quas Cantabrigiæ quoque haberet nisi Diogenes Laertius obstaret quem huiusmodi nugis semper opponerem) ad illud extremum descendã & agam de autoribus scilicet ijs è quibus hæc portenta fabularum Lydgatus se hausisse profitetur, Beda nempe ac Alphredo Beverlacẽsi Stephani Regis Angliæ æquali, quibus Malmesburiensem atque Ranulfum gravissimos autores Londinensis adiecit: porro Bedam ac Alfredũ non ex sua autoritate ista tradidisse, sed ex alijs antiquioribus hausisse, author est Lydgatus: quod profectò si dulcissimus meus Bedas diceret, dulcissimus meus Bedas, nunquam amplius esset mihi dulcis.

De autoribus quos Londinẽsis prætendit.

Mendacium Lydgati.

35. Sanctus Germanus, Nennius atq; Gildas hi vel soli vel præcipui sunt qui ante Bedam Venerabilem floruerunt historici: si isti quicquam de tanto prodigio locuti sunt, aut loquentur vnquam, tametsi illud frequenter vsuveniat inopinatis probationibus vehementius commoveri, apud me tamen nihil posthæc tanti futurũ est ponderis, quod me potius quam stipitem aut inertem truncũ commovebit. Nõ ignoro tamen Londinẽsem ex Herrisono suo patrono prodidisse, antiquissimum Gildam in suo de Aurelij Ambrosij Victoria libello multa de Cantabrigia scripsisse: cuiusmodi tamen

Mendacium Herrisoni.

men ea fuerint, tacuisse credo vel quod nulla essent, vel si essent, parũ certe fidei obtinerent, cũ non ipsum Gildam, sed aliũ multò recentiorem authorẽ quem Polydorus libro hist. 1. nebulonem longè post homines natos impudentissimum vocat, habeant. quod si Herrisono vel sectatoribus suis occurrissent, quorsum ipsa autoris verba, & locum ipsum non produxerunt? Vt omnibus perspecta fuisset & Academiæ suæ dignitas, & ipsorum fides ac diligentia; quam etiam in Londinensi desidero.

36 Nam si persuasum ei fuisset, Bedam huiusmodi aliquid habuisse quod Lydgatus affirmat, itemq; Beverlacensem Alphredũ, Malmesburiensem ac Ranulfum, quorsum ipsa verba (Oxoniũ enim, quod dicitur, iustũ ac æquale petit) & locos ipsos non profert? Nam si proferendos esse non censet, quidni & ego potero Bedam huiusmodi imputationibus aliosq; vetustissimos autores onerare? Respondet Lõdinensis Lydgatum ista apud Bedam Saxonicâ linguâ trãslatum legisse: at prototypon est Latinum: nisi ergo in Latino exemplari ista reperiantur, nullus dabitur Saxonico exemplari locus, immo & in illo Saxonico exemplari Aluredi-ano quod in publica bibliotheca Cantabrigiæ reperitur nihil tale habetur: quin & in Bedæ Chronicis de rebus Anglicis, ista se legisse testatur: opus quidem nec à Lelando nec à Baleo nec à Bostono Buriensi, nec denique à Beda ipso inter cætera opera vnquã commemoratũ, nisi per Angliæ Chronica, Ecclesiasticam gentis Anglorũ à Beda conscriptam historiam intelligat: ex qua si aliquid adduci possit quod pro sententia Lydgati faciat, ego profectò tãto testimonio libẽtissime assurgam, (ἀνδράσι γὰρ προτέροισιν ἐρίζεμεν οὐκ ἐθελέσκω) nec diutius sentiam illud esse verũ, quod scio me apud Bedam libro historiæ suæ quarto, capite 19 legisse, Grantecestriam suo tempore civitatulam fuisse desolatam, qua de re suo loco fusiùs dicam.

Saxonicum Bedæ exemplar.

37 Interim quià non solum Antiquarius in epistolâ, de consensu omnium autorum in suam sententiam, tantopere gloria-

gloriatur, verum etiam hic Lydgatus de numerosa autorum mentione adeò se magnificè iactitat: videamus si quos ipsi proferre possimus autores, qui nec Cantabri fundatoris, nec Cantilepinæ de facto Cantabri historiæ meminerunt.

38 Cuiusmodi sunt Asser Menevensis: Alphredus Beverlacensis: Antoninus: Alex. Neckhamus: Adamus Muremuthēsis: Bedas, Bostonus Buriensis, Baleus si in propria accipiatur sententia: Beatus Rhenanus. Author dictus Brutus. Caxtonus. Chronica Chronicorum: Cadiocus aliàs Caradocus: Gildas Albanius, Badonicus, Cambrius. Galfred. Monumet. Gotcelinus, Gervasius Dorobornensis: Gervasius Tilberiensis, Gulielm. Rishanger, Eadmerus Dorobornensis Elias Trikynghamus, Gulielmus Rhievallensis, Galfredus Chaucerus, Georgius Lilius, Guliel. Rede, Fabianus: Florētius Wygornensis, Froysardus, Fasciculus temporū: Ingulfus Croylandensis, Iosephus Damnonius, Iosephus Iscanus; Ioannes Capgrauius: Ioannes Hardingus: Io. Sarisburiensis Io. Tilberius Io. Euresdenus Io. Burgensis siue de Bury Io. Gowerus. Iocelinus Brakelandius. Io. Maior Io. Lelandus Io. Rossus Warwicensis, historiæ nigri codicis oppugnator teste Harpesfeildo, Lelando atq; Baleo. Henricus Huntindonensis: Historia Regia: Historia Iorenallensis; Paulus: Hector Boethius: Lanquetus secundum Cooperū: Memoriale historiarum: Tho. Graius siue Nicholaus Montacutius vt incertus author annotavit. Radulphus Marrham in Manipulo Chron. Marianus scotus: Math. Paris: & qui illum defloravit Math Westmonast. siue Florilegus. Mauritij Chronicon. Nennius Bannochorensis: Nicholaus Harpesfeildus, Ponticus Verumnius. Philippus Bergomas. Paulus Æmylius Veronensis. Rob. de Remington Petrus Blesensis. Rogerus Hovedenus. Rheginon Otho. Ranulfus Higdenus. Ranulfus Niger. Ranulfus de Diceto. Rogerus Windorus. Robertus de Glocestria, Richardus Hagulstadensis (1) Exhamēsis vt annotavit Tho Gascoigne in libro de veritatibus collectis in forma tabulæ, quem ego dictionarium eius Theologicum

Autores qui Cantabri fabulæ non meminerunt.

 gicum

gicum esse existimo et est in bibliotheca Coll. Lyncoln Oxon. Sylvester Gyraldus. Simeon Dunelmēsis: speculū histor. Vincentij. *Saxo* Grammaticus. Tho. Rudburnus. Tho. Wicamus. Tho. Wykeus. Tho. Walsynghamus. Vt vix mereatur dici consensus omnium, vbi tot: sum ni autores dissentiunt.

39 Vnicus restat Polydorus, quem licet Antiquarius in sua ad oratorem epistola, Cantabrigiensis Academiæ originem non ad Cantabrum, sed ad Sigebertum retulisse disertissime scribat; ei tamen non acquiescit Londinensis, sed & Polydorum quoque hunc in nigri codicis defensionem vocat, in quinto historiæ sic scribentem dum de Cantabrigia locutus est. *Verum si commentarijs credimus incerti authoris, antiquior est tum oppidi, tum gymnasij origo &c.* Polydorum his verbis nigri codicis autoritatem confirmasse dicit, eundem existimans incertum authorem de quo Polydorus, & nigri codicis authorem: cuius sanè sententiæ fuit quoq; Io. Baleus qui cent. 8. cap. 5. de Cantilepo dicit, Polydorum libro quinto Cantabrigiæ originem describentem, incertum autorem hunc vocasse.

Polydorus an nigro codici consentiat.

40 At sit idem, sit Cantilepus incertus ille author de quo Polydorus; an Polydorus quicquam illi fidei affert, quòd is dicat *si credendum sit illius commentariis, Cantabrigiæ originem antiquiorem esse vel videri?* Verum vt appareat nec Baleum nec Londinensem rectè de hâc re sensisse, vtriusq; cū nigri codicis, tùm Polydori verba recensebo. In nigro codice ita scriptum est. *Accedens namq; ad prædictum exhibitum dominium (de Cantabro loquitur) ciuitates & oppida ædificauit prudentèr per loca: demum patriæ amænitatem considerans, ciuitatem magnam suo nomine super flumen Cante ædificauit.* & paulò post *exinde ciuitas illa Caergrante, à Grantino Comite eius filio qui ibidem pontem ædificauit, seu à multitudine philosophorum Britanniæ dicebatur: Latinè verò ciuitas Cante à Cantebro eius conditore, succedente autem tempore Cantebrigia nominatur:* hactenus niger codex.

Nigri codicis verba.

41 Sequuntur incerti autoris verba in Polydoro ad hūc mo-

modum. *Ferunt enim positum fuisse olim oppidum nomine Chergrantium, ad radices vicini monticuli quem vocant Whythill, eòq; docendi causa, Rege Gurguntio, Belini filio, Bartholomeum quendā hominem Cantabrum peruenisse, & illum deinde duxisse vxorem Chembrigiam Regis filiam, condidisseq; oppidum ex vxoris nomine Cantabrigiam, atq; in eo primum docuisse.* cogita igitur obsecro, num hic etiam Polydorus nigrum codicem confirmauerit, cum dicat famam esse Chergrantium oppidum olim fuisse positum &c. immo etiam in hac narratione plurimum ab eo dissentit, vt iam tandem intelligas, quantum inter nigrum codicem, incertumq; Polydori autorem intersit. Polydori verba.

42 Primo enim niger codex Cantabrum proprium viri nomen facit: hic autem gentile, niger codex Cantabrigiā à Cantabro dicit fuisse constructam; hic autem Bartholomeum quendam primum ibi docuisse quidem non Cantabrum nomine sed genere; oppidum verò Chergrantiū (quod est Caergrant) praeextitisse, nec à Cantabro illo conditum, etsi Cantabrigiam ab illo conditam dicat. sed non Chergrantium, quod ad radices monticuli Whythill positum fuisse dicitur, Cantabrigia verò ad flumen Cante, vti niger codex affirmat, atq; à Grantino comite Cantabrigia nominata, non à Chembrigia vxore, quemadmodum Polydori author incertus refert. eccè igitur pulchrum Polydori cum nigro codice consensum: miror praetereà quamobrem incertum illum authorem a Polydoro citatum, Cantabrum Hispanum Academiae suae fundatorem facere dicat Londinensis, cum nihil omnino tale affirmet, sed contra potius à Bartholomeo homine Cantabro extructam dicat: quam verò Cantaber Hispanus, & Bartholomeus homo Cantaber idem sit vti Lōdinensis censet, aequus lector iudicet; perinde enim est idē atq; Anglice horsemyll & myllhorse. Dissonantia inter Polydorum & Nigrum codicem.

43 Verum si vlla ratione constare poterit id quod superiùs Antiquarius ad oratorem obseruavit, Polydorum Cātabrigiensis Academiae originem ad Sigebertum Orientalium Saxonum regem retulisse, quis profectò iudicabit Poly-

dorum vnquam nigro codici concessisse qui nec Sigebertũ nec Gorbomannum antiquum etsi valde & Maiorum memoria vel illo quidem nomine celeberrimum (licèt Stoueus & hunc quoq; satis indignanter reijciat) sed Cantabrum solum autorem Cantabrigiæ facit. Polydorum verò pro Sigeberto totum esse, ex ipsius verbis constabit, dum in lib. 4.° sic scribit: *obtinuit Regnum Sigebertus ab Vffa quintus: Is Christianum dogma quamprimùm complexus est, illudq; in regno suo mire amplificauit: item princeps sapientissimus, sciens nihil æquè esse hominibus ornamento ac literas, & eas quidem per id tempus in Insula admodum raras, hortante Fœlice Episcopo natione Burgundione viro doctissimo, scholas passim in suo regno posuit, & imprimis Cãtabrigia, vt pueri ab ineunte statim ætate, erudirentur.* Vides quæ sit Polydori sententia, quæ ad Cantabrum nullo modo, sed ad Sigebertum referri debet, quam tamen posthæc in sequẽtibus, nostris ponderibus examinabimus.

Polydorus Sigebertum Cãtabrigiæ conditorem censuit.

44 Interim ad ea nos conferamus, quæ in Antiquarij Cantabrigiensis ad oratorem epistola continentur: qui ab vrbe ad Academiam transit, quam antiquam esse quidem etsi scriptores variant, se posse comprobare dicit: id ego etiam fateor, si vel Sigebertum habuerit autorem, vt Polydorus censet, aut Edwardum seniorem Aluredi Oxoniensis filium, vt Rudburnus & Rossus (qua de re postea) aut Croylãdensis cænobij monachos Henrici Belloclerici temporibus, vt Petrus Blesensis in appendice ad Ingulfum: non enim tã strictè nomen antiquitatis sumo, vt nihil putem antiquũ, nisi quod ad veterum Brytannorũ tempora pertineat.

45 Quod insuper addit Academiam suam olim Grantecestriam fuisse dictam, verũ esse non credo: nam vt situ ita nomine quoque pro diversis semper sunt habitæ, sicut eadem non sunt Verulamium & fanum Albani: non diffiteor tamẽ vtramq; vrbem communi Grantæ nomine à scriptoribus nonnunquàm appellari, ideoq; Io. Lelandus rerum antiquarũ diligentissimus investigator, duas eius nominis vrbes facit, veterem & novam, & illam Brytannorum tempore

Vetus Grantecestria non est hodierna Cantabrigia.

re

re constructam Caer Grant, hanc autem à Saxonibus (qui à duritie nomen sortiti sunt autore Rabano Mauro lib. 16. de Vniversali Nat. c. 2.) conditam, non procul à veteri distantem. Atque hoc est totius controversiæ caput: quod si solidè discutiatur, facile rem totam aperiet: nam si à nobis probari poterit hodiernam vrbem quæ Cantabrigia dicitur, à veteri vrbe Granta Brytonum atque etiam Grantecestria Saxonum fuisse atque esse diversam, tunc profectò manifestum faciemus quam absurdè Londinensis vnam eandemque vrbem vtramque faciens (quemadmodũ in libro historiæ Cãtabrigiæ suæ primo vehementer contendit) ea omnia novæ vrbi & hodiernæ Cantabrigię accommodat, quæ propriè ac verè, non ad hodiernam vrbem, sed ad veterem Grantecestriam Saxonum, aut Brytannorum Grantam, pertinere cẽsenda sunt. Ratio totius erroris in causa Londinensis

46 Illud imprimis ex Polydoro probaturi sumus, qui Chergrantium scilicet oppidũ, ad radices monticuli Whythill positum, diversissimũ facit ab illo oppido quod à Bartholomeo homine Cantabro ædificatum est & (provt incertus eius author scriptum reliquit) Cantabrigia nominatum. Ergo etiam secundum hanc sententiam Chergrantium vetus oppidum, non est Cantabrigia nova. Situ quoque erant diversa: nam Chergrantium sive Caergrant ad radices monticuli Whythill positum erat: Cantabrigia vero non ibi (licet incertus author certum nullum locum recenseat) sed ad flumen Cante, quemadmodum ex nigro codice suppleri potest: de qua quid fiebat, tacet Polydori author incertus, & reliquus historicorum ordo tacet: interim hinc apertissime constat, quod si Londinensis autorem hunc incertum quem Polydorus secutus est, tantopere defendendũ censeat, certè non alium defendit nisi eum, qui (dum duo oppida diversa faciat, Chergrantium ~~atquè~~ Cantabrigiam) Londinensis ipsius opinioni maximè adversatur qui vnum idemque oppidum esse vult: recentia cum veteribus confundens, vt maioris antiquitatis videantur, quã revera sunt, aut esse possũt.

45 Inte-

Incerti autoris contradictio.

45 Interim tamen non est omittenda illa incerti autoris apud Polydorum contradictio qui primo Bartholomeũ illum Cantabrum ad Chergrantium docendi causa venisse tradit; deinde, addit eum Cantabrigiã condidisse ac ibi primũ docuisse, cũ tamen diversa faciat oppida: nam de Chergrantio inquit illud vetus quidem oppidum fuisse, eòque (*t*) ad illud oppidum, Bartholomeum hominem Cantabrum pervenisse, Cantabrigiam vero condidisse: sed quo in loco non dicit, nisi Cantabrigiam in Chergrantio tanquam oppidum in oppido quod certe monstrosum erit oppidum, posuerimus: aut Chergrantium vetustate ferè consumptũ, Bartholomeum illum renovasse, & proinde antiquato primo nomine, aliud indidisse, & in Chembrigiæ vxoris si placet suæ gratiam, Cantabrigiam nominasse dixerimus: licet inter Chembrigiam & Cantabrigiam, analogia non sit admodum manifesta.

Chergrantiũ.

46 Ac Chergrantium quidem sivè Caer Grant vetus oppidum, quemadmodũ incertissimum est quo conditore & tempore incæperit (si Cantilepi ac Lydgati fabulam excipias,) ita certissimum est, Saxones in primo ipsorum advẽtu (qui reiecto antiquo nomine non iã amplius Chergrantium aut Caergrant, sed suâ linguâ Grantecestriam & Grontecestriam appellabant vel à fluvio Grant aut Gront,' morbosis piscibus & arundine densâ vegetãte inquit Gulielmus Ramseganus Cœnobij Croylandensis monachus & poeta, vel à Gron dictione Saxonica quæ locum palustrem significat vt aliqui meritò conijciunt) eversores habuisse: atque ita Bedæ temporibus eversum iacuisse, quod ex ipso Beda liquet, libro histor: Ecclesiast: suæ quarto, cap. 19. vbi de Sexburga Cantianorũ olim Regina, ac tunc scilicet circa annum 679. quo author ipse floruit, Eligensis monasterij Præside, sic scriptum reliquit: *Iussitq; quosdam è fratribus quærere lapidem, de quo locellum in hoc facere possent: Qui ascensa navi (ipsa enim Eligregio vndique aquis ac paludibus est circumdata neque lapides maiores habet) venerunt ad civitalulam quãdam desolatã,*

non

non procul inde sitam, qua lingua Anglorum Grantecester vocatur & mox invenerunt iuxta muros ciuitatis locellum de marmore albo pulcherrime factum, operculo similis lapidis aptissimè tectum. hactenus Bedas.

Grantecestria ciuitatula desolata, temporibus Bedæ.

47 Cuius verba si Herrisonus bene animadvertisset (cū hic de inventione locelli ac sepulchri agatur) profectò non dubito, quin pro Anaxagoræ ædibus ac locello aliquid conclusisset, simulq; in tantum Eligensium monachorum sacrilegium, vociferatus fuisset. Quod vtcunq; is absurdissime fecisset, nostra certè collectio clarissima ac verissima est, Chergrantense oppidum Bedæ temporibus fuisse desolatum ac destructum, tam verè tamq; realiter quam postea Gulielmi Neustriorum ducis temporibus, octodecim pro ædificando castro domus in libro censuali dicuntur in hodierna Cantabrigia destructæ.

48 Verùm tamen Londinensis noster, ne nihil tam apertæ veritati respondisse videretur, vocem illam (civitatulam) in Bedæ verbis additiriam, nec in correctissimis exemplaribus extare scribit; illud scilicet veritus, ne stante illa voce, Antiquarius Cantabrigiensis ad oratorem suum minus rectè scripserit, cúm Cantabrigiam olim longè lateq; diffusam (instar credo Babylonis) dixerit: desolatam porrò negat fuisse eo tempore (licet Bedas affirmaverit) sed tantummodo desolatam (1) non inhabitatam, quod est habitatoribus destitutam: concedit igitur eo modo fuisse desolatam quidem Grantecestriam, sed non incultam, ne Antiquario in epistola contradicat qui Grantecestriam multis habitationibus fulcitam fuisse scribit. hæc sunt quæ Londinensis ad illū Bedæ locum respondenda censuit; quasi nemo tam perfecta Bedæ exemplaria vidisset, ac ipse viderat, cùm ex quatuordecim exemplaribus Manuscriptis optimis (præter multa impressa) à meipso hac de re visis atq. consultis, ne vnum quidem in vllo apice defecerit ab illa verborum lectione quam paulò supra recitavimus.

Londinensis insigne refugium.

Responsio Lōdinensis refellitur.

49. Quod veró desolatam fuisse putet eo tempore

Granteceſtriam, non autem non inhabitatam (hoc eſt habitatoribus deſtitutam) profectò ſi vim vocis reſpicias, facilè intelliges deſolatum aliquid amplius non inhabitato ſignificare, quo minus illic habitatio eſſe poterit vbi eſt ipſa deſolatio; ſin autem ad rem ipſam animum conieceris ac habitatam tunc Granteceſtriam dixeris, certè quidem vel prædones erant illi monachi Eligenſes, qui ad penates Chergrantenſium ſivè Grantanorum civium deripiendos acceſſerunt, vel admodum ignaui cives præfuerunt, qui adeò neſariè ſacra ac religiones ſuas ab alienis hominibus violari paſſi ſunt.

50 Sed & Tho. Stappletonus qui vniverſam Bedæ hiſtoriam linguâ Anglicanâ ornatè reddidit, civitatulam, parvam civitatem, ac deſolatam per non inhabitatam interpretatur; quid verò hac de re ſenſerit Lelandus, ſatis apertè quidem indicavit, dum in comment. in Cyg. Cant. ſic ſcribat. *Granta antiqua quidem illa concuſſa bellis Saxonicis & civibus vel fugatis vel interfectis indies magis magiſq; ad ruinam inclinabat, id quod ex* 19. *cap. libri quarti hiſtoria Bedæ apparet, nam deſolatam ſuo fuiſſe tempore ſcribit.* Hæc Lelandus; cuius ſententia nihil aliud continet, præter explicationẽ illius vocis (*deſolatam*) quam in Beda legerit; ea igitur vrbs deſolata ac deſtituta eſt, cuius cives vel fugantur vel interficiuntur quod de Chergrantenſibus ſive Grantanis civibus fiebat, teſte Lelando ex ipſo Beda. Atq; hæc de veteri Chergrantio ſive Granta Brytannorum deque eius periodo ex Beda ac Lelando, necnon de illius ab hodiernâ Cantabrigia diſcrimine ex incerto Polydori authore dicta ſint.

51 Reliquum eſt vt probemus hodiernam Cantabrigiã ſive Cambrigiam, diverſam eſſe ab illâ vrbem, quam Bedas ſuo tempore fuiſſe deſolatam prodidit: nam ſi illud firmiſſimè docuerimus, certè & hodiernam Cantabrigiam minus antiquam videbimus (de qua iam quæritur) & vberrimè Londinenſem refutabimus, qui vnam eandemq; ſemper ad hodiernum diem Cantabrigiam ſuam, ac veterem Grantam ſive Granteceſtriam eſſe, acerrimè contendit, ac tanquam pro a-

Hodierna Cãtabrigia non eſt eadem quę temporibus Bedę deſolata fuit.

ris ac focis dimicat probè cognoſcens, quod ſi à tanta ſpe ceciſſet, cætera omnia eodem labefactata caſu corruiſſent: quod profectò veriſſimum eſt.

52 Hodiernæ vrbis Cantabrigiæ ſive Cambrigiæ vera origo, non minus incerta eſt, quam illa veteris Chergrantij ſive Grantæ, aut Granteceſtriæ (de qua ſupra) origo: nam quemadmodùm Lelandus nihil certi hac de re ſe poſſe invenire liberè profeſſus eſt, ita mihi nihil vnquàm verius occurrit quid hac de re ſentirem, quam quod ex ipſo Lelando didiceram: qui poſtquam de Antiqua Granta locutus eſſet, de nova in hunc modum ſcribit: *Noua antem quæ nunc Grantanus pons dicitur Saxones conditores habuit, at cuius hoc factum Regis imperio ex hiſtoria (quod ego ſciam) nulla liquidò cõſtat: conſtat autem Sigebertũ regem Orientaliũ Anglorũ cuius ditionis & tunc Granta fuit, ac Fœlicem Burgũdionem epiſcopum Dunouicanum nouæ vrbi fauiſſe, conſenſus etiam ſcriptorum illis attribuit gloriam gymnaſij ibidem auſpice Chriſto inſtituti &c.*

Lelandus pro Sigeberto, & Londinenſis pro Cantabro conſenſum autorũ affert.

53 Ecce igitur, quod quemadmodum primam & antiquam Granteceſtriam Saxones deſolaverint, ita novam hanc & ſecundam condiderunt quæ hodierna eſt civitas (de qua in præſenti quæſtione agitur) & nunc Grantanus pons dicitur inquit Lelandus, non enim amplius hanc novã, Grãteceſtriam, aut Chergrantium, ſed Grantanum pontem vocat, (hoc eſt) Grantebrigiam, quod ipſiſſimum eſt nomen: de conditore verò huiuſce novæ vrbis Grantani ſcilicet põtis, nihil ſe ex antiqua hiſtoria percepiſſe fatetur Lelandus: hoc ſolum eſſe quod perceperit, Sigebertum ac Fœlicẽ Burgundionem novæ vrbi faviſſe, & excitati ibidem gymnaſij gloriam retuliſſe.

Hodiernæ Cãtabrigiæ conditor. ignoratur.

54 Ex quibus manifeſtiſſimè convinco hodiernã Cãbrigiam non ante tempora Saxonum extitiſſe: immo & longè ab eorum adventu fuiſſe conditam, ſiquidem nova fuerit vrbs ſub Sigeberto quem circa annum Chriſti ſexcẽteſimum triceſimum regnaſſe omnes vna voce teſtantur hiſtoriæ: quod profectò, non meum eſt ſed Lelandi ſi bene a-

pud te consideres, qui Grantanum pontem Saxones conditores habuisse ac pro nova vrbe Sigeberto regnante fuisse habitum, apertissime dicit esse totum quod ei vnquam de illius fundatione occurrebat, qui tamen eo vsque in antiqua historia evoluenda diligens extiterat, vt oratori Cantabrigiensi, pernitiosum exemplum nimis curiose in historias inquirendi reliquisse visus fuerit.

55 Eccè quoquè aliud quod ex Lelandi verbis deducitur: nam si Saxones hodiernam Grantabrigiam condiderunt. Ergo hæc non est eadem vrbs quam illi desolaverũt; non ergò est Grantecestria, Chergrantium, sive Caergrant; quod probandum erat. Quamobrem hoc primum esto in ipso tempore discrimen.

56 Sed in loco multo apertius est discrimen: nã Chergrantium ad radices monticuli Whithill situm erat referente Polydoro ex autore incerto, & non procul abfuit Grantecestria (sive Chergrantium) à monasterio Eligensi, referente ipso Beda: sed hodierna vrbs aliquãtò inęqualiùs abest tùm à monte Whitehill, tùm à loco in quo Eligense monasteriũ stabat, provt manifestissimè ex antiquis vtriusque loci ruinis liquet: differt igitur loco à veteri Grantecestria: nam si in eodem esset loco, tunc eadem esset & à monticulo Whitehill, & à monasterio Eligensi distantia: nam quę sunt eadem alicui tertio, ea sunt eadem inter se: quæ vero non sunt eadẽ alicui tertio, sed inæqualia respectu alicuius tertij, ea sunt non eadem & inęqualia inter se: non est ergo vetus Grantecestria, & hodierna Cambridgia vrbs eadem.

Monasterium Eligense.

57 Præterea, Camdenus noster existimat vetus oppidum scilicet Chergrantium Brytannorum, fuisse illud oppidũ quod apud Antoninum in itinere à Londinio, Luguvallio ad Vallum, Camboritum dicitur: (quod vtcunque de veteri, non autem hodierna vrbe verum esse potest, non tamẽ ignoro in exemplaribus quoque satis probatis Camboricum pro Camborito legi, vt si Camboritum, vadum ad Camum fluviũ significare dicatur, vadumne illic fuerit necne incertũ

Camboritum.

om-

omnino relinquatur, vt nihil dicam Camboritum hodiernę Nomenclaturæ Cābridge aliquanto iniquiùs favere, quā corruptam esse omnes historici affirmant) idque ex distantia scilicet ab Icianis colligit, quæ est secundum Antoninū xxxv. M. P. at hodierna vrbs aliquantò inæqualiùs ab Icianis abesse noscitur quam 35. M. P. igitur hodierna vrbs Cambridgia sive Grantabrigia sive Cātabrigia, non est eadem cum Camborito Antonini, hoc est, Chergrantio antiquo oppido Brytannorum quod Saxones Grantecestriam appellare maluerunt. Antonius.

58 Huc accedit historia magna Iorenallensis, etiam ab ipso Londinensi libro antiquitatis Cantabrigiæ suæ primo producta, quæ dicit, creditum fuisse Bedam venerabilem, studium Grantecestriæ iuxta Cantabrigiam posuisse. Statuit ergo has duas vrbes loco fuisse distinctas: neque valet responsio Londinensis, autorē huius historiæ ignorasse Grantecestriam ac Cantabrigiam eandem fuisse vrbem. respondeo enim ego, eum si quicquam in ipsius Bedæ antiquæ memoriæ scriptoris libris versatus fuisset, Grantecestriam Bedæ temporibus civitatulam fuisse desolatam ignorare non potuisse, quo minus Bedam, studium Grantecestriæ posuisse, aut omninò in hodierna Cātabrigia studuisse diceret, quod posteà in secundo libro luculentiùs probaturi sumus. Lelandus quoq; de hoc locali vtriusque vrbis discrimine ita cecinit, Hist. Iorelanensis.

Olim Granta fuit titulis vrbs inclyta multis
Vicini à fluvij nomine nomen habens:
Saxones hanc belli detur bavere procellis
Sed nova pro veteri non procul inde sita est.

59 Quin & Io: Stoveus in suis Annalibus duas diversas facit vrbes: sic enim scribit: *oppidum Cambridgia, accepit nomen à pulchro ponte ad fluvium Grant ibidem labentem, & ita nominabatur Grantbridgia, corruptè Cambrigia: aucta est ratione istius pontis, qui fuit ruina Grantecestriæ famosa olim civitatis paulò plus vno miliari à Grantebridgia sita.* Quid obsecro apertius

tius hoc Ioannis Stovei dicto?

60 Postremò Camdenus postquàm Grantecestriã veterem Bedæ temporibus desolatam fuisse scripserit, addit, *Nunc autem viculus est; cuius partem Henricus Laceius Lincolniæ Comes Henrico filio Notho ea lege donavit, vt eius posteri (qui iampridem defecerunt) non aliud quam Henrici nomẽ vsurparent; alteram partem Henricus Sextus Rex Angliæ è Lancastrensi familia oriundus, cui Comitis Laceij patrimonium obtigit, collegio suo Regio in Cantabrigia sive Cambridge concessit: quæ antiqui Camboriti vel pars, vel proles fuit, adeò & situ & nomine est confinis*, hactenus Camdenus. Ex quibus convinco, quod si hodierna Cambrigia eadem sit cum veteri Grantecestria sive Camborito (vt vult Cãdenus) ergo hodierna Cambridgia est viculus: Grantecestria enim quæ Bedæ temporibus fuit civitatula desolata, nunc est viculus, inquit Camdenus.

61 Hodiernam tamen Cantabrigiam partem aut prolem (est enim omnis proles pars illius cuius est proles vt filius est pars patris) hoc est crevisse ex ruinis ac cineribus fortasse veteris Grantecestriæ sive Camboriti sui concedit: atque ita quoque partem aliquã veteris Camboriti in suo nomine retinuisse; quod non concedit Stoveus sed corruptũ esse putat Cambrigiæ nomen. Atque à Granta fluvio & ponte superstructo verum & genuinum nomen deducit, nõ à Grantino aut Grantano Comite, nec ab ipso Cantebro interdum viri nomine apud Cantilepum & Lydgatum, interdum fluvij, interdum põtis, interdum fontis, vt ita inter põtem & fontem sit miserecordia.

Hodierna Cãtabr. non fuit murata: vetus Grantecestria fuit murata.

62 Postremò vetus Grantecestria muris fuit cincta provt satis liquidò ex Beda constat. inquit enim locellum propè muros civitatis inventum fuisse: hodiernam vero Cantabrigiam nunquam legi muris fuisse cinctam (licet Londinẽsis Henricum tertium illud cogitasse scribat qui fossâ tantũ munivit) quorum nec vlla ibidem vestigia apparent. Fuit quoque Grantecestria civitas, ac civitatis nomine innotuit quem-

quemadmodũ ex verbis Bedæ evincitur: at hodierna Cantabrigia veluti ex censuali libro certè perantiquo, constat, (vbi penè omnia huius regni oppida à tempore Conquisitionis Angliæ, proprijs ac debitis secundum censum & æstimationem titulis recensentur) non vocatur civitas aut vrbs, sed quod minus est, Burgus: inquit enim liber Censualis *Burgum de Grentbridge in decem custodias esse divisum, &c.* quanquam profectò non lego Burgum de Gentbridge, Regio fisco pro cæterarum vrbium ratione, quicquam antiquitús pendisse; quod vel privilegij ac libertatis (Arthurus enim Cantabrigiam ab omni regio tributo exemit vt posteà cognosces) vel nullius penè celebritatis in quovis negotiandi atq; mercandi genere, indicium esse potest; tametsi enim tu mihi Londinensis, omnium harum rerum copia, affluentissimam vrbem tuam esse velis, tamen in veteri illo carmine vbi de quarundam celeberrimarum huius Insulæ vrbium commoditatibus & ornamentis agitur,

Cēsualis liber

Cantabrigia parúm celebris apud antiquos.

Testis est London ratibus, Wintonia Baccho.
Herefordeq; grege, Worcestria fruge redundans.
Batha lacu, Sarumq; feris, Cantuaria pisce.
Eboracum Sylvis, Excestria clara metallis.
Northwicum datis, Hybernis Cestria gallis.
Cicestrum Northwagenijs, Dunelma propinquis.
Testis est Lincoln Vrbs infinita decore.
Testis Ely formosa situ, Rocestria visu.

Alias gens

Cantabrigia tua (Academia nihilominus fateor eruditissima & cui antiquitatis, literarum, atq; virtutum gloria, in toto penè terrarum orbe parem non novi, superiorem agnosco idq; vti spero probabo) nullo nomine laudatur. Sed hæc obiter.

Laus Cantabrigiæ.

63 Hodierna ergo Grātabrigia, nec est illa vetus Grātecestria, quæ iam declinavit in viculum autore Camdeno, nec est ille viculus, tum quòd in libro censuali quem omnibus historicis hàc in re præfero quique omnium oppidorum statum ac rationem complectitur (licet nulli historici nobis quicquam hac in re officiunt sed potius prosunt) Burgus dicitur

citur de Grentbridge, non viculus de Grentbridge, tum quod totum illum viculum (veterem scilicet Grantecestriã) Henricus Sextus Collegio suo Regio dedit (autore Camdeno) quod in hodierna Cantabrigia extruxerat; sed nõ dedit eidem collegio Vniversam Cantabrigiam hodiernam: nã Mertonenses Oxonienses fundos illic habent & molendina illa de quibus in fabulis suis Chaucerus: & cætera ibidem collegia libero tenemento vtuntur quæcunque in eodem Burgo de Grentbridge constituta sunt. Quidni enim Burgum dicerem quem ex censuali libro Burgum dici paulò supra probavi, iamque idem postremò ex historia Barnwellensi probabitur quam Camdenus in hunc modum scribentem producit, *Paganus Peverell impetravit ab Henrico primo locũ quendam extra Burgum Cantabrigiæ:* hęc historia Barnwellensis.

64 Quæ omnia si manifestissimè convincant hodiernũ Burgum de Grentbridge, non esse cum veteri Grantecestria eundem sed diversissimum, quid obest mi Londinensis, quo minus statim te omni magnifico tuo apparatu exuerẽ, omnia præsidia tua tollerem, & Cantabrigiam tuam tanta tua fabulositate oneratam atque etiam tectã & coopertam, propriæ iam ac priscæ ingenuitati Natalibusq; suis restitutam, omnibus conspiciendam proponerem.

65 Etenim quid si CaerGrant sive Grantecestria, antiqua Brytannorum fuerit civitas? Quid si Academia? quod nondùm probatum video, nec vnquam sum visurus si vel Methusalemi annos superarem; ergo hodierna Cantabrigia valdè antiqua est vrbs & Academia: egregia profectò ratio, & argumentum (vt superiores Logici vocarunt) materiale, quod non rei sed terminorum tantùm causa sequitur, cuiusmodi est illud, oves in agris balant, ergo aves in sylvis cantillant: nec magis valet quam si diceres Verulamium valde antiquam fuisse vrbem, ergo & hodiernam Cantabrigiam: tantum enim inter hæc duo, quantum interest inter veterẽ Grantecestriam & hodiernam Cantabrigiam licet loco sint

vicini.

viciniora; hocquè commune habeat: vetus scilicet vrbs ac noua, quod fortassè ex ruinis Grantecestriæ veteris (quod sępè vsuvenit) hodierna Cantabrigia crevisse dicatur. sed materiæ communitas eandem non facit vrbem: nam etiā scribente Londinensi Collegia quędam Cantabrigię ex ruinis castri Cantabrigiensis sunt condita, quæ tamen eadem cum castro non erunt, communis materiæ causâ vti ego existimo mi Londinensis: nam lapides maiores in agro tuo reperiri negat Bedas.

66 Eccè igitur quā parùm ad institutū tuū, longa ea vrbium veterum catalogorum ex antiquis scriptoribus mentio à te libro primo recitata pertinet: qui omnes in eo consentiunt, Caergrant quidem ac Grantecestriam antiquam Brytonum fuisse civitatem, vel civitatulam vt Bedas (quibus ego spontè mea accedo) sed non hodiernam Cantabrigiam de qua in præsenti quæritur. Nam quod ad vnius H Huntintō: catalogum attinet in quo omnis tua spes sita est, quam plenè tibi satisfiet, in libro sequenti intelliges. Interim quoniam de periodo veteris Grantæ eiusq; muris, satis commoda incidit mentio, videamus (etiam suppositis ipsius Londinensis fundamentis quibus ille Grantam veterem, & hodiernam Cantabrigiam, vnam eandemq; esse vrbem sibi concedi cupit) quam bellè conveniunt ea quæ de eversionibus ac restitutionibus vrbis ac Academiæ Cantabrigiensis (si placet) in libro historiæ suæ primo à Londinensi dicuntur.

67 Prima eversio Cantabrigiæ secundum Londinensem, erat circa annum salutis 300. à Maximiniano Dioclesiani Exercitus principe cuius eversionis restitutio anno 314 aut 443. per Octavium Regem fiebat, quemadmodum eidē Londinensi placet: sed primo hæc supputatio (vti vides) admodum est incerta, & vltra centum annos, tum ab eversione ad restitutionem, tum ab ipsa restitutionis supputatione discrepat. Secundò Gulielmus Soonus cuius antehæc mentionem fecimus, inquit in sua ad Georgium Bruinum Epistola hanc primam cladem à Dioclesiano & Maximiniano

Novem præclaræ Eversiones ac restitutiones Cantabrigiæ.

inter se conflictantibus Cantabrigiæ accidisse: at Londinensis inquit à Maximiniano, iussu Dioclesiani hanc cladem illatum esse: hic amicos, ille inimicos eos facit.

Secunda. 68 Secunda eversio (inquit Londinensis) per Dacos statim secuta est; cuius erat per Edwardum Seniorem restitutio; at Soonus sic; secunda clades erat per Saxones (non per Dacos) cum Pelagianis, cuius restitutio per Vortigerum erat, atq; ita tum in eversoribus, tum in restitutoribus differunt, siquidē Edwardus Senior quotuor penè sæculis à Vortigero aberat, atq; Daci multó Saxonibus posteriores hanc insulam invaserunt quemadmodum rerum nostrarum scriptores vna voce testantur omnes.

Tertia. 69 Tertia Cantabrigiæ eversio erat per Pelagianos anno 324. aut 441. secundum Londinensem, cuius tertia restitutio erat per Vortimerium, Vortigerij Regis Brytanniæ filium, & statim post per Arthurum, vt in Londinensi invenies: at primo videas hic quomodo à seipso dissentiat; nam tertiam restitutionem, primâ aliquot annis facit priorem, cū hanc tertiam euersionem ac restitutionem, tam cito primam insecutam fuisse, incredibile & ἀσυστατὸν est: Secundô dissētit a Soono, secundum quem tertia clades erat a Pictonibus ac Saxonibus, & à Cadwalladro Rege Monachatum induente restitutio tertia: ille ergo Vortimerium hic Cadwalladrum qui à Vortimerio longissimè abfuit, eiusdem cladis restitutorem facit,

Quarta 70 Quarta evetsio Cantabrigiæ erat per Ambrones, Pictos, & Saxones statim post Arthuri jobitum: restitutio per Ethelbertum Cantiorum Regem; anno 622. per Cadwallū, per Cadwalladrum, Honorium, Sergium, Sigebertum: ita Londinensis, qui primò à seipso dissentit, nam tertiam restitutionem superiùs Vortimerio, statimq; post Arthuro ascripserat, hic autem statim post Arthuri mortem, quartam eversionem accidisse dicit, quasi simul restitueretur ac everteretur Cantabrigia: secundo partem huius eversionis Ambronibus ascribit quos nunquam hanc terram invasisse ex Cam-

de-

deno probatur; tertiò dissentit à Gulielmo Soono, qui Cadwalladrum, restitutorem tertium, hic quartum facit; sic enim inquit Soonus *Quarta clades erat à Cymbris seu Danis, ducibus Inguar & vbba, cuius restitutio per Alphredum, & ita in hũc vsq; diem erat perducta Cantabrigia*: quasi ille nullam aliam aut eversionem aut restitutionem præter hanc quartam velit, nec Edwardum Seniorem, nec Monachos Croylandenses agniturus, in quo multùm à sententiâ Londinẽsis abest; qui quartam hanc eversionem Pictonibus ac Saxonibus, restitutionem autem Ethelberto, Cædwallo, Cadwalladro, Honorio, Sergioq; ascribit; Soonus autem Cymbris ac Danis eversionem, & vni Alphredo qui ab Ethelberto longissimè, à Cædwallo autèm Cadwalladroq; ducentos penè annos abfuit, ascribit.

71 Quinta eversio secundum Londinensem erat per Inguarem ac Vbbam Normannorum duces circa annũ 872. restitutio per Cadwallum anno 876, qui tamen iuxta Stoveum anno 635, regnavit, atq; etiam superiùs Londinensis ipse hoc tempus regni Cædwalli probavit, dum quartę restitutionis coadiutorem eum facit circa tempora Sigeberti, nempe paulò si placet ante illum: vixit igitur Cædwallus circa annum 630, & iuxta Londinensem etiam vsque ad annum 876. superfuit, vt bis vnius eiusdemq; ope in sua restitutione vteretur Cantabrigia: quin & à Soono dissentit, qui Inguarem & Vbbam Danorum, Londinensis vero Normannorum (quanquam inter hos & illos non multũ discriminis fuerit) duces fuisse scribit: similiter secundam Cantabrigiæ restitutionem Eduardo Aluredi filio natu maximo ascribit; quem etiam huiusce quintæ restitutionis socium & coadiutorem, sui oblitus, ac ἀμνηστίας legi nimium obtemperans, facit: quamobrem necessariò debemus Londinensi condonare illam quam secundam facit, cùm sit quinta si vlla: quinto enim loco, eam pro quinta restitutione habet: quintam autem eversionem aliam à secunda facit: quæ iuxta eum erat per Dacos, quinta vero per Normannos, quos ego cum à Quinta

Dacis aliquanto iniquius distinguere existimo: sed vtraq; eversio, Eduardum illum prædictum, restitutorem aut coadiutorem habet iuxta illius sententiam quidem perridiculam.

Sexta.

72 Sexta eversio Cantabrigiæ iuxta Londinensem per Dacos erat, ita enim notatur in margine: quæ tamen secunda eversio fuerat autore seipso: restitutio autem Sexta per Athelstanum, Edmundum, Eldredum, Edwinum, Edgarũ, Sanctum Edwardum & Etheldredum; quos enim Regum omisit qui in Cantabrigiam suam munifici non extiterunt?

Septima.

73 Eversio septima provt in margine annotavit, per Swanum Dacorum Regem erat, quæ nullam habet restitutionem, convenitq; cum octavâ, quæ per Dacorum exercitus fiebat, vti in margine etiam annotatum est, nec vllius restitutionis meminit, ne illam non solum restitutionem sed etiam institutionem ad Croylandenses referre videretur.

Octava eadẽ cum septima.

Nona.

74 Eversio nona ac novissima iuxta Londinensem erat anno 1215. per Barones, Ioannis Regis temporibus, cuius nullam certam restitutionem agnoscit: Ita ille quidem novem eversiones Cantabrigiæ suæ commemorat: Soonus tantum quatuor, & ijs quidem quæ quatuor illas vniversales huius terræ plagas, Romanam, Picticam, Saxonicam & Danicam facilè superarent: neuter tamen aut desolationis sub Beda, aut 18. domorum destructionis sub Gulielmo primo (quæ erat quædam quasi particularis eversio) aut illius præcipuæ, quam vaticinante Lelando, Granta sentit sentietq; semper, meminit, de qua postea in sequentibus dicturi sumus.

Experimentũ.

75 Age vero dic mihi Londinensis quaobrem remp: vestram amisistis non tam citò sed sæpè? Quere ab Hieronymo Cardano libro 15. de Rerum varietate cap. 78. is Hetrusca disciplina instructus experiundæ civitatis alicuius fortunę viam tibi monstrabit: consideretur is qui eodem die nascitur quo civitas perficitur, & quali fortuna is homo inter homines vtitur, tali quidem vrbs illa inter vrbes vsura est: omnes

qui

qui à Cantabro tuo profecti sunt, exules fuerunt, pulsi patria terrâ, miseri, afflicti: non mirum igitur si Cantabri civitas nõ dissimili fortuna vsa fuerit inter civitates, qua vsi sunt illi inter homines. Verum de his portentis satis fuisset dictum iãpridem: non enim adducor vt tantâ quenquam esse vecordiâ putem, qui mendacijs quorundam tam crassis, tam stupidis fidem vllam adhibendam esse putabit.

76 Ad ea potius oratio nostra deveniet, quæ vt maiorem veritatis speciem præ se ferunt, ita facilius creduntur, & semel credita (licet sero credita non noceant) difficilius ex hominum animis evelluntur, diplomata scilicet antiquissimorum Brytanniæ Regum, nec non Romanorum pontificũ intelligo, quæ & in confirmationẽ Antiquitatis Cantabrigiæ suæ, & privilegiorum ostentationem à Londinensi libro Antiquitatis Academiæ suæ primo confidentissime producuntur, ab Arthuro ipso inchoando, cuius antiquissimum ad Cantabrigiensem Academiam diploma, in hunc modum à Londinensi recensetur.

77 *Arthurus Regali à Deo fultus dignitate omnibus suis salutem. Quia omnipotens Deus per misericordiam clementiæ absque vllo antecedente merito, sceptra Regis mihi largitus est, libenter ei ex eo quod dedit retribuo: Idcirco eius gratia eruditus pro amore cælestis patriæ, remedioq; animarum antecessorum meorum Britanniæ Regum, pro augmentatione insuper reip: regni meæ Britanniæ, ac profectu spirituali scholarium in lege Domini iugiter Cãtabrigiæ studentium, consilio & assensu omnium & singulorum Põtificum & Principum istius regni, & licentia sedis Apostolicæ, statui præsenti scripto & firmiter decerno, vt civitas Scholarium prædicta (vbi hactenus splendorem scientiæ & lumen doctrinæ, gratia favente conditoris, mei prædecessores acceperunt) à publicis vectigalibus & operibus onerosis absoluatur, vt quietudine doctores ibi & scholares valeant doctrinæ studio inhærere, sicut gloriosus rex Britanniæ Lucius decrevit, Christianitatem amplectens prædicatione doctorum Cantebrigiæ. Quamobrem sint scholares atq; doctores Cantebrigiæ manentes in tranquillitate perpetua tuti, privile-*

Arthurianum diploma Cantabrigiæ concessum.

gijsq; muniti regalibus cum suis rebus & familiaribus, ab omnibus secularibus servitutibus, nec non à Regalibus tributis maioribus seu minoribus. Datum anno ab incarnatione Domini 531. *vij die Aprilis in civitate Londinensi.*

Arthuriani Diplomatis examen.

78 Hæc Arthurus. Cuius diploma si omninò vanum, ac ingenti adulterandi libidine confictum ostenderimus, illud solum facturi sumus quod multò ante nos Ioannes Lelandus historiæ princeps in Assertione Arthuri facturum se decreuerat, *Est (inquit) in Archiuis Grantæ Giruiorum tabula diplomatis ab Arthuro aliquando erogati in gratiam studiosorum, fidem tamen facti nondum satis excussi.* Hæc is, cuius tamen iudicium de historiola Cantabrigiensi ac centenarijs illius fabulis, ex quibus est hoc etiam sine dubio diploma, gravissimũ certè superiùs accepimus: age verò, nam si ex Lelando ipso in Arthuri Assertione, argumentum tam validum adduci possit, vt si obijciatur, omnem huiusce conficti diplomatis vim infringat, certè Lelandus ipse fecisse satis videbitur, licet fidem illius facti se nondum excussisse scribat.

Argumentũ primum.

79 Nam vt salutationem ipsam, novo salutandi genere imprimis accipiamus, quis ignorat, illud esse semperque solenne Regibus fuisse ac Imperatoribus & Optimatibus, vt regnorum, imperiorumq; suorum nec non honorum ac Maiestatis suæ titulos chartis suis præponerent: fecit hoc Iustinianus Imperator Arthuro vt multi tradunt æqualis: fecit hoc etiam Cadwalladrus, provt in suo quoq; ad Cantabrigienses diplomate constabit, de quo in sequentibus: neque verò Arthuro omnium Britanniæ Regum amplissimo, celeberrima honorum nomina, & Augustissimi tituli defuere, si Lelando oculato testi credendum, qui antiquissimum Arthuri sigillum quo in suis sine dubio confirmandis vtebatur, hac magnorum characterum inscriptione insignitum in Ecclesia Westmonasteriensi se vidisse testatur: *Patritius Arthurius, Britanniæ, Galliæ, Germaniæ, Daciæ Imperator, &c*: credibile ne est apud eos qui quicquam iudicio possunt, Arthurum tanto stylo in sigillo, ac non in ipsis scriptis fuisse vsum? in sigillo

Sigillum Arthuri.

gillo suo, quam in scripto honorari maluisse? In sigillo Patritium se dicit, quod senatoriæ dignitatis est nomen, & tamē in diplomate omittitur: Arthurium quoq; se dicit, non Arthurum, Imperatorem quoque, non Regem vt in diplomate, cuius adulterationis hoc primum esto indicium, quod ab inscriptione sigilli Arthuriani ductum est.

80 De quo dubitari potest (fateor) ab ijs qui antiquissimis nostris Brytannis sigillorum huiusmodi rationem negaverunt, eorumq; originem Normannis ascripserunt, de qua sic scriptum reliquit Ingulfus Abbas Croylandensis historicus. *Chirographorum (inquit) confectionem Anglicanam quæ antea vsque ad Edwardi Regis tempora fidelium præsentiū subscriptionibus cum crucibus aureis alijsq; sacris signaculis firma fuerūt, Normanni condemnantes, Chirographa, chartas vocabāt, & chartarum firmitatem cum cerea impressione per vniuscuiusque speciale sigillum sub instillatione trium vel quatuor testium astantium conficere constituebant, &c.* hæc Ingulfus. Sigillorū origo.

81 At Henricum primum Belloclericum, omnium Regum Anglicorum, primò, sigillo de cera vsum fuisse author est Rossus: licet Matheus Cantuariensis in Anselmo, hoc ipsum ad Edwardum primum referat, ante quem antiquos Reges, sigilla diplomatibus suis non appendisse scribit, sed Sinistro chirographi lateri affixisse, vt Henricus primus fecit in diplomate suo ad Anselmum, cuiusmodi ipse vidi in Honoratissimi Domini Lumlæi bibliotheca, ab ipso Gulielmo Neustriorum duce diploma brevissimum ac minutissimum, vt exinde perspicere liceret, quanta fuerit temporum eorū simplicitas.

82 Sigillum quoque erat lateri affixum, non in fine appensum (vt nunc dierum) nam Edwardus primus multó postea illum morem induxerat authore Matheo Cantuariensi, licet Lōdinensis scribat, Henrici 2[i] chartā monasterio Glastoniensi concessā se vidisse, cuius sigillū ceræ viridis de filo serico albo atq; rubro pendebat, non lateri affixum hærebat prout moris erat ante Edvardū primū post cōquestum referente

Londinensis & Math. Cantuariensis dissonantia.

rente

rente vti diximus Matheo Cantuarienſi, quorũ vtri ſit credendum, non multùm refert: Ingulfo certè nihil detractum video, ſi verba ſua Saxonibus accommodentur, non Brytannis, de quorum ſigillis, vlla ne apud eos fuerint necne, non dicit. Sed quærant iſta diligentiùs Arthuriani nominis aſſertores, quibus ego ante non accedam, quam certiſſimis rationibus de re tanti momẽti mihi liquere potuerit; huic igitur ſoli diplomati me accommodabo, quod ſi evertero, iuſtam facti rationem pro illis allaturus ſum, qui cætera Arthuri fabuloſiſſima iampridem everterunt: ſin minus, temeritatis meæ pænas daturus.

83 Etenim quantum ego ex ipſius Arthuri verbis aſſequi poſſum, ad nullos alios homines præterquàm ad Brytannos, huius diplomatis ſui beneficium extendendum erat: inquit enim *Arthurus regali à deo fultus dignitate omnibus ſuis* (id eſt) *Brytannis ſalutem &c.* & rurſus, *pro augmentatione regni meæ Brytanniæ &c.* quaſi omnes Brytanni ſui, eſſent, aut ipſe totiùs Brytanniæ monarcha, cum Gildas ſapiẽs in ſua de Excidio & cleri Brytannici caſtigatione Epiſtola, tres aut quatuor Reges ſimul allocutus eſt, Aurelianum Conanum, Vortiporum, Cuneglaſum, quos ad pænitentiam agendam exhortatur: manifeſtum mihi crede indicium, illos quatuor reges ſimul in vivis fuiſſe, quid enim mortuos ad pænitentiam hortaretur? (vt Octam Hengiſti nepotẽ in Cantiano agro, & Cerdicum cum Kenricò filio in occidentali parte etiam eo ipſo tempore regnantem, omittam) nõ fuit igitur totius Brytanniæ Monarcha Arthurus; quo minus aut pro remedio animarum prædeceſſorum ſuorum Brytanniæ Regum, aut pro augmentatione Brytanniæ ſuæ, aut Cantabrigienſium rebus adeo ſolicitus eſſe debuerat.

Secundum.

Arthurus non fuit Monarcha

84 Niſi illud dicas quo nihil gratius mihi diceres, Cantabrigienſes tunc in ſuis fuiſſe habitos, aut Arthurianis imperijs parviſſe. Anno igitur Domini 531. Cantabrigienſes Brytanni ſi placet fuerunt, aut Brytanni tum cum hoc diploma datum eſt, Cantabrigiæ ſtuduerunt, quod idem eſt,

Tertium.

ſed

sed falsissimum vtrumq., si verissimum sit illud quod supra docuimus ex Beda & Lelando & alijs Chergrantium Brytannorum sive Caergrant, quam Saxones Grantecestriam nominarunt circa ea tempora fuisse desolatam, vel interfectis vel fugatis civibus, vt semel iterum ex Lelando admoneam, quamobrem neq; Brytanni neq; Saxones in veteri civitatula Brytannorum Grantâ Arthuri temporibus studere potuerunt: nec magis profectò in nova & hodierna Cantabrigia quam Saxones ipsi condiderunt (non tam citò tamē post desolationem veteris vt huiusce diplomatis concessi iusto tempori respondeat) quibus Arthurus hoc se privilegium non dedisse profitetur, sed suis. Grantecestria (id est hodierna Cantabrigia iuxta Londinensem) fuit desolata eo tēpore quo Arthurus hoc privilegium concessit.

85 Saxones autem sui non erant (nisi fortè sui hostes) sed odiosissimi, sed infensissimi; quibus non solum non optaret salutem Arthurus (quam in exordio diplomatis optat) sed omne exitium, omnemq; perniciem ex animo optaret: quorum mores ferocissimos, ac fidem impijssimam (nam Brytones non magis communicabant Anglis quam Paganis, fidē eorum nihili pendentes inquit H. Huntindonensis libro 3) execrabatur Arthurus quoniàm è Brytonibus erat; hic tamē dicit pro spirituali scholarium suorum (si Saxones sui essent) profectu, in lege Domini (si de tanta pietate Saxonum cogitasset) Cantabrigiæ studentium (si Cantabrigia tùm fuerat) istud privilegium Regale (si infestissimos hostes Regalibus privilegijs ornaret) concessisse.

86 Deniq; privilegium hoc Arthurianum, aut veteri Grantæ concessum est, aut novæ & hodiernæ Cantabrigiæ, si veteri Grantæ, quorsùm quæso Cantabrigiam nominat Arthurus, quod profectò novæ vrbis est nomen, non veteris, provt supra abundè dictum est. Arthurus igitur ignoto suis vocabulo in suo ad suos diplomate, vsus est, quod sui nullo modo intelligerent, cum sit Saxonicū. Si Cantabrigiæ hodiernæ; illa certè eo tempore non erat condita, & proinde fuit instar desolatæ sicut vetus Ganta: non potuit itaq; Cantabrigiæ scilicet hodiernæ Vrbi concedi. Quartum.

87 Sed demus Cantabrigiam tunc extitisse hodiernam (quod nemo vnquam probabit) aut etiam Grantam veterē: quid inde mi Londinensis? videamus illorum temporum statum, vt faciliùs iudicemus, an illa quæ in hoc diplomate cōtinentur, cum illorum temporum ratione vllo pacto conveniant. *Anno gratiæ 527 (inquit Florilegus) venerunt de Germania Pagani & occuparunt Estangliam (1) regionem illam quæ Orientalium Anglorum regio dicitur, & omni crudelitatis genere Christianos affecerunt.* hęc Florilegus: eccè gravissimā in Estā-glia eodem penè tempore quo Arthurus diploma suum Cātabrigiensibus concessit plagam qua Pagani orientales Anglos præcipuè Christianos contuderunt: quid igitur de clero Cantabrigiensi fiebat sive in veteri sive hodiernà vrbe constituto? illud enim nihil refert, modò vtraq; Orientalium Anglorum fuerit civitas, immo & caput totius patriæ circummiacentis (ex nigro codice loquor) vt hinc apud te consideres, an Paganorum incendium non ab ipso capite incæperit. Si ego ex hac plagâ factum fuisse putarem, vt vetus Granta desolaretur primum, de qua re supra ex Beda, cum hic interfectos ac fugitos illius provinciæ incolas ex Florilego subintelligam, & proinde cives veteris quoque Grantæ vna occubuisse, ex Lelando; fortasse quidem non aberrarem.

Quintum.

Coniectura de excidio Grantecestrię

88 Iam igitur consideremus tempus ipsum, quo hæc tanta mala Orientalibus Anglis & proinde Cantabrigiensibus acciderunt: Fuit is annus gratiæ autore Florilego quingentesimus vicesimus septimns; quadriennio scilicet ante datum hoc diploma, quod Christi annum quingentesimum tricesimum primum gerit. Vetus igitur Granta Brytannorū sub Vtherpendracone desolata penitus fuerat ac funditus eversa, antequam Arthurus rerum potitus erat: nam Vtherpē-dracone regnante adhuc, hanc cladem Brytannis accidisse scribit Florilegus. desolata igitur fuit Granta antequam Arthurianum regnum incæpit, etiam secundum hanc supputationem: sed multo, magis secundum Ranulfum Cicestrensē qui scribit Arthurum ante annum 544. non regnasse, quo tē-

pore

pore alij eum obijsse scribunt, Tilberiensis verò anno 515 Arthurum ex humanis discessisse author est. Vt hinc perspicias quam nulla sit huiusce Arthuriani diplomatis ratio, cuius tot sunt impedimenta, vt nec vrbi veteri, nec nouæ quæ hodierna est, concedi vllo modo potuerit.

89 At inquies: esto tunc vetus Granta sub Vtherpendracone desolata, & aliquantò ante regni Arthuriani initiū, quadriennio verò ante huiusce diplomatis concessionem, hæc certe non impedient huiusce diplomatis veritatem; nā Arthurum ipsum Cantabrigiam restituisse dicet tibi Londinensis. Quem ego audiam, cū sententiam suam aliundè quā ex centenariarum fabularum codice, aut ex hoc diplomate, de cuius fide iam quæritur, demonstratum videro: Est tamē quod iam ex ipso Londinensi respondeam, qui Arthurum, illius, per Pelagianos anno Christi 394. aut 441. Cantabrigiæ (si placet) euersionis, restitutorem facit, non autem huiusce per Paganos & Saxones anno 527.

Arthurum restituisse Cantabrigiā, falsū

90 Pergamus, & videamus, an illo tempore, tantus fuerit scholarium in lege Domini Cantabrigiæ spiritualis profectus, tantus scientiæ atque doctrinę splendor, quantum in suo diplomate magnificis verbis deprædicat Arthurus iste adulterinus, Nam si tanta tùm fuisset Clericalis ordinis pietas apud Brytanno-Cantabrigienses, profectò non video quorsùm antiquissimæ memoriæ & qui illis Arthuri temporibus par fuerat scriptor Gildas, in sua de Excidio Brytanniæ epistola, *odium veritatis cum assertatoribus, amorem mendacij cum suis fabricatoribus, susceptionem mali pro bono, venerationem nequitiæ pro benignitate, cupidinem tenebrarum pro sole, acceptionē Satanæ pro Angelo lucis*, (sunt ipsius verba) in causas Brytannici excidij referre ausus fuisset.

Sextum

Cantabrigia religionis & literarum studijs Arthuri diebus non floruit.

91 Quin & quorsùm ipse castigationem tam acrem in clerum sui temporis ederet *quis* (inquit Gildas) *sacerdotū huius temporis, ita ignorantiæ cæcitatem depellit vt ceu lux clarissima lucerna in aliqua domo cunctis noctu residentibus scientia simul & bonorum operum lampade luceat?*) tot ac tam diuinis virtutibus

ornatũ & excultũ, ad Arthuriani diplomatis sensum: quorsum etiam hæreticum, sacrilegumq; clerum tunc Ecclesiæ Brytannicæ præfuisse non obscurè significaret, si tanta tum quoquè simul in gymnasio Cantabrigiensi, pietatis, & bonarum literarum incrementa extitissent? vt hinc Lydgatus tuus intelligat quantùm aberraverit, cũ Cantabrigiam nunquam hæreseos crimen subijsse dixerit, & tamen Anaxagoram philosophum Græcum de quo suprà, (argumentũ Lydgato dignum) Cantabrigiæ suæ alumnum (si dijs placet) esse voluit, qui ob suam hæresin quâ solem ignitum esse lapidem asserebat, veneno ab Atheniensibus sublatus est, scribente in Granarij sui parte primâ quæ de historijs & historiographis intitulatur, Ioanne de loco Frumenti sive Whethamsted, olim monasterij Albanensis Abbate.

Cantabrigia hæretica olim fuit contra Lydgatum.

Septimum.

92 Immò quod ad superiores Arthuro Brytanniæ Reges attinet, si illi quidèm succum adeò suavem pietatis ac literarum humaniorum Cantabrigiæ imbibissent (vt ad sensũ Arthuriani diplomatis colligitur) quid attinebat ad ipsorum animarum remedium, qui satis sine dubio fœlices erant si tã pij, tam religiosi, Cantabrigienses hoc privilegio ornare, vt apertè in suo diplomate Arthurus: at nec Arthuro ipsi nec suis prædecessoribus Regibus vti videtur, res tam fœlicitèr cessit: *Ungebantur enim Reges* (inquit de Regibus Brytannicis Gildas) *non per Dominum, sed qui cæteris crudeliores existerent, & paulò post ab unctoribus, non pro veri examinatione, trucidabantur, alijs electis trucioribus.* Hæc Gildas, etiam Arthuri autore Rosso Capellanus, quem & illis verbis, Arthurũ quoquè ipsum tacitè comprehendisse ob cædem Hoëli Gildæ fratris, Arthuro ipso homicidâ, ferunt: & tamen tantos prædicti Reges, humanitatis, ac divini metus fructus à Cantabrigiensibus perceperunt?

Regum Britãnorum crudelitas.

93 Mitto alia nimis quidèm absurda: de quibus quoties cogito, toties verendum mihi video, ne gravissimam levitatis ac vanitatis suspicionem subirem, si doctis hominibus refellenda, vel respondenda proponerem. Cuiusmodi

est

est illud quo Arthurus se hoc diploma ex licentia sedis Apostolicæ concessisse scribit; cuius quidem autoritas quantum apud veteres Britannos valebat, non ita multo posteà etiã regnante tunc (ni fallor) aut non multo antè, Arthuro, satis declarabant, cum ne Augustino quidèm cũ Pontificijs mandatis venienti, obedire vellent, sed modis omnibus ad interitum vsque resisterent: hic tamen Arthurus pontificium expectavit nutum, cum omnes historici asserant Arthurum, animo in Romanos admodum hostili fuisse, tributum illis negasse, autoritatem lusisse, tantum aberat Arthurus vt vel Imperatoris vel pontificis Romani in suos iurisdictionem hoc suo facto confirmaret, atquè ità Cãtabrigienses à propria eximens autoritate (quod in diplomate apertè facit (& omnibus sæcularibus servitutibus liberans (Regalibus enim privilegijs munitos esse vult) semetipsum Brytannorum omnium (si dijs placet) maximum & per totum terrarum orbem decantatissimum, turpissimæ Romanorum servituti subijceret: nec libertatem alijs concederet, nisi ipse prius fieret servus. Octavum.

Arthurus plus Cãtabrigiensibus concessit quam ipse habuit.

94 Vtri ergo liberiores Cantabrigienses an Arthurus? certe Cantabrigienses: illi enim non solùm ex consensu omnium ordinum factisunt Reges (non solum enim liberantur hic à Regalibus tributis maioribus seu minoribus, sed etiam iubentur vti regalibus. h. e. fieri reges) sed etiam regio diplomate, & assensu etiam pontificio in sua maiestate Regia cõstituuntur vt per se nullo obstante, regalia sua privilegia exerceant, si reges esse velint: at Arthurus suo regio privilegio in alijs creandis Regibus, absq; sedis Apostolicæ licentia vti non potuit: nam si potuit, quorsùm se ipsum adversus hostes suos Saxones, regia autoritate non munivit, quorsùm non effecit vt Saxones ipsum iam Regem agnoscerent, eiusque imperijs parerent? deniq; quorsùm ad hoc diploma concedendum, pontificiam licentiam impetrandum esse censuit.

95 Pudet etiam videre quàm parùm politici principis munus calluit Arthurus, qui in maximis reip. fluctibus, Nonum.

occupato ab hostibus regno(sic enim tunc stetit Britannia) cùm præcipuè de defectione suorum sibi timendum esset, atq; cavendum, non solùm illud non prospicit quo severiùs suos in officio retineat, ipsum spectent, atq; ad ipsius nutum comparentur, sed omninò sui arbitrij clerum Cantabrigiensem, cum suis omnibus esse permittit, à propria iurisdictione eximit, ratumq; esse vult, vt iam non amplius Regi pareant, sed æquentur, regalibus suis privilegijs ad arbitrium suum vtentes, quod tanto Rege (in loco præsertim tam remoto) indignissimum foret.

96 Repugnat etiam historijs quæ prudentissimum eũ faciunt, iuxta ac ferendarum legum peritissimum: condidisse etenim legem qua Saxones postea vsi sunt, Normannus verò confirmavit (vt in Archaionomia Lambertus) Motbel & Folcmote, dictam qua cautum esse voluit, vt singulis annis in capite Kalendarum Maij, in pleno suorum Folcmote, omnes proceres regni cum liberis hominibus vniversis, fidelitatem domino Regi coram Episcopis regni præstare tenerẽtur, idq; gravissimæ mulctæ adiectione, quæ sine dubio tributi rationem obtinebat, ratũ esse voluit atq; firmatum, cuius vi legis (inquit in suis legibus Gulielmus Normannus apud Lambertum in Archaionomia) & suos in vnitate retinuit, & alienos scilicet Saracenos atq; Paganos è suis finibus eiecit.

Arthuri in ferendis legibus peritia.

97 Inerat huic legi secularis quædam tributi ratio, iuxta explicationem Gulielmi Regis primi, qui fusè satis ad illius sensum simile decretum promulgavit: an ergo verisimile tibi videtur, Arthurum à proceribus & Optimatibus suis hoc obsequium exegisse, & tamen eorundem Optimatum cõsilio, Cantabrigienses vna cum suis familiaribus tot ac tantis privilegijs Regalibus munivisse, vt huiusce legis observationem ab illis non omnino exigeret? in quo nec ducentis suis philosophis in gymnasio Caerleonensi pepercit, nec Astrologis suis qui ventura ei prædicebant, & tamen de tanto adulteratore futuro qui iniquissimo eum diplomate oneraret,

non

non præmonebant. Nec mirum, nam & illud in futuris erat, Arthurum ipsum esse futurum; in cuius adventum, Nicholaus Cantilepus vel quicunq; alius adulterationis artifex, hoc diploma iam pridem paratum confinxit.

98 Qui & antiquissimum Brytannorum Regem Lucium, hoc idem quod Arthurus in gratiam Cantabrigiensium decrevisse olim scribit, prædicatione doctorum (si placet) Cantabrigiæ, Christianitatem amplectentem, insigne profectò commentum: prædicatione doctorum Cantabrigiæ? quid? an Cantabrigia nova & hodierna vrbs à Saxonibus condita desolatâ veteri Granta, Lucij Regis temporibus (paulò scilicet post Christum passum) vrbs aut Academia fuerat? immô verò & ante Lucium quoq; respondet Londinensis ex Annalibus Burtonensis cænobij super Trentam vbi se sic legisse scribit, *Hic baptizati sunt nouem ex doctoribus & scholaribus Cantabrigiæ.* Ita is, anno scilicet gratiæ 141. cui cõsentit Hollinshedus, licet aliquantò dissentiat, cum dicat se etiam in iisdem Annalibus legisse, novem scholares fuisse eo tempore Grantæ (non Cantabrigiæ vt legit Londinensis) baptizatos.

Insigne adulteratoris commentum.

Decimum.

Non fuit Cantabrigiense studium temporibus Regis Lucij.

99 Sed consideremus verba: *Hic baptizati sunt novem* &c. vbi quæso? An quoniam in Brytannia, ergonè Cantabrigiæ? quamobrem etiam nõ eadem ratione Oxoniæ? quod profectò non magis sequitur, quam quoniam si alicubi scilicet, vel in mundi vniverso aliquid fieret, statim inferres, illud in Brytannia esse factum. An verò apud monasterium de Burton quod Etheldredi (nõ Lucij) Regis tempore anno domini millesimo quarto, Wlfricus cognomento Spot fundavit? an apud Grantam veterem? proferatur igitur is à quo (nisi à põtificijs legatis dixeris) baptizati, & nomina illorum qui baptizati sunt. Nam quod Hollinshedus Taurinum episcopum Ebroicensem (non Eboracensem) tanquam eorum vnum proferat, quem tamen postea reijcit quemadmodum & nos, illud quidem parùm ab eo cordatè factum. An apud Cantabrigiam novam? proferatur igitur ex Annalibus illis

Monasterium Burtonense.

locus

locus qui mihi diligentissimè & veluti per lancem & licium hac de re perquirenti in ijsdem, nunquam occurrit.

100 Vt illud omittam, non à suis hominibus scilicet Cantabrigiæ doctoribus, Eluano & Meduino, sed à pontificijs legatis Fugatio & Damniano (si Matheo Cantuariēsi credendum) Lucium & baptizatum fuisse & nomen Christo dedisse. proinde quod ad illa privilegia attinet, quæ ex Memoriali historiarum (vbi nihil profectò huiusmodi est in illo exemplari quod in honoratiss. Domini Lumlæi bibliotheca vidimus) Eleutherius Romanorum Pontifex referente Londinensi per oratores Lucij, ad Cantabrigiam si placet misisse dicitur, breviter & vt poeta loquitur ἐπέεσσι πτερόεσσι ex epistola Eleutherij pontificijs ad Lucium, respondeo *Suscepistis (inquit Eleutherius) nuper miseratione diuina in regno Brytanniæ legem & fidem Christi habetis penes vos vtramq; paginam, ex illis Dei gratiâ per concilium regni vestri sume legem, & per illam Dei patientia vestrum Reges Brytanniæ regnum &c.* Nam superius rationem reddidit, quia leges Romanas & Cæsaris respuere potuerint, non autem Dei.

De priuilegijs ab Eleutherio Cantabrigiā missis.

Valida πίστις

101 Ex quo manifestissimè convinco, Eleutheriū Romanum pontificem nullam hic iurisdictionem in concedēdis aut tollendis privilegijs vsurpasse: Lucium verò ipsum, privilegia Cantabrigiensibus concessisse quod affirmat in suo diplomate Arthurus iste adulterinus, & rebus ipsis repugnat & rationi temporis, sine qua ἀδύνατον τὰ τῆς ἱστορίας ἀληθεύειν inquit Tatianus. Nam Bannochorensibus favisse Lucium ex multis intellexi, qui etiam adventu postea Augustini in illa fide quam olim Lucij Regis opera acceperunt, extincti sunt: multoq; difficilius Romano pōtifici fuerat & Legato Augustino veteres illos Bannochorenses, Christianos tamen, autoritati suæ subiicere sicut & reliquos Ecclesiæ Brytannicæ Prælatos, quam fuit Eleutherio, infidelium Archiflamines & Flamines sub Lucio, paganismi temporibus per totam Brytanniam deponere.

Vndecimum.

Lucius priuilegia Cantabrigiensibus non dedit.

102 Cantabrigiensibus verò Lucium favisse, deus bone

quan-

quantum, quantum & quam ἀσύστατον figmentum: Eleutherium quoque (si dijs placet) Cantabrigiæ privilegia dedisse, quis ferat? nam si pro vniverso Brytanniæ regno (etiam rogante Lucio) administrando, vt apertissime ex illius epistola constat, leges non dederit, an credibile est, eum Cantabrigiensibus iura, leges, ac privilegia concessisse? Quorsum etiam concederet, vbi nulla erat ad observandum obligatio? ipse enim scribit Brytannos leges Romanas recusare potuisse. *Leges Romanas & Cæsaris recusare potestis, &c*: si Cæsaris, cui tunc paruit Brytannia; multo magis pontificis qui quoad ista, Cæsari quoque tùm paruit.

103 Vides igitùr mî Londinensis, quam iustâ ratione, Eleutheriana, tua privilegia recusamus, ab ipsa Roma si credimus per Lucij oratores Cantabrigiam transmissa, non minus quàm hoc Arthurianũ è civitate Londinensi ab Arthuro per Walwainum pugilem ad Kynotum Cantabrigiensis Academiæ tunc Rectorem transmissum dicis: sed quâ fide, iam intelliges.

104 Etenim hoc diploma vel in prima Arthuri coronatione, concessum est, vel in secunda. Si in prima, fateor quidem paulò post primam à Dubritio in vrbe Cilcestriæ, Coronationem, Arthurum sedecim annorum puerum autore Monumetense & Gulielmo Malmesburiensi in Antiquitatibus Glastoniensis cœnobij, concilium suorum Londoniis habuisse de expellendis à regno suo Paganis: sed fuit is annus domini quingentesimus decimus sextus aut ad summum quingētesimus decimus septimus, cùm hoc diploma detur ex civitate Londinensi, anno Domini 531. illo igitur tempore hoc diploma Cantabrigiensibus dari non potuit. Si vel in secundâ suâ coronatione ab eodem in vrbe Cilcestriæ Dubritio, fuit ea coronatio anno domini 526. post suum ab Hybernia reditum, atque ita hic quinq; aut sex annorũ defectus est ad iustam temporis quo hoc diploma datum est supputationem.

Duodecimum Duplex Arthuri coronatio.

105 Post illam vero Augustissimam in vrbe Legionum

coronationem, Arthurus nunquam Londonijs affuit, Caerleoni semper agens vsq; ad tempus legationis Romanorum ad eum transmissæ: etenim apud Sylvestrũ Gyraldũ & Monumetensem, legatos Romanorum illuc ad Arthurum venisse legimus, neq; aliò postea nisi ad portum Hãmonis trãsfretandi in Gallias causâ se contulisse: post reditum vero à Gallijs, neque Londoniæ affuit, neque illud diploma Cãtabrigiam misit Arthurus per Walwainum nepotem suũ ac pugilem, qui annum agens (etiam eo ipso tempore quo hoc diploma datũ est) duodecimum vel decimum tertiũ, in obsequium Sulpitio papæ ab avunculo Arthuro datus est autore Monumetensi Romamq; transmissus.

Arthurus post secundum coronationem Londini non fuit.

Decimum tertium. Walwainus.

106 Hiccine igitur puer Walwainus & iam tum absens in deferendo hoc diplomate tabellarius Cantabrigiensis erat? Ille verò vt diximus Caerleoni sex aut septem annorũ spatio cõtinuo egit: tandẽ verò Gallias ad congrediendũ cũ Romanis repetens, cum ibi decem aut vndecim annos egisset, audita suorum defectione, in Brytanniã reversus est, atq; ad portum Rutupinum in prælio adversus Mordredum dubio exitu è medio sublatus est anno domini 542 (vndecimo scilicet anno post datum hoc diploma, paulò ante secundam in Gallias expeditionem quando fuit Caerleoni nõ Londoniæ, Walwainus iuvenis Romæ, vel paulò post illam expeditionem dũ esset absens, (hęc enim nulla sunt apud Londinensem) anno ætatis suæ quadragesimo primo, regni vero vicesimo sexto.

Arthuri obitus

107 Quo etiã tẽpore Sanctus David iuxta Monumetẽsem, quem & Dewy, Rice-Marchus illius vitæ scriptor antiquissimus, vocat, Archiepiscopus Menevensis obijt; cui successit in metropolitanâ sede Kincus quidam nomine quem & Gyraldus ni fallor Cenauc nominat, antea Lampaternẽsis ecclesiæ Antistes: hic est ille Kynotus à Lõdinẽsi libro historiæ Cãtabrigiæ suæ primo productus, quẽ iam cogites, an Cantabrigiensis Academiæ rector tum cũ hoc diploma datũ est, esse potuerit, quemadmodum Londinensis asserit.

Kynotus Cantabrigiæ Rector sub Arthuro.

108 Sed

108 Sed et communem fidei faciendę rationem in hoc diplomate desidero, ab adulteratore Regij diplomatis incogitanter admodum prætermissam. vbi enim Arthuriani nominis, & testium presentium subscriptio? nam si dicas illis priscis temporibus, id moris non fuisse, convincam certe ex Ioanne Prisæo, nisi falsus & ille est, qui in historiæ Brytãnicæ & assertionis Arthurianæ defensione, Landavensis ecclesiæ librum antiquissimũ ac vetustissimum penes se ipsum fuisse dicit, illis qui fidem desiderant ostensurum, vbi cuiusdam magni Arthuri filij nomine Noe, Landavensi Ecclesiæ, donationis charta antiquissima continetur, multorum testium subscriptionibus confirmata atq; munita, quemadmodum & hoc diploma esse debebat (iam enim ostensum est eum morem Arthuri diebus extitisse) si verum, si non confictum & iam quoq; convictum, si deniq; Arthurianum ipsum & à tanto principe profectum videretur. Decimum quartum.

Confirmatio chirographorum apud Britannos

109 Deniq; Londinensis, vndè hoc diploma habuerit, non confirmat. Si ex nigro codice; quare nõ fatetur? an quoniam Lelandus omnem fidem ei excussit & centenariarum fabularum nomine Æsopo fere ascripsit? si ex registro Academiæ suæ, vbi & antiquissimorum pontificum Rom: privilegiorum exemplificationes autore Londinensi habentur, quorsum nulla huiusce diplomatis mentio, nulla trãnscribẽdi cura, quod de pontificijs bullis factum est. si deniq; ex turri Londinensi (illic enim in Archiuis Regijs in Instrumento qvod inspeximus vocant extitisse, suo tempore quorundam famâ Londinensis refert) quorsum Rob. Harus qui diligenter vtriusq; Academiæ Memorabilia ac privilegia ex illius loci nec nõ alijs Regijs Archivis collegit, hoc diploma neglexit tantæ antiquitatis monumentum? Vltimum.

110 Vides igitur hic æquissime lector, nullam historiæ fidem, nullam facti verisimilitudinem, nullam ad faciendum potestatem, ius nullum, nullam deniq; in re ipsa aut hominũ aut ipsius chronologiæ rationem: censuit enim adulterator (id quod multi olim Britones) Arthurum suum adhuc in vivis

Arthurianum diploma Cantabrigiæ concessum, adulterinum esse concluditur.

vis esse, & proinde nullam omnino temporis rationem adhibendam: nos autem adhibuimus & singulos diplomatis articulos (vbi opus erat) ad eam exactè revocavimus, & firmissimis rationibus ex ipsis rebus & historiarum autoribus quam optimis, desumptis confutauimus.

111 Nam quod ad illud argumentum attinet quod ex Eleutherij ad Lucium Epistola duximus, fateor quidem esse Theologicum, & imprimis adversus pontificium primatum valere, quemadmodum censuit Theologorum dulce decus Iuellus, Collegii quod Corporis Christi nomine Oxoniæ floret, alumnus: visum tamē mihi est etiam huic ipsi loco accommodatissimum, ad illa privilegia tollenda quæ ratione pontificiæ iurisdictionis cuius contrarium in epistola asseritur, Romanus pontifex Eleutherius (vt apertiùs in Honorii bulla continetur) Cantabrigiensibus dedisse dcitur. Ad cuius Honorii Romani pontificis illius nominis primi diplomatis sive bullæ ad Cantabrigienses examen in hunc modū ab Londinensi nostro recitatæ, iam tandem deveniam.

Arthurianum diploma pontificium primatum astruit.

112 *Honorius Episcopus servus servorum Dei, dilectis filijs Doctoribus & scholaribus in Universitate Cantabrigiæ studentibus salutem & Apostolicam benedictionem. Dilectissimi in Christo filij, non absque labore & plurimâ turbatione didicimus, quomodo multitudine nefanda Paganorum, universitas vestra olim celeberrima vehementer affligitur. Quorū pravitate nonnulli propriæ salutis immemores, luporum faucibus & vulpina facie, libertates & privilegia, quæ vobis & prædecessoribus vestris in eadem universitate studentibus gratiose indulsit sedes Apostolica, moliuntur enervare. Ita quod plures Ecclesiarū præpositi absque rationis iure, minus iuste in vos iurisdictionem indebitam & insolitam usurpantes, quanquam non consueverunt hactenus, ad universitatem vestram accedunt, materiam perturbationis et discordiæ seminantes, non correctionis, emendationis, aut reformationis ibidem officia exercentes contra inhibitionem sedis Apostolicæ. Volentes igitur vt tenemur iustitia suadente, paci & tranquillitati Vniversitatis vestræ paternâ solicitudine salubriter providere, vbi clementia salva-*

Honorij primi Bulla, Cantabrigiæ concessa.

toris poculum doctrinæ salutaris scientiæ hausimus tunc agentes in minoribus, prædecessorum nostrorum Romanæ Ecclesiæ Pontificum, Eleutherij, Fabiani, Simplicij, Fœlicis & Bonifacij Vestigiis debite inhærentes, autoritate omnipotentis Dei districtius inhibemus sub pœna excommunicationis quam veniens in contrarium ipso facto incurrat, ne quis Archiepiscopus, Episcopus, Archidiaconus, aut eorũ officiales, seu visitatores Generales aut speciales à sede Apostolica deputati, audeat in aliquem vestrum suspensionis vel excommunicationis seu interdicti sententias inferre, aut vos seu familiares vestros molestare præsumat, sed Cancellarius cum rectoribus de consilio saniorum & seniorum vestræ Vniversitatis secundum statuta vestra corrigere & emendare studeat, charitate semper mediâ, secundum quod magis expedire videritis: si quis vero subditorum vestrorum statutis vestris contraire præsumpserit, aut contempserit observare, eum Ecclesiasticâ sententiâ percellatis. Quam scilicet sententiam rationabiliter latam, tam à diœcesano Episcopo quam ab alijs inconcussam, vsque ad condignam cum humilitate & pœnitentiâ satisfactionem præcepimus observari. Decrevimus etiam quod nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ cõcessionis, volũtatis, exemptionis, & libertatis infringere, vel ei aliquatenus contraire: si quis vero hoc attemptare præsũpserit, indignationẽ omnipotentis Dei se noverit incursurum. Scriptum apud Sanctũ Petrum anno ab incarnatione verbi 624. vicesimo die mensis Februarij.

113 Gravis profectò mihi imprimis comminatio, cui fictam hanc pontificiæ concessionis bullam non sine tanto Anathemate infringere, aut in dubium vocare licet. Cæterum si Oxonienses, Wiclefi olim temporibus autore Walsinghamo in Rich. 2. dubitabant, vtrum papalem bullam cũ honore recipere, vel omnino cum dedecore refutare deberent (quod Oxoniensibus convitij loco Lõdinensis obijcit) quãto magis nos hac de re certi sumus nec dubitare debemus, quo minus adulteratissimam hanc bullam, non solum nullo cum honore reciperemus, sed etiam summo cum dedecore refutaremus. Honorianæ Bullæ examẽ.

Argumentum primum.

114 Imprimis enim quamobrem hanc Honorij cõcessionem Londinensis atq; etiam Eugenius pontifex (de quo postea) Bullam diceret, certe nõ intelligo: Bullæ enim propriè sunt (vt apud Antonium Cucchium de Maiorum institutionibus lego) quæ plumbo tanquam cera consignantur, pontificisque decretum continent, quasi ἀπὸ τῆς βȣλῆς dictæ. De quarum origine scribit sic Polydorus libro de inventione Rerum. 8. *Equidem satis constat Agathonem quo sedente magna sedi Romanæ facta est accessio honoris vt supra libro 4. demonstravimus, in cera annulo impressisse sigilla: verũ postea cum Romanus pontifex multa irrogaret privilegia, vt diplomata diuturniora forent, placuit Stephano 3. ac deinde Hadriano primo tabulas Apostolicas plumbo obsignari: fuit is annus salutis 772. cum ipse Hadrianus factus est pontifex. nam antiquius sigillum ex plumbo non reperitur.* Hæc ille.

Secundum.

115 Non potest igitur Honorianum hoc scriptum propriè bulla dici: dabatur enim anno salutis 624, aliquantò scilicet ante primam bullarũ originem & duobus annis antequàm Honorius iste pontifex Romanus fuerat, quod apertissimè ex Beda demonstrabo, qui libro 1. cap. 7. Mellitum Cantuariensem Archiepiscopũ anno ab incarnatione Domini 624. obijsse scribit: quo tempore Bonifacium sedisse papam, idem author convincit, dum statim in sequenti capite eiusdem libri, Bonifacium eundem, Iusto, Melliti successori Archiepiscopale palliũ misisse scribit: anno quoque 625, & 626. Bonifacium eundem, res in Ecclesia Anglicana gessisse, apud Bedam in loco prædicto videbis, quo tempore tandem obijsse Bonifacium colligo, quoniam apud eundem Bedam, Honorium primum anno gratiæ 627. res Anglorũ procurasse didici.

Honorius non fuit pontifex Rom: quando hoc priuilegiũ concessit Cantabrigiẽsibus.

116 Cui supputationi consentit Baronius, qui Honoriũ primum (huiusce scilicet diplomatis si placet autorem) anno Domini 626. creatum fuisse papam scribit: ex quo non solũ efficitur, hoc pontificium diploma Cantabrigiensibus datũ, biennio præcessisse autorem ipsum (quod est absurdissimũ)

sed

sed etiam Cātabrigiam nequaquam tunc sub eo statu fuisse quo Honorius deprædicat quoad fidem ac Christianæ religionis professionem, etiam dato sed non concesso quod Cantabrigia tunc fuerat, quod certe non est admodum probabile. Tertium.

117 Triplicem Orientalium Anglorum ad fidem Christi conversionem apud Bedam lib.1.cap.15.intelliges: quarū prima sub Redualdo ipsorum Rege, citò frustrabatur; licèt enim rex ipse Redualdus sacri fontis lavacrum in Cantio acceperat, quamprimùm tamen ad suos rediijt, ad paganismū revocatus est. Secunda sub Carpualdo eius filio fuerat, qui anno domini 627. ab Edvino Northāhumbrorum Rege ad fidem Christi conversus est, quamobrem à quodam Pagano de medio sublatus est, & exinde tribus annis (inquit Bedas) hoc est vsque ad annum sexcentesimum tricesimum, omnis provincia (scilicet Orientalium Anglorum cuius provinciæ est Cantabrigia ipsa) in errore versata est, donec Sigebertus rerum potitus esset, qui primus in illa provincia receptæ publicitùs Christianitatis author extitit. hęc ad ipsissimum Bedę sensum, quem consules ipse, si de mea fide quicquam dubites. Triplex Orientalium Anglorum ad fidem conversio.

118 Iam verò si non ante annum 630. Orientaliū Anglorum provincia ad fidem Christi vllo successu conversa fuerit, si tam diu Orientales Angli in paganismo perdurarūt, quam egregiè mentitur Honorius, qui se in tenera etiam ætate multo ante omnem Orientalium ad cultum divinū cōversionem & sacri fontis regenerationem, apud Cantabrigiam (hodiernam scilicet de qua quoque incertū est an tunc necne extiterit) Orientalium Anglorum Academiam (si credimus) poculum salutaris scientiæ, hausisse scribit, quasi tanta illic tunc fuerat rei divinæ professio, in medio paganismo mediaq; gentilitate vt loquitur Bedas. Nā Honorium primum Monotheletā fuisse & pro illa hæresi Anathematizatum (etsi Lydgatus cecinit Cantabrigiam suam nunquam hæreticam extitisse) quis ignorat? Honorius Cātabrigiæ non studuit.

119 At ſupponamus id quod nullo pacto concedendũ eſt, Honorij primi temporibus, Cãtabrigienſes quidẽ quoad maiorem partem fuiſſe orthodoxos, aliquantũ tamen paganiſmi erroribus vel potius furoribus obnoxios, adeoq; impeditos, vt nec liberè reſpirarent, nec privilegiis ſuis propter paganorum oppreſſionem vterẽtur, quæ vnica videtur cauſa cur Honorius Romanus Pontifex Cantabrigienſes ſuos à tantis iniuriis vindicare iam voluerat: & quomodo obſecro hoc facturus eſt Honorius? Non certè condendo nova, ſed vetera ipſorum (ſi diis placet) privilegia renovando, & confirmando.

Quartum.

120 Etenim quoad ea omnia privilegia confirmat quæ à ſuis prædeceſſoribus, Cantabrigienſibus indulta ſunt à ſede Apoſtolica, Arthuri quidem diploma confirmat, ſiquidẽ Arthurus ex licentia ſedis Apoſtolicæ, Regalia illa privilegia Cantabrigienſibus ſe dediſſe profeſſus eſt. Eleutherii quoque privilegia iiſdem conceſſa, vim ſuam obtinere iubet, ſimulque aperte innuit quid in Eleutherianis privilegiis continebatur, Cantabrigienſium nempe à iuriſdictione Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Archidiaconorum & cæterorum Officialium plena & abſoluta exemptio, vtcunque Eleutherius ſcribat in epiſtola, ſe nihil in ferendis legibus in alieno regno facturum.

Honorius dicit, Eleutherium Cantabrigienſes à poteſtate Archiepiſcoporum exemiſſe, cum Lucij & Eleutherij temporibus nulli eſſent in Brytãnia Archiepiſcopi & epiſcopi, ſed Archiflamines & Flamines.

121 Immò nec potuit quidem Cantabrigienſes à iuriſdictione Archiepiſcoporum aut Epiſcoporũ eximere, niſi ſatis liqueret, eoſdem à iuriſdictione Archiflaminum & Flaminum ante fidem ſuſceptam fuiſſe immunes: nam ſi Cantabrigienſes antea illis parebant, cur non & his qui in eorũ ius & locum ſucceſſerunt? Illud tamen certe vt videtur Honorius non reſpexit, ideoq; ſub Anathematis pœna mandat, vt Eleutherianum privilegium diligenter ab omnibus obſervetur, licet Eleutherius ipſe ſcripſerat, Brytannos leges Romanas recuſare potuiſſe: quin & Lucium regem ad conciliũ ſuorum celebrandum vbi leges condendæ fuerant, exhortatus eſt, vnde quis non videt pontificiũ ius nullius eſſe omnino

nino roboris: nam ex eo quod concilij tempore apud Oxoniam in Osneyensi cœnobio ab Archiepiscopo Stephano Langton sub Henrico 3. habiti, epistolæ Decretales quæ totum ius pontificium continent, editæ ab Innocentio nono & publicatæ sunt, concludit Matheus Cantuariensis, Ecclesiastica iura huius regni esse illis Pontificijs priora.

122 Quod vero ad Cantabrigiensium ab Archiepiscopali & Episcopali iurisdictione exemptionem, miror equidē antiquissimos illos patres tantæ Sanctitatis gloriâ floruisse, hic tamen impios vulpina facie indutos, factiososque ab Honorio vocari: nam si dicas Honorium non de Christianis sed Paganis fuisse locutum, perpende quæso quid sibi velit, cum huiusmodi Cantabrigiensium molestatores, ecclesiarum præpositos fuisse dicat? Archiepiscopos igitur & Episcopos aut saltem Rectores intelligit, non autem Paganos quos non existimo Ecclesiarum fuisse præpositos. Quintum.

123 Prætereà quid illi pontificis Romani inhibitionem curarent, qui & sæpissimè eos morte mulctarent qui ipsos à paganismo ad verum Dei cultum revocarent: hos tamen sub pæna si placet excommunicationis Honorius pontifex Romanus ab iniurijs Cantabrigiensibus inferēdis prohibet, quasi excommunicationis aut censuræ Ecclesiasticæ metus, quicquàm apud Paganos potuisset. Sextum.

124 Ac fuit ita certè, quod plures Ecclesiarum præpositi, Cantabrigienses vexarent? Quorsùm igitùr Arthurus in suo diplomate dixit, se ad ornandos Cantabrigienses, idquè privilegijs Regalibus, omnium & singulorum regni sui pontificum, assensum habuisse? & voluit igitùr Honorius, Cantabrigienses suos, à iurisdictione horum hominum, esse immunes? Immò certè: ac non solùm ab illorum, sed etiàm ab illius quidèm propriâ: vetat enìm, etiàm speciales à sede Apostolica visitatores, ac deputatos, (etsi inquam speciales pontificis Rom. deputatos,) nè aliquem Cantabrigiensem, Ecclesiasticâ censurâ feriant; quæcunquè in periculis Ecclesiæ nuper constitutæ, sivè per hæresin, sivè per schisma, sivè Septimum. Octavum.

per paganiſmum, Eccleſiæ purgandæ, atquè corrigendæ, accidiſſet neceſſitas.

Nonum. 125 Deindè, ab Archiepiſcopali iuriſdictione, Honorium Cantabrigienſes non exemiſſe ad eum modum, *declarat quidèm vel recentiorum horum temporum memoria* (inquit Math. Cantuarienſis) *quandò illæ celebres Oxonienſis & Cantabrigienſis in Anglia Academiæ, quanquàm peculiaria iura, & exemptionis privilegia, ſibi quondam à papa concedi procuraſſent, illis tamèn autoritate poſteà regia irritis, ac reſciſſis, in Cantuarienſis Archiepiſcopi autoritatem ſeſe reddiderunt, & tàm viſitationes ſuas ſubire coguntur, quàm ad ſynodalia ſua concilia per Cancellarios accedunt*. hæc ille.

126 Ipſe hic quoquè Honorius primus, ad Honorium Antiſtitem olim Cantuarienſem, in litteris cōfirmatorijs ſic ſcribit: *Tuæ ergo iuriſdictioni ſubijci præcipimus omnes Angliæ Eccleſias & regiones, &c.* ità apud Malmeſburienſem, Thomā Spot, Thomam Montacutium ſivè Graium, atq; Matheum Cantuarienſem. Si omnes Angliæ Eccleſias, exceptis aut exemptis nullis, quantùm in litteris illis apparet, Archiepiſcopi Cantuarienſis iuriſdictioni parere præcipiat Honorius, ergo non præcipit Archiepiſcopo Cantuarienſi, & alijs Epiſcopis diœceſanis, vt iuriſdictioni Cantabrigienſiū pareant, in excommunicationis ſententia, à Cantabrigienſibus lata, obſervanda; quemadmodùm in diplomate ſuo Honorius ſe præcepiſſe dicit. Quin è contra, ex his Honorij ipſius iuſſis, Cantabrigienſes Cātuarienſis iuriſdictioni parere tenentur: ergo per hoc Honorij diploma non eximebantur: falſum ergo inquit Honorius iſte tuus mi Londinenſis.

Valida ratio.

127 Nam ego potiùs Malmeſburienſis & Bedæ Honorio credam, quam iſti tuo. Quem pudet certè videre, quā ſit in ferendis ſuis cenſuris ridiculus. Significat enim, quod quemadmodùm ipſe omnes alienos excommunicaturus ſit, qui aliquam iuriſdictionem in Cantabrigienſes vſurparent, ità & ſuos & proprios in hac re delinquentes, aut negligentes, Cantabrigienſibus ipſis & Eccleſiaſticæ illorum cenſuræ

Decimum.

per-

permissurus. In fine, autèm vtrosquè sub sua censura ponit, voluntati suæ minus obsequentes, adiecta in supèr omnipotentis Dei, non autèm & beatorum Petri & Pauli Apostolorum (hoc enim adulterator imprudentèr omisit) indignatione.

128 Archidiaconos etiàm a Cantabrigiensibus arcet. Quasi pervulgatum esset illis temporibus Archidiaconi nomen, & officium; profectò conuincam ex Londinensi ipso, qui libro antiquitatis Cantabrigiæ suæ secundo, sic scribit. *Non antè Lanfrancum Cantuariensem Archiepiscopum qui consecratus est anno salutis* 1070. *fuit Cantuariensis ecclesia Archidiaconus. quod si in sede Archiepiscopali Cantuar. & primatu totius Angliæ Archidiaconus erat nullus antè. Lanfrancum, an credendum est Archidiaconos in suffraganijs Episcopatibus extitisse?* hæc ille. quæ forsan ex Matheo Cantuariensi in Lanfranco habuit. Immo mi Londinensis, teque tibi ipsi contradicentem, refellam non modo ex Chronico incerti cuiusdam autoris Sancti Edmundi monachi, quod Mariano Scoto Manuscripto in Bibliotheca Oxon adiungitur & ex Florentio Wygornensi vbi Almari Cantuariensis Ecclesiæ anno 1033. Archidiaconi & ciuium suorum proditoris sub Alphego Archiepiscopo sit mentio verum etiàm ex Ingulpho historico probatissimo, vbi temporibus Edgari regis in Dunstani Cantuar. Archiepiscopi & quorundam aliorum ad Croylandenses Anno Dom. 966. charta, talis occurrit subscriptio. *Ego Agelnothus Archidiaconus faui.* Quanquam illud non occurrat cuius loci Archidiaconus fuerat, Quod si igitur tibi ipsi constiteris dum nullos apud nos ante Lanfrãcum Archidiaconos extitisse doces, Honorium tuum refellis qui Archidiaconorum multò ante Lanfrancum meminit; ac eum dum refellis, ipse quidem multo grauius impingis, siquidem anno D. 1072. Gulielmi vero regis primi septimo, Archidiaconum in episcopatu Dunelmensi extitisse, sedente tunc episcopo Lanfranco qui Cantuariẽsi par est Walchero seu Waltero, ex Turgoto Dunelmensi, in illi-

Vndecimum. Egregia Londinensis, de Archidiaconis contradictio.

us ecclesiæ Annalibus intelliges, qui de illo Archidiacono sic scribit. *Deniq; Archidiaconus illius multa ex ornamentis & pecunia ecclesiæ conferens consanguineis & amicis distribuerat.*

Duodecimum.

129 Diœcesanum quoq; episcopum, Cantabrigiensis Academiæ (si placet) Cancellarij iurisdictioni atq; mandato subijcit; quo quid potest fingi stultius, quid stupidius? cũ idem Honorius quemadmodum ex eius litteris supradictũ est, omnes, & singulos gentis Anglorum episcopos, solius Honorij Cantuariensis Archipræsulis iurisdictioni parere voluerit, non autem iurisdictioni Cancellarii Cantabrigiensis; quem hâc ratione, Metropolitanum facit, immò & Metropolitano superiorem (nam Arthurus regem fecit) inquit enim se præcepisse, tam Diœcesano Episcopo, quàm alijs, (scilicet episcopis ac Archiepiscopis) vt excommunicationis sententiam à Cancellario Cantabrigiensi latam, diligentèr obseruarent, quæ & ijs grauissimè repugnant quæ in eiusdem ipsius Honorij Romani Pontificis, ad Honoriũ Cantuar: litteris continentur, & iniquissimo loco Cantabrigienses ipsos constituunt, qui si à Cancellario suo (quod visu venit) iniustis modis vexarentur, nullum ad declinandum eius furorem locum habituri essẽt; Cancellario iam extra omnem alienam iurisdictionem constituto, & ab omni Ecclesiasticâ censura, etiamsi specialium visitatorum à sede Apostolica deputatorum (hoc enim vult Honorius) liberato.

Decimũ tertiũ

130 Vereor quoq; ne Diœcesani nomẽ, illis præsertim temporibus, vix natum fuerit. Honorium enim Archiepiscopum Cant. Vniuersam Angliam, anno salutis 636, in parochias primum diuisisse, author est Math. Cant, Alfredum vero (qui & Aluredus dicitur) in prouincias, & Comitatus, Angliam diuisisse, aûthor est Malmesburiensis, nec non Ingulphus, Florilegus, Lambertus, & Chytreus libro Saxoniæ sexto. Porrô, Lucius Rex, susceptâ Christi fide, omnem Britanniam, in 28 episcopatus diuisisse fertur. Ac certè anno salutis 267, diœceses apud Romanos extitisse, author est Polydorus de Inuentione libro 4. Quo verò tempore apud nos

Diœcesium origo. & parochiarum

ex-

extiterint incertum omnino relinquit, hoc tamen ex Beda certissimum est; primum orientalium Anglorum episcopum post fidem Christi à Sigeberto receptum, anno Domini (vti dictum est) 630. Fœlicem Burgundionem fuisse, qui Dunovici sedem Episcopalem constituit. Nisi igitur hic fuerit Cantabrigiensis agri Diœcesanus episcopus, nescio quem alium Honorius intelligeret: at prima ista apud Orientales Anglos Diœcesani institutio, nimis sera est per sex vel octo annos, vt cum Honoriani diplomatis tempore conueniat: immò & multo longiùs aberit, si quemadmodùm parochiarum, ita Diœcesium originem, ad Honorium Cantuariensem referas.

131 Sed quocunq; referas, præter illum Antichronismum, summam in reipsa absurditatem deprehendes: quod scilicet Pontifex Romanus tam strictè caueret, ne ij sub interdicto ponerentur qui (si omninò tunc in rerum natura) fuerint, iampridem à sede Apostolica suspensi, & sacrificiis interdicti fuerunt, autore Florilego (sub annum gratiæ 727) *Doctrinam & scholas Anglorum, à temporibus sancti Augustini, per Romanos Pontifices fuisse interdictas, propter assiduas hæreses, quæ in aduentu Anglorum in Britannia emerserant, dum Pagani Christianis permixti, sanctæ conuersationis gratiam corruperant fidei Christianæ.* Hæc Florilegus: cui consentit alter Matheus Parisiensis. Decimũ. quartum.

132 Rossus etiàm Warwicensis: qui in libro de Regibus, scribit, *studia literarum tempore Augustini vbiq; ferè obliuioni fuisse tradita; nàm vt habetur* (inquit) *in Chronica, quæ intitulatur Flores historiarum, fide Christiana suscepta, omnes vniversitates Angliæ, autoritate papali & Regiâ, erant suspẽsæ quousquè iterùm per nobilem Aluredum, &c.* (probat enim illud interdictum Aluredo omnium primo fuisse relaxatum) & tum postea addit, *quod à tempore Aluredi Regis, quo per eum fuit Vniversitas Oxoniensis fundata, fides Catholica per hoc regnum stetit sana, & inconcussa, non obstante Paganorũ ex Dania cũ Anglis frequenti commistione; diuina hoc operante clementia, quæ lucem Oxoniæ solarem, nunquam passa est enormiter eclipsari*, hæc Rossus;

Interdictum Gregorianum

Accedunt Roffenses Annales, Harpesfeildus, Lelandus, Baleus, David Powelus in annotationibus suis ad librum primum Itinerarij Cambriæ Sylvestris Gyraldi; multique alij autores probatissimi, qui omnes vna voce, huic interdicto Gregoriano consentiunt.

133 Quin & scholæ illius, in qua gens Anglorum in rebus divinis & fide Catholica erudiretur, ab Ina Rege Romæ institutio, manifestum est huiusce interdicti argumentum. De quâ schola, consule Math. Florilegum, in loco paulò supra citato: huius etenim scholæ ortus, fuit ratione interdicti, Legionensis & Stamfordiensis, nec non & Cantabrigiensis si quod fuerat (licet enim argumentandi causa supponere id quod revera est τὸ μὴ ὄν) studij occasus, exitusque planè fatalis. Vt Oxoniense quoque non omittam, cui fatale quoqué fuit sine dubio generale hoc interdictum, sed non in tanto gradu; (vt in secundo libro declarabitur) durum enim est prælium, ex quo ne vnus quidem evadit incolumis.

134 Londinensis quoqué huic interdicto consentit; dū in libro primo antiquitatis Cantabrigiæ suæ, de hoc Gregoriano decreto locutus, Oxoniensem hominem reprehendit, quod scholas omnes per Gregorium apud Britannos sublatas esse dixisset, quod ipsi non placuit. Ideoqué opportuniùs aliquid locutus, Oxoniensis hominis sententiam corrigit, negans quidem scholas tunc fuisse sublatas, sed tantùm suspensas & sacrificijs, omniquè actu scholastico interdictas.

135 Hæc & si sententia illius in illo loco fuerit, libro tamen historiæ Cantabrigiæ primo, non dubitavit egregiè sibi contradicere. Dum ineundæ rationis studiosus, quâ Academiam suam exornaret, *Augustinum, concionem apud Saxones habentem dixisse asserit* (licet ex nullo autore seu veteri seu novo) *se. de exeidio vrbis scholasticorū Cantabrigiæ, vehementèr contristatum, atquè vt Saxones de restituenda Academia cogitarent,* hortatum fuisse: quinetiam Gregorium magnum ab Ethelberto Cantianorū Rege, vt illi rei sedulò incumberet, petijsse, atq; impetrasse: quod quidem priori eius sententiæ adeò

Insignis contradictio Londinensis.

deò repugnat, vt ab eodem pontifice & suspensam, & non suspensam, Academiam suam diceret.

136 Verùm ego priorem ipsius sententiam & sobriam accipiens, ex ea refutabo Soonum, qui ad Georgium Bruinum scripsit, *Academiam suam, secundam cladem a à Saxonibus cum Pelagiana schola coniunctis accepisse, dum eam arcere & profligare disputationibus suis niterentur.* Quod si verũ fuisset, nũquam profectò Gregorius eam sub interdicto posuisset, vti superiores nostri autores nobis tradiderũt. Quibus iam Thomam Rudburne addo, monachum sancti Swythuni Wintõ antiquarium certe peritissimum. Vt illud omninò præterea, Cantabrigienses, vel concionibus, vel editis libris, illis hæresibus restitisse: si concionibus, quomodò illorum hâc in re sedulitas, summum pontificem latuit, immo Augustinum ipsũ? si editis libris: proferantur igitur opera, vna cum nominibus authorum, de quibus profectò libentissimè audirem, efficeremq; vt doctis hominibus magis innotescerent.

Soonus refellitur.

137 Secunda Londinensis sententia, in duobus, Rosso (quem centum Londinensibus antefero) aduersatur: dixit enim superiùs Rossus, non solum autoritate papali, sed etiam Regiâ, de suspendendis Anglorum gymnasijs fuisse cautum: Londinensis verò è contra, tum pontifici, tum Regi Ethelberto, Cantabrigię, ab interdicto (vt ille censet) relaxationem & restitutionem ascribit. Deinde Rossus dixit, gymnasia Anglorũ, sub interdicto illo vsq; ad nobilis Aluredi tempora perdurasse; tum veró Oxoniense gymnasium, tanquam Luciferum, primum omnium, apud Anglos effulsisse: verùm Londinensis, breuissimum tempus interdicto concedit, & Augustini, Gregorij atq; Ethelberti operâ, (licet vti dixi nullum sententiæ suæ autorem proferat) Cantabrigiam suam h.e. veterem Grantam, à Saxonibus euersam, statim restitutam scribit; vt eo concilio veterem, & hodiernam vrbem, vnam eandemq; faceret, quod fieri nullo modo potest.

Rossi & Londinensis dissonantia

138 Nam si vetus Granta fuisset à Saxonibus restituta

prove

provt ſcribit Londinenſis,aclnon potiùs nova,vnius milliaris intervallo,(vt ait Stoveus à veteri diſiuncta, cōdita, profectò Bedas omnium fideliſſimus,non eſſet audiendus, qui Grantceſtriam,h.e.veterem vrbem Grantam,ſuo tempore(certe primis illis temporibus proximo)*civitatulam deſolatam* fuiſſe ſcribit : vt nihil dicam Ethelbertum Cantianorū Regem,in alieno regno,Orientalium ſcilicet Anglorū,nondum ad fidem Chriſti à paganiſmi lue converſo, (quod ex Beda quoquè ſuperiùs firmiſſimè demonſtratum eſt)in condendâ vrbe,& Academiâ,vel reſtituendâ,vbi inter medios Paganos ſumma eſſet Chriſtianæ religionis profeſſio, parū aut nihil omninò potuiſſe.

Ethelbertus non reſtituit Cantabrigiā.

139 Certè Eſtanglia, ſempèr fuit ab huiuſmodi inſtitutis averſiſſima. Quare enim apud antiquiores, & Maiores ſuos,literarum ſtudia minus floruerint, Aluredus in prologo Paſtorali,eam aſſignat cauſam,*quia ſævientibus Danis,quiſque magis vereretur capitis periculum,quam ſequeretur librorum exercitium*:& tamen humaniores artes,cum pietatis ſtudijs, tātoperè Cantabrigiæ floruerunt? Vbi ſcilicet capitales pietatis hoſtes,Dani & Pagani,ſemper ferè ſæviebant; quorum conſuetudine,Orientalis Anglia,omnis crudelitatis,& barbariei officina,illis temporibus habebatur & eo nomine antiquis ſatis infamis. Si hæc vera ſint, vbi illis temporibus Academia Cantabrigienſis?Certè aut ſub mœnibus altiſſimis,(ſi illis dirutis,non fuiſſet deſolata)aut ſub Gygis annulo; aut ſub lapide inviſibilis virtutis, Oweni Glendovernenſis latitavit,vt cernere ne quis eam,neu quis contingere poſſit.

Decimū quintum.

Orientalis Anglia illiterata fuit.

140 Immò(iam vt redeam,)vbi Honorianum hoc privilegium de illis non ſuſpendendis, qui multò antè ſub interdicto poſiti erant,ſi omnino huiuſmodi Cantabrigienſes in Orientalium Anglorum regno extiterunt? In vrbe dico veteri ſive in vrbe nova : interdicto quoquè pontificio nūquàm antè Aluredi tempora relaxato, quemadmodùm ex veteribus didici in ſequenti libro confirmaturus. Nam ſi veteri Grantæ,hæc privilegia conceſſa fuiſſe dixeris, ego tibi vicis-

Decimum Sextum.

vicissim edico, quod si ex vllo antiquo atquè recepto autore, demonstrare mihi potueris, veterē Grantam Brytannorū, anno domini. 624. superstitem fuisse, statím tibi me omnia hæc concessurum, & errorem meum libentèr professurum. Sin verò novæ & hodiernæ vrbi Cantabrigiæ scilicet (illud enim adhuc nomen recens in diplomatibus occurrit) cōcessa fateare, necesse mihi quoquè fatendum est, Arthurum tuū & Honorium admodùm fuisse mendaces, qui in vrbe tam nova, & prædecessores suos studuisse, & res Academiæ gessisse, & procurasse, scribunt. Admiranda interim hic est, Adulteratoris & ipsius Londinensis in principio dissonantia, & occulta tamen in fine, ad antiquitatem omnem eludendā conspiratio. Quorsùm enim non antiquæ Grantecestriæ, sed recentis & hodiernæ vrbis Cantabrigiæ nomen, in hisce diplomatibus adulteratorem adhibuisse existimas? Quia scilicet, homo astutus, & fraudulentis vsus consilijs, verebatur, ne si antiquum Grantecestriæ nomen adhibuisset, statim illo Bedæ loco, vbi Grantecestriam his ipsis temporibus, civitatulam desolatam vocat, prorsus veluti quodam mucrone iugulatus occubuisset, & diplomatum suorum fidem amisisset. Nec Londinensis aliter se gerit. Quorsum enim existimas, eū tam contentiosè egisse, vt Grantecestriam illam veterem, & hodiernam Cantabrigiā, eandem vrbem esse probaret? Quia scilicet, intellexit, ne si id assecutus non esset, nulla quidem vrbis suæ mentio, in veterum vrbium Catalogis extitisset. Tanta est profectò vtriusq; ad Oxoniensium oculorū aciem perstringendam, prævaricatio. At inquis; esto Grantecestria Bedæ temporibus circa annum Dom. 679. quemadmodum tu contendis, desolata: numquid exinde sequitur, eandem vrbem, Arthurianæ quidem anno 531. & Honorianæ, anno 624. donationis siuè concessionis tempore, desolatam iacuisse? Immò mihi crede mi Londinensis; nisi tu, vel quispiam tuorum alius certum, & indubitatum inchoatæ illius desolationis, & restitutionis quoq; tempus (si diplomata tua salua esse cupias) ex autore aliquo bono, & probato, si non

Decimum septimum.

æqualis cum Beda fidei, in medium produxerit. Nam si Grātecestria, Arthuri & Honorij temporibus, salva & inconcussa floruisset, quamobrem te obsecro, non illius veteris Grantecestriæ, sed recentis & hodiernæ Cantabrigiæ nomen in diplomatibus tuis toties occurrit? Nam quod tu respondes, vnam eandemq; esse vrbem duobus illis nominibus insignitam, illud quidem provt in superiore controuersia liquet, parùm fæliciter tibi successisse, opinor.

141 Eccè præterea præclaram Honorij summi pontificis & pastoris in terris Vniversalis (si placet) εὐβουλίαν, & insignem in novâ Anglorū Ecclesiâ administranda, Oeconomiam, quæ est in eximendis Cantabrigiensibus, ab omniū quorūcunquè Archiepiscoporū & Episcoporū iurisdictione, quoniā aliqui ecclesiarū pręposīti ad minuendas Cantabrigiensium libertates, à Paganis (vti dicit) incitati sunt; cum tamen ipse probè cognouerit nec Honorium Archiepiscopū Cantuariensem, nec Fœlicem Burgundionem Diœcesanum itemq, multos alios Ecclesiarum præpositos, cum Paganis communicaturos nec in rebus fidei, nec morum.

142 Nec potuit Honorius Paganos à suis Cantabrigiensibus arcere, nisi etiam Archiepiscopos, & Episcopos, ab ijsdem arceret? Nec Arthurus de expellendis Paganis secūdum Monumetensem, rationem aliquam inire potuit, nisi Cantabrigienses cum suis omnibus familiaribus, ab omni secularium tributorum genere liberaret? quomodo igitur Arthurus Paganos expelleret, cum non nisi bello, cuius nerui sunt vectigalia, essent arcendi? quomodo etiam ab eorum iniurijs Cantabrigienses suos defenderet Honorius, nisi eosdem in fidem ac tutelam optimorum, ac Christianorum pontificum tradendo, qui eos ab hypocriticis Paganizantium artibus, vindicarent, atq; defenderent? hos tamen à suis Cantabrigiensibus arcendos putavit Honorius iste adulterinus, & ad Paganismum à suis remouendum, Christianos remouet pontifices, atq; ab eorum iurisdictione, Cantabrigienses diplomate suo munit: & cum fateatur, ac apertè in-

fi-

ſinuet, Paganos inter eos fuiſſe verſatos, qui ſub vulpina facie latuerunt, non minus Paganos ipſos illic ſtudentes, quam reliquos ſub priuilegio comprehendit; atq; ab Epiſcoporum iuriſdictione tutos eſſe cupit quaſi predeceſſor eius Gregorius, ad profligandum ab eccleſia Brytannica Pelagianiſmum, ab eccleſiaſtica legati ſui Auguſtini iuriſdictione Brytones exemiſſet, ac non potius quam maximè potuit, ſubieciſſet.

Honorij ſumma impudentia.

143 Quemadmodum verò Richardus Cantuarienſis Archiepiſcopus (vt in epiſtolis Petri Bleſenſis Archidiaconi Bathō: cōtinetur) diplomata pontificia, ab Abbate Malmeſburienſi, pro ſuâ à iuriſdictione Sariſburienſis Epiſcopi exemptione, producta, ob id, quia Romanæ curiæ ſtilum non redolebant, penitus reiecit, ita nos, ob eandem cauſam hoc quoq; diploma reijcimus, non ſolum quoniam in exordio diplomatis aduerſus antiquam & penè perpetuam pontificum Romanorum in ſalutationibus Epiſtolicis conſuetudinē, qua ſua nomina, illorum quos ſalutāt nominibus, præponunt peccatur, verum etiam in fine; vbi & Imperatoris Romani annus, & indictionis, & certus Calendarum dies omittitur, quæ vel omninò, vel maxima ex parte, in eiuſdē ipſius Honorij ad Honorium Cantuarienſem litteris, continentur.

Decimum octauum.

144 Sunt quoq; alia huiuſmodi adulterationis argumenta. Vtpotè, cum ſub Arthuro (authore Londinenſi) ſummus Cantabrigienſis Academiæ Magiſtratus, Rector dici conſueuit, hic Cancellarius dicitur, quorum alteruter inanis eſt, & diploma ipſum inanius, cuius obſeruatio, hic, Cancellario, illic Rectori, non Cancellario (eſt enim fortaſſe nomen illis temporibus inauditum) præcipitur. Verùm ego hæc omnia prætereo, iamq; poſtremo ad Nicholaum Harpeſfeildum autorem grauiſſimum deveniam, cuius in Eccleſiaſtica hiſtoria ſua, de hoc Honorij diplomate iudjcium auditurus es.

Decimum nonum.

145 *Sunt qui tradunt* (inquit) *fuiſſe Cantabrigiæ Academiam antiquiſſimis Brytannorum temporibus, eámq;*

Nich. Harpeſfeildi de Honorij reſcripto ad Cantabrigiam ſententia.

atiam antè Sigeberti tempora floruisse, atq; à Romanis pontificibus, prærogatiuis, & priuilegijs quibusdam munitam, extatq; diploma Academiæ indultum, ab Honorio (vt aiunt) Romano pontifice, quod Academiæ illius, multò antè Honorij tempora florentis, longiore repetitâ memoriâ, complectitur. Et hæc quidèm cognitu (si tamen certa & solida sint vt præ se ferunt) oppidò sunt digna: quæ in re vt certum mihi iudicium arrogare nolim, aut aliorum sententiis maturioribus præiudicare, ita certè non possum me à scrupulis & multiplici hæsitatione quæ ex ratione temporũ occurrit, satis adhuc expedire: nunquàm enim aut ægrè sanè ista cũ narratione, spectatissimæ fidei, et eorum penè temporum æqualis autoris Bedæ, qui post ista tempora, puerorum scholam ad Cantianorũ morem in Orientali Anglia institutam per Sigibertum scribit, & ex Cantia pædagogos, & Magistros eò accersitos, aut, idquè potissimùm cum temporũ ratione, Honoriiq; ætate cohærebat. Quis enim in animum inducat, Theologiæ studia, tanto successu, cùm Saxones Ethnici illius patriæ principatum tenebant, aut aliquam Archiepiscoporum, aut Episcoporum autoritatem, ibi viguisse, aut Honorium ipsum, eundemquè Petronii viri consularis filium, Cantabrigiæ illis temporibus, literis operam dedisse? Mitto voces illas (Vniversitatem) (cum essem in minoribus) eo, ni fallor, sæculo, in eum quidẽ sensum, insolentes. Mitto alia; de quibus cum cogito, videor mihi in salebroso aut lubrico valdè loco versari; quæ tamen forsan alii aliquando impedimenta (quod optarim) sustulerint. Non ignoro, extare historiolam quandam, de huius Academiæ origine atque antiquitate, cui Honorii (de quo diximus) diplomatis exemplar adiungitur: sed quod, vt si nihil aliud, illa ipsa historiola prorsus evertit, quæ & ipsa tot, tamquè manifestis & crassis erroribus abundat, vt quæ lubens ad ornandam nobilem illam Academiam testimonia ab ea petita, aspergere cupiebam, cum nihil fixum in illa sed apertis magna ex parte mendacijs niti viderentur, prætermittere omnino cogerer: vt non sine causâ Ioannes Rossus, nè dùm centum annis adhuc elapsis eam infregerit, & everterit; quæ tamen illius impugnatio mihi adhuc non est visa: sed habet ista nobilis Academia, hâc historiolâ remotâ, satis clara & illustria, quibus ad omnem memoriam

Valida ratio.

Vniuersitatis nomen Honorij tẽporibus incognitum.

Iudicium Harpelsfeildi de nigro codice Cantabrig.

riam illustretur, ornamenta. Hæc gravissimè Harpesfeildus, Aulæ Albæ ac Laurentianæ quondam Oxoniæ principalis. Qui, non solum nobiscum de hâc bullâ, verùm etiàm cū Lelando de nigri codicis historiola consentit, tàm apertè, tamquè syncere, ut nemini obscurum esse possit, quid is etiam de centenarijs illis fabulis iudicauerit.

146 Sed & summus Oxoniensis Academiæ Iurisconsultus, in sua disertissima pro laudibus Academiæ Oxoniensis in publicis comitijs oratione habita, Albericus Gentilis L. L. Doctor, publicusq; ac meritissimus è Cathedra professor, suum quoque iudicium de his rebus ad hūc modum tulit: *Prima palma Oxonium est ornatissimi Cantabrigienses, quæso, ne vestra illa diplomata, etiam vos, quæ à verbis, quæ ab historijs multò liquidiùs quàm factum cum Bononiensibus est, refellantur: etiam doctoris nomen inauditum primis illis Romæ pontificibus, quale auditur in privilegijs vestris? & primi illi pontifices, vestras immunitates & politica alia eiuscemodi aut gesserunt aut procurarunt?* hæc ille, re cum Harpesfeildo consentiens: adversus Nicholaum Cantilepum huiusce forsan adulterini diplomatis autorem, cuius plures adhuc imposturas in sequētibus percipiemus. Ac mox in Sergij Romani quoq; pontificis illius nominis primi, diplomate, Cantabrigiam (si placet) transmisso, & à Londinensi suis ipsius Sergij verbis hoc modo recitato, aliqua ex parte patebit.

Alberici Gentilis de pontificijs Rescriptis Cantabrigiam transmissis, iudicium.

147 *Sergius Episcopus seruus seruorum dei, dilectis filijs, Doctoribus, & scholaribus, Vniuersitatis Cantabrigiæ, in Anglia studentibus, salutem & Apostolicam benedictionem. Quoniam fama bonæ opinionis, in doctrina fidei orthodoxæ, vestræ Vniuersitatis vbiq; terrarum diffunditur, & experti sumus, vt vobis gratiam faciamus, inducimur iustitiâ suadente. Ea propter dilecti in Domino filij, vestris pijs & honestis, iustisq; postulationibus annuentes, paci & tranquillitati vestræ Vniuersitatis almæ, vbi odor devotionis cū labore sanctitatis adesse solebat, sollicitè volentes prouidere, præsentium autoritate decreuimus, vt nulli Archiepiscopo seu Episcopo, aliųue Ecclesiasticæ personæ vel sæculari, liceat, Vniuersitatem vestrā*

Sergij primi ad Cantabrigiam Rescriptum.

Sergianæ Bullæ examen. Argumentum primum.

aut aliquem vestrum suspendere seu excommunicare, vel quolibet sub interdicto ponere, absq; summi pontificis assensu, vel eius mandato speciali: Probibemus insuper, ne quis priuilegia vobis à sede Apostolica gratiose concessa, vel indulta, ausu temerario infringere seu restringere præsumat, vel attemptet. Nulli igitur hominum omninò liceat, hanc paginam nostræ concessionis, & exemptionis infringere, vel ei quovis modo contra ire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis dei, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, se noverit incursurum. Scripta Romæ in Ecclesia Lateranensi anno ab incarnatione verbi sexcentesimo Octuagesimo nono, tertio die mensis Maij. Hæc Sergius.

147 Cuius rescriptum Londinensis alibi indultum vocat: sed minus propriè. Nam indultum propriè (vt inquit Rebuffus) est dispensatio quæ non contra ius commune datur, sed contra statuta fundationis aut regulas: in quo à privilegio distinguitur, quia priuilegium est proprium & priuatum ius alicui personæ, vel vniversitati, contra iuris terminos cōcessum, autore M. Ant. Cucchio, libro primo Institut: Maiorum cap. 6. privilegia igitur de iure communi detrahunt, quod privato iuri addunt: indulta de iure stricto (cuiusmodi sunt statuta) &, vt loquuntur in viridi observantia stante detrahunt, quod libertati concedunt.

Discrimen inter priuilegiū & indultum.

148 Cum ergo hic dicat Sergius, privilegia à sede Rom: indulta, duo simul vnit, quæ ab omni iure abhorrent: sunt igitur hæc pontificum Romanorū nō indulta, sed privilegia: quoniàm exemptionem continent, ab omni illa Ecclesiastica iurisdictione quæ à pontifice Rom: Archiepiscopis & Episcopis Anglorum concessa, confirmata, ac stabilita est: quod & ab Honorio factum fuisse in illius diplomatis, seu privilegij examine supra diximus. Idem fecit eius successor Vitalianus: idem hic noster Sergius (vti apud Malmesburiensem constat) qui in litteris ad Brithwaldū Cāturiensem, non solum omnes Angliæ Episcopos sed (vti ipse scribit) Vniversos ordinum gradus, illius autoritati subijcit: si vniversos ordinum gradus, ergo etiam Cantabrigienses ipsos (mi

Secundum.

Lon-

Londinensis) Archiepiscopi Cantuariensis iurisdictioni subiecit. Nàm quòd seculares quoq; personas, Sergius tuus prohibeat, quo minùs Cantabrigienses tuos, sub interdicto ponant, illud certè perridiculum existimo; quasi vllâ memoriâ constaret, sæculares è gente laicâ homines, censuras Ecclesiasticas (cuiusmodi sunt excommunicationes) in clerum præcipuè tulisse. Tertium.

149 Quod verò ad Ecclesiasticos attinet; fateor quidē, non solùm hic, Sergium tuum, Cantabrigienses ab omni Archiepiscopali iurisdictione, sed & Honorium tuū alibi in suo privilegio, à pontificiorum quoquè legatorum & visitatorū etiamsi specialiter constitutorum, censuris exemisse: quod sinè dubio privilegium inter cætera Sergius hoc in loco confirmat, etiam sub pœna excommunicationis: infringit tamē ipse, atquè restringit (quod à nullo restringi voluit sub pœnâ prædictâ) dùm ad speciale pontificis summi mandatū, h. e. ad specialem sedis Apostolicæ visitationem, ac deputationem, (quod nullo modo voluit Honorius) Cantabrigienses sub interdicto, & Ecclesiastica censura, poni posse scribat. Sua lex quemque premit: excommunicandus ergo hic Sergius, quod Cantabrigiensium privilegiū, à prædecessore suo Honorio concessum, imminuerit, infregerit, ac restrinxerit. Quartum.

150 Nequè ipse quidèm pontifex Romanus Agatho, hac ratione, & Honorij exemptione, ab excōmunicationis censurâ immunis cēsendus est, qui anno domini, 678. autore venerabili Beda libro 4. cap. 18. Ioannem Cantorem, tāquàm generalem totius Angliæ visitatorem, huc miserat; illud in mandatis habentem, vt cuius esset fidei Anglorū Ecclesia, diligenter edisceret, eique significaret; *qui in omnibus, fidem Catholicam inviolatam invenit*, scribente Beda: (cuius ea verba sunt) visitavit igitur ecclesias, & omnes alios locos Catholicę fidei destinatos, Cantabrigiam imprimis vt verisimile est, vbi res Theologica tantopere agebatur, (si hæc vera sint) immò monasteria ipsa, quæ licet anteà tanquàm loca deo consecrata, concilium Herufordense, sub Theodoro Archi-

chiepiſcopo Cantuarienſi, (quod notãdũ eſt, non pontificis Romani autoritate vt hîc Cãtabrigienſes) autore eodẽ Beda ab Epiſcoporum iuriſdictione exemiſſet; non tamen ab Archiepiſcoporum aut ſpecialium ſedis Apoſtolicæ legatorũ, exempta fuiſſe legimus, autoritate & iuriſdictione eccleſiaſticâ.

Sergianæ exemptionis abſurditas.

151 Quaſi in illis quemadmodùm hic apud Cantabrigienſes, laborante quâcunquè Eccleſiæ neceſſitate, (niſi Cãcellario Cantabrigienſium alitèr viſum eſſet) quotiès aliquis Eccleſiaſticâ cenſurâ apud eos feriendus eſſet, Romam priùs proficiſcendum eſſet Archiepiſcopo, aut diœceſano; vt ſpecialis ſummi pontificis mandati (ſi quid omninò faciendum eſſet) accederet autoritas: cùm nè conſecrationis quidèm obtinendæ cauſa, Archiepiſcopos, aut Epiſcopos Anglorum, tàm longè diuquè à grege ſibi commiſſo naſcentis Eccleſiæ temporibus, abeſſe aliàs voluit Honorius; ideòque ſtatuit Archiepiſcopis Anglorum mutuæ conſecrationis ineundam eſſe rationem.

152 Ac licet de Orientalium Anglorum ſtatu quoad fidem hoc ipſo tempore quo Sergij diploma iſtud datũ Cantabrigiæ, atqué conceſſum fuerat, nihil nobis occurrat, præterquàm quod tùm apud eos, Becrna quidem ferociſſimus Paganus regnaverit, (ex quo de rebus fidei Chriſtianę apud Orientales Anglos & Cantabrigienſes ipſos, ſi qui fuerint, facile conijcere poſſumus) tamén referente Io. Capgravo in Sancto Cedd, quòd, cùm inſtantia Regis Oſwij, Sabertus rex, anno domini, 653. & Orientales Saxones ad fidem eſſẽt converſi, Saberto Catholicos doctores aliquot, verbiquè divini miniſtros deſideranti, pius rex Oſwius ijs opus eſſe ſentiens qui nuper erant converſi, de provincia Mediterraneorum Sanctum Cedd, alioſq; doctores dederit, manifeſtiſſimè colligere poſſumus, nullos tunc omnino fuiſſe Cantabrigiæ Orthodoxos, de Chriſtiana fide bene ſentientes, quemadmodum hic Sergius falsò prædicat.

Quintum.

153 Nam ſi vſpiam in Orientali Anglia, admodùm ei

vi

vicinâ: si inquã in Cantabrigia illis temporibus Theologiæ ac pietatis studia tantopere floruissent, quamobrèm quæso Sabertus, ab ijs potius præsidium non postulavit, quàm è locis tam remotis doctores sibi accersivit? Hæc sunt profectò maiora quàm quæ aut Adulterator in fingendo, aut Io. Rykingale in transcribendo, aut Tho: Ryhalle Cantabrigiensis Cancellarius in publicando, aut Londinensis in defendendo, cogitauit.

154 Ideoquè, quoniàm nequè hic Imperatoris Romani, nequè indictionis Romanæ annum, (quod in pontificijs scriptis solenne semper fuerat) adhibitum videam; & quia finitima est huiusce Sergij ac Honorij diplomatis confutandi ratio, desinam de chartis ipsis plura dicere, licet profectò pauciora sint quàm quæ tot fabulis explodendis sufficiũt, & ad horum diplomatum pontificiorũ confirmationẽ (multò posteriùs cuiusdam quæstionis inter diœcesanum & Cantabrigienses de iurisdictione propria, occasione, vti scribit Londinensis ortam, cuius omnes circũstantias in ipso scripto faciliùs intelliges) iam deveniã, in hãc, quæ sequitur, formam à Londinensi recitatam. Honorij & Sergij bullæ adulterinæ.

155 *Eugenius episcopus servus servorum dei, ad futuram rei memoriam: Dùm attentæ considerationis indagine, perscrutamur, quòd per literarum studia, favente charismatum cunctorum largitore Domino, viri succrescunt scientijs eruditi, divini nominis fideiquè Catholicæ cultus protenditur, omnisq; prosperitas conditionis adaugetur humanæ, libentèr non solùm loca quibus huiusmodi studia vigent, illorumquè supposita, gratijs & libertatibus fulcire satagimus, sed etiam illa quæ pro studiorum subsistentia, nec non eorũ & suppositorum huiusmodi favoribus proindè facta comperimus, vt illibata persistant, cùm à nobis petitur, Apostolicæ cõfirmationis munimine roboramus. Dudùm siquidèm ex parte dilectorum filiorum Magistrorum, Doctorum et Scholarium Vniversitatis studij Cantabrigiæ Eliensis Diœcesis, piæ memoriæ Martino papæ quinto prædecessori nostro exposito, quòd olìm fœlicis recordationis Honorius papa primus, & prædecessor noster, pro incremento & in favorem* Eugenij quarti bulla Cantabrigiã transmissa.

doctorum, & scholarium qui tunc erant, & pro tempore forent, Universitatis huiusmodi per quasdam litteras sub Dat: Romæ apud Sanctum Petrum anno ab incarnatione Domini sexcentesimo vicesimo quarto, die septima mensis Februarij, inter cætera districtiùs inhibuerat sub pœna excommunicationis, quam veniens in contrarium ipso facto incurreret, ne quis Archiepiscopus, Episcopus, Archidiaconus, aut eorum officiarij, in aliquem Doctorum & Scholarium eorundem, suspensionis, excommunicationis seu interdicti sententias ferre, aut ipsos vel familiares ipsorum molestare præsumāt, sed rector ipsorum doctorum & scholarium de consilio seniorum & saniorum eiusdem Vniversitatis secundum eorum statuta charitate semper media corrigere & emendare studeret, prout studentium saluti magis videretur expedire: Ac piæ memoriæ Sergius etiam primus similitèr prædecessor noster, etiam pro incremento, & in favorem huiusmodi, per alias suas literas sub Dat. in Ecclesia Lateranensi, anno ab incarnatione verbi sexcētesimo Octuagesimo nono, die tertia Mensis Maij, inter alia decreverat, quod nulli Archiepiscopo, vel Episcopo liceret, Universitatem prædictam, aut aliquem doctorum aut scholarium eorundem suspendere, vel excommunicare, seu quomodolibet sub interdicto ponere, absque summi pontificis assensu, vel eius speciali mandato; quodq; super inhibitione ac decreto, nec nō Honorij & Sergij prædecessorum superindè confectis litteris huiusmodi, quædam ipsius Vniversitatis antiqua statuta cōmuni consensu, & deliberatione matura Magistrorum & Doctorum prædictorum, ad bonum regimen & stabilitatem eiusdem Universitatis ordinata fundabantur; ipsorumq; inhibitionis & decreti & litterarum vigore Cancellarius dictæ Universitatis, pro tempore existens, (qui subcancellarij denominatione inibi vicem Rectoris obtinuerat, & tunc obtinebat) omnimodam super corrigendis, puniendisq; excessibus suppositorum, seu personarū eiusdem Vniversitatis, ac cognoscendis ac decidendis causis & negotijs supposita & personas, huiusmodi contingentibus, iurisdictionem Ecclesiasticam & spiritualem exercere consueverat. Quodq; de originalibus dictorum Honorij et Sergii prædecessorum litteris huiusmodi, ex eo quòd propter diuturnitatem temporis, cùm tunc septingenti anni & vltra ab

illa-

illarum concessione defluxerant, aut ex earum custodum negligentia, aut aliàs casualitèr deperdita vel amissa fuerant, licet plurima ipsarum copia de antiquissima scriptura in Archiuis eiusdem Vniuersitatis recondita, extare noscerentur, doceri nequiret: Ipse Martinus prædecessor noster per suas litteras dilectis filijs Priori Monasterii de Barnewelle, per priorem soliti gubernari, dictæ Diœceseos eius proprio nomine non expresso, & Ioanni Deping Canonico Lincolniensi in eadem Diœcesi residenti, cum clausula, quod si non ambo his exequendis possent interesse, alter ipsorum ea nihilominus exequeretur, dedit in mandatis vt iis singularum litterarum Honorij & Sergii prædecessorum singulis copijs huiusmodi in forma publica exhibitis, si & postquam ipsis legitime constaret, Magistros, Doctores & Scholares qui pro tempore fuerant, ac Vniuersitatem prædictam in pacifica possessione, vel quasi, vsus & exercitij Ecclesiasticæ spiritualisq; iurisdictionis ac obseruationis, inhibitionis & decreti huiusmoai, à tanto tempore fuisse. & esse, quod memoria in contarrium non existeret, eisdem Magistris, Doctoribus, & Scholaribus obseruantiam inhibitionis, & decreti, nec non vsum & exercitium, iurisdictionis Ecclesiasticæ ac spiritualis huiusmodi autoritate sua approbarent, & etiam confirmarent, prout in prædictis ipsius Martini prædecessoris litteris pleniùs continetur. Postmodũ vero sicut exhibita nobis nuper pro parte Magistrorum, Doctorum, & Scholarium prædictorum petitio continebat, ipse prior (eodem Ioanne dictarum litteratum præfati Martini predecessoris executioni interesse nequeunte, seq; super hoc legitimè excusante) quia per ipsarum copiarum exhibitionem, nec non alia acta actitata & deducta coram eo, sibi dictos Magistros, Doctores Scholares & Vniuersitatem á supradicto tempore in possessionem huiusmodi absq; perturbatione, molestatione, vel inquietatione Archiepiscoporum, Episcoporum, Archidiaconorum, aut aliorum officialium quorumlibet fuisse & esse legitimè constitit, ipsosq; Archiepiscopos, Episcopos, Archidiaconos, & officiales à præfata iurisdictione se totalitèr abstinuisse reperit, obseruantiam inhibitionis & decreti, nec non vsum & exercitium iurisdictionis huiusmodi Magistros, Doctoribus & Scholaribus præfatis vigore dictarum litte-

rarum eiusmodi Martini prædecessoris sententialiter approbauit laudavit, ratificauit, pariter & confirmauit, prout in litteris authẽticis desuper confectis latiùs cognoscitur contineri. Quare pro parte dictorum Magistrorum, Doctorum & scholarium nobis fuit humiliter supplicatum, vt approbationi, laudationi, ratificationi, & confirmationi prædictis, pro illarum subsistentia firmiori, robur Apostolicæ confirmationis adijcere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos itaq; huiusmodi supplicationibus inclinati, approbationem, laudationem, ratificationem, & confirmationem prædictas, ac quæcunq; inde secuta rata habentes & grata, illa Apostolica authoritate confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes defectus, si qui forsitan interuenerint in eisdem. Nulli ergo omnino &c. Dat. Romæ apud S. Laurent. anno. 1433. Octob. Pontif. 3.

Eugenius quartus Hono. & Sergij bullas non confirmat. Primum.

156 Hæc est Eugenij quarti pontificis Romani bulla, quam ad Honorij primi rescripti, Sergijquè (vti accepimus) primi confirmationem, Londinensis adduxit: oblitus iã forsitan illius ἅπερ εἶναι δεῖξαι Mathematicorum dicti. Probandũ enim Lõdinensi fuit, hæc privilegia reverà ab Honorio, Sergioq; Cantabrigiæ fuisse concessa: ille autem Eugeniũ producit affirmantem, quod scilicèt de originalibus ipsis antiquissimorũ illorum pontificum bullis ac privilegijs tùm, vèl amissis (vel quod verius est nunquàm concessis,) nulla fides constare potuerit (vel vt illius verbis vtar,) nihil doceri nequiret (quod quantùm faciat adversus Londinensem nemo ignorat) se verò exemplaria tantùm eorum, quæ tum in Archivis illius Academiæ superfuere, confirmare, (hunc Eugenium enim Academijs admodùm favisse dicunt) atquè stabilire.

Secundum.

157 Nam si in Cantabrigienses durior extitisset Eugenius, profectò nunquàm exemplaribus Cantabrigiensium Archivorum constitisset, sed in Cancellariâ sedis Apostolicæ, (vbi omnia Romanæ curiæ Originalia instrumenta teste Cucchio fidelissimè conservantur,) diligenter in re præsertìm tam gravi, quæsivisset, & secũdum originales bullas totam.

tam litem iudicasset: id enim quod hoc in loco Eugenius agit, nihil huiusmodi præ se fert, ex quo veteres illos pontifices, privilegia huiuscemodi Cantabrigiensibus dedisse vllâ probabili ratione Londinensis convincat potiùs, quàm ex eo quod circa annū domini 1375. scribente Matheo Cant: in Simone Sudbury, oppidanorum scelere, Cantabrigiensiū Archiva conflagrarunt (clamante Margareta) Stars inforo, vbi semiusta scripta Vulcano dissipata vidisset, *abeat peritia clericorum, abeat peritia clericorum*) hæc quoquè originalia scilicèt Honorij & Sergij diplomata, eodem tempore inter cætera conflagrasse, colligeret, quod profectò (licet infirmissimè) colligit, cum prius esset ostendendum, originales bullas ibidèm præextitisse; quæ non præextiterunt si à Nicholao Cantilepo, vna cū nigra historiola conficta sunt, (licet Harpesfeildus vnius tantum, scilicet Honorij diplomatis, illi historiolæ annexi meminit) qui illis temporibus multo recentior est: obijt enim Cantilepus anno 1441; & proinde vixit eo ipso tempore, quo hæc inter diœcesanum & Cantabrigienses de iurisdictione quæstio orta est, & suis fortasse in diplomatibus, & instrumentis adulterandis & ventitādis artibus, conclusa atquè decisa. In qua si Cantabrigienses, superiores evaserunt, non quidèm beneficio exemplariū Honorij & Sergij diplomatum evaserunt, sed Oxoniensiū privilegiorum beneficio, quæ multò anteà per Eduardum secundum Angliæ regem & Academiæ Oxoniensis olim alūnum, (quæ omnia fusiùs in sequentibus demonstrabo) consecuti sunt.

Cantabrigiēses, Oxoniensium priuilegiorum beneficio à iurisdictione alienorū exempti.

158 Quanquàm non adeò liberè ijs vsi vel similibus vt (si has fictitias bullas excipias) vlla ratione constet, Cantabrigienses tantis provisionibus, ab alienis iurisdictionibus vnquàm fuisse exemptos. Herufordense enim sub Theodoro Archiepiscopo Cant: concilium, etiàm multis post Honorij primi annis indultum Cantabrigiæ concessum, de iurisdictione Episcoporum in Ecclesias suas multa statuit; & monasteriorum à iurisdictione Episcopali exemptionem abso-

lutam continet(vti clarissimè apud Bedã) sed de Cantabrigiensium exemptionibus, nè verbum quidèm, cùm tamèn de illis maximè omnium esset agendum.

Tertium. 159 Ac licet monasteria, eo tùm decreto exempta fuerint; apud eundem tamen Bedam leges, quædam monasteria suo tempore alienæ iurisdictioni, & visitationi (non obstantibus quibuscunq; exemptionibus) paruisse. Quo magis illud admiror, quod in hoc Eugeniano diplomate dicitur, compertum nempè fuisse delegatis hisce, (de quibus in diplomate) Cantabrigiam ab omni tempore, huiusmodi exemptionibus suis fuisse vsam, simulq; ab aliena Archiepiscoporum ac Episcoporum iurisdictione semper immunem extitisse, nec non ab interdictis, Ecclesiasticisq; censuris quibuscunq;.

Quartum. 160 Quasi verò cum sub Rege Ioanne ab Innocentio papa, vniuersa Anglia, per sex annos, & 14. hebdomadas, sub interdicto poneretur, anno domini 1208. Cantabrigia sola sub interdicto non poneretur: immo & omnes ecclesiæ Anglicanæ, quoad actus publicos, huic interdicto paruerunt exceptis solummodò Conventualibus, quibus solis indultũ est, vt semel in hebdomada, divina celebrarent mysteria, ianuis tamẽ clausis, vti scribit innominatus author monachus de Abendon, sive Seukeshã olim, in suo de rebus cœnobij sui chronico: quod ex chronico Tho. Mercham, & ex libro cœnobij dicto Le-landboke, & albo libro Ioannis Glostinevyle illius loci Abbatis, se compilasse scribit; vndè cum an. domini 1361 floruisse constat.

161 Aut quasi illi ipsi delegati ignorassent, Robertum Kylwarby, Ioannem Peckam, Thomam Arundel, omnes Cantuarienses, (sed Oxonienses) vtramq; Academiam, aut saltem illã iure Metropolitico visitasse, autore Matheo Cãt. Ioannem Rikinghall quoq; Cancellarium Academiæ Cantabrigiensis, qui, referente Londinensi ipso, magnam in hisce bullis spem posuit, transcribendasq; ad publicandum curauit, ab Henrico Chichleyo Cantuariensi Archiepiscopo,

Quintum. Cantabrigia non fuit immunis a visitationibus Archiepiscoporũ

quod

quòd à synodo Londinensi abfuerat, fuisse citatum, ac in ius vocatum: Thomam de Lyld Eliensem Episcopum, circa annum Domini 1340. autore Matheo Cant. statuta Collegij Corporis Christi Cantabrigiæ, à doctis illius Academiæ viris edita, confirmasse: ac deniq; Hugonem Balsamum, Eliensem Episcopum, anno domini 1276. apud Downham in Octabis Michaelis, statutum quoddam super iurisdictione Archidiaconi sui Eliensis, ac Cancellarij Vniversitatis suæ Cantabrigiensis edidisse, vbi sic scribit. *Adhac (inquit) quia iurisdictio dicti Archidiaconi, à iurisdictione præfati Cancellarij, tam ratione contractuum, quam personarum, ac etiam causarum, liquide est distincta, ac constat vtrumquè esse nobis immediate subiectum, &c:* inquit Eliensis Episcopus diœcesanus, tā Cancellarium Cantabrigiensem quam Archidiaconum nobis. h. e. iurisdictioni nostræ esse subiectum. Negant tamen hic delegati, immò dicūt diœcesanos, & Archidiaconos, &c. ab exercendâ iurisdictione, apud Cātabrigienses, se totalitèr abstinuisse: iura, fides vbi nūc? Altera pars mentiatur necesse est. Valida ratio. Sextum

162 Equidèm delegatis minùs credendum puto, quòd & ipsorum iam factum, privilegijs ipsis de quorum integritate quærerent, tantoperè repugnat. Statuit enim Honorius, nè speciales etiàm supervisores, tametsi à sede Apostolicâ deputati, se in rebus Cantabrigiensium interponerent: quid ergo sibi vult specialis hæc de privilegijs præsertim Cantabrigiensium examinandis delegatio? Nonnè quàm primùm Honorianum diploma illis occurrebat, seipsos excommunicatos ipso facto videbant? Septimum.

163 Agè: neq; enim Eugenius, satìs fidelitèr Honoriani, ac Sergiani diplomatis capita atq; contenta, cæterasq; circūstantias repetit; quę omnia summæ adulterationis sunt argùmenta. Nàm Honorij charta dabatur anno 624. vicesimo die mensis Februarij, at hìc Eugenius septimo eiusdem mensis, datam fuisse scribit. Prætereà, Honorius non solum Archiepiscopos, Episcopos, Archidiaconos aut eorum offi- Octavum.

ciales,

ciales,ſed etiam viſitatores generales,aut ſpeciales à ſede Apoſtolicâ deputatos,à Cantabrigienſibus arcet: quorum tamèn Eugenius omninò non meminit. Non ergo illam clauſulam Honoriani diplomatis confirmat;reſtringit igitur:immò penitûs omittit;ac proindè Honorij ſententiâ,Eugenius eſt excommunicandus. Dixit quoquè Honorius in ſuo diplomate,quòd Cancellarius cum Rectoribus omnia corrigeret: Eugenius vero hìc,quòd Rector ipſorum doctorum, illud munus obiret.

Pulchra inter Honorium, Sergium,& Eugenium repugnantia.

164 Sed nequè cum Sergio candidè agit Eugenius. Nàm Sergius Cantabrigienſes ſuos,non ſolùm ab omni cēſura Eccleſiaſtica,ſed etiam ſæculari exemerat; quod hic apud Eugenium omittitur. Non igitùr confirmatur illa clauſula: imminuitur itaquè Sergij privilegium, & proindè Eugenius eſt excommunicandus. Inquit etiàm Eugenius,Cantabrigienſium ſtatuta quædam antiqua, ſuper his pontificijs bullis eſſe fundata. Primò itaquè,hic iterum reſtringitur voluntas concedentis: ſtatuta enim non ſolent ſuper privilegiis fundari,quia ſtatuta ſunt iuris ſtricti, privilegia vero iuris privati: fiet igitur imminutio, ſi illa ſuper his fundentur, vel ſaltem reſtrictio;immò niſi fiat reſtrictio, nō fit ſtatutū. At pontifices,ſub pœna excommunicationis,voluntatū ſuarum ac privilegiorum reſtrictionem fieri noluerunt;excommunicandi igitur illi, qui ſtatuta ea,ſuper bullis pontificijs, quorum ius mutare non debebant, condiderunt.

Nonum.

165 Deindè,ſi à tantâ antiquitate ſtatuta Cantabrigienſes habuerint, quid eſt quod ſinè Oxonienſibus ſtatutis, ac privilegijs ſub Eduardo ſecundo, (vti infrà dicetur) res ſuas non adminiſtrarunt?

Decimum.

166 Vltimò,quid aliud Eugenius hic agit? Quid corroborat? Quid confirmat? Præter exemplaria quædam Honorij,atquè Sergij diplomatum,quorum Originalia perijſſe vetuſtate feruntur: cùm hic de Originalibus ipſis, non autē de exemplaribus,quorū fides ſemper incerta eſſe ſolet,quæratur,nihil autem proferatur,aut probatur: inſtrumentum enim

Vndecimum.

nim, cuius originale non extat, sed in alio tantum sive privilegio, sive instrumento insertum reperitur, nullam fidem facere Iurisperiti asserunt. Sed ridiculum (inquis) est, ad ea quæ habemus nihil dicere, quærere quæ habere non possumus: & de hominum memoria tacere, litterarum memoriam flagitare. Est quidèm fateor, si modò eiusmodi homines & testes, quos oculatos dicimus, producantur: hic enim originalium litterarum memoria flagitanda non est. Londinensis autèm eos profert testes, qui tantùm exemplaria, non Originalia viderunt: cuiusmodi testibus, quoniàm in re tanti momenti credendum non est, certior fides ab ipsis litteris Originalibus flagitanda est. Quæ cùm produci nō potuerint, nec vnquàm sunt producendæ, deserta est causa, res lapsa, fides violata: atquè ideò ad Cadwalladri Regis Brytonum diploma deveniam. Verus harum bullarum defectus.

167 *Cadwalladrus divinâ favente gratia Rex totius Britāniæ omnibus Christi fidelibus tam nobilibus quam plebeis salutem: Notifico vobis, me concessisse Almerico Rectori scholarium Cantabrigiæ, & singulis suis successoribus legitimè ordinatis, libertates, iura, consuetudines, & privilegia, super omnes scholares moram ibi facientes. Sintq; doctores & scholares illius celeberrimæ matris philosophiæ, civitatis Cantabrigiæ, à Cātabro ædificatæ, nec nō à Grātino Comite honorabilitèr muratæ, ab omni calumnia, inquietatione & scandalo liberi, sicut hæredes mei, mihi habentur. Eidem insuper Almerico & eius vicem gerentibus, concedo potestatem cognoscendi, tam in ignotis causis quam in notis, in modicis & in magnis. Et eandem autoritatem puniendi & dimittendi habeat, quam mea curia (tantummodò læsæ maiestatis crimine excepto,) quemadmodùm antecessores mei Rectoribus eiusdem civitatis concesserunt, & statuendo confirmarunt, videlicèt Lucius, Asclepiodorus, Constantinus, Vtherpendragon, Arthurus & pater meus Cadwallus Britanniæ patris gratiâ altissimi Reges: qui ciuitatis Cantabrigiæ habitatores, causâ doctrinæ & sanctitatis vitæ honorantes, in reuerētia habuerunt & amore; cùm ex illa ciuitate præcipuè, processerunt philosophantes, & scientiæ amatores totius Europæ. Quocirca omni-* Cadwalladri diploma Cantabrigiā transmissum

nipotentis Dei, patris, & filij, & spiritus Sancti authoritate, & perpetuæ virginis prohibeo, & vniuersis regni mei, cæterarumq; gentium in circuitu persistentium præpositis, & primatibus præcipio, vt nullus Rectorem ciuitatis prædictæ, seu scholarem cuiuscūq; facultatis, in eadem perturbare, aut inquietare audeat; sed omnes pariter et singuli Pontifices, Reguli, & principes, respectu scholarium ac iisdem seruientium, tam in sæcularibus, quàm ecclesiasticis causis, prædicti Rectoris iudicium expectent, sicuti prædecessores nostri sanxiuerunt. Si quis autem quouismodo deincèps ab aliqua occasione interrumpere, seu irritum facere huiusmodi priuilegii testimonium nisus fuerit, à consortio pietatis, vltimi examinis ventilabro, dispartitus sit. Datum Cantabrigiæ anno ab Incarnatione Domini 685.

Cadwalladri-ni diplomatis examen.

168 De Cadwalladro, magna est inter Britonum & Anglorum chronica controuersia; vti annotavit olim Caradocus Lancarnauensis, in Regum Britannicorum successione, & post eum Florilegus. Hi enim Cadwalladrum, Kiniberti Saxonis; illi Cadwalini Britonum regis, filium esse uolunt, quod & ipse in diplomate suo profitetur. vbi Ceadwallam .i. Cadwalinum, patrem suum, Brytanniæ Regem agnoscit. Vt hinc constaret, quot & quanta, pro Cantabrigiensibus scilicet Saxonibus, si omnino vllis, acturus iam esset, qui eum Cadwalini filium, ac proindè verum totius Brytanniæ hæredem, & regem esse negabant, nec illius quidem diploma tanquam à legitimo principe profectum accipiendum putabant. Etsi enim Westsaxonum regnum duobus annis, totamq; Vectam, & Cantiam, ex Florilego Cadwalladrum occupasse didicimus; quid tamen in Orientali Anglia cui tunc prefuit rex Alduulfus aut illius vrbe Cantabrigia, Cadwalladrus potuit, aut quantum illic loci valuerit eius authoritas, præsertim in vrbe paulo antea desolata, anno scilicet *679.* vti ex Beda colligo, nemo certe nostrorū Chronographorum vnquàm prodidit.

Argumentum primum.

169 Verum omissa Cadwalladri genealogiâ, quam ad concilianda vtriusq; gentis chronica Bardis Cambrensibus,

de

de quibus Sylv: Gyraldus in deſcript: Cambriæ cap. 3. explicandam relinquo, ad illius diploma venio. Ceadwallus, ſive Cadwalladrus iuxta Londinenſem libro hiſtoriæ Cantabrigiæ ſuæ primo, ſcholas Cantabrigienſes anno domini 867. aut 876. reſtituiſſe dicitur. At Cadwalladrus illius filius, hoc diploma dedit Cantabrigiæ anno domini 685 (licet iuxta Londinenſem ipſum in libro prædicto, anno domini 681) filius igitur antè patrem ſuum per 282 annos extitit, (niſi in numerorum notis aliqua fuerit tranſpoſitio) ſi vera ſit Londinenſis ex Fabio Quæſtore ſupputatio; de qua ſi dubitaſſet, profectò in præiudicium huiuſce diplomatis nūquàm produxiſſet.

Secundum.

Inſignis huius diplomatis elenchus.

170 Cadwalladro autèm Brytonum Rege, quis miſerior? Fuit hic vltimus Britannorum Regum pudor: Saxonibus tunc rerum potitis: quia ſic voluit πεπρωμένη: Eccleſiarū, & Monaſteriorum everſionibus (quidquè apud Sewkeſham locum à Seveco Pagano ſic dictum, nunc vero Abendonia dicitur, vt Abendonenſis Chronici author de quo ſupra, egerit, ſatis apertum eſt) eius ætas decurrebat; donec ipſe iam fortunæ ſuæ pertæſus, cum pera & baculo, (vti idem author loquitur) ad agendam commiſſorum ſuorum pænitentiam, Romam profectus, à Sergio primo ſuſcipitur (eodem ipſo anno, quo Sergius privilegium ſuum Cantabrigiæ ſi placet dederat) atquè ab eo baptizatus, anno domini 689, Romæ moritur. Adeò vt hoc diploma Cantabrigiæ dederit, quadriennio antequàm fidem Chriſti ſuſcepiſſet, quod, quàm veriſimile fuerit, cuiuſvis iudicio ponderandum relinquo.

Tertium.

Quartum.

171 Mitto illud, Cadwalladrum non omnino Cantabrigienſibus hoc dediſſe privilegium, qui tum Saxones erāt omnes, novamquè & hodiernam Cantabrigiam, quā ipſi condiderant, tenuerunt. Quos enim Cadwalladrus in exordio diplomatis ſalutat? Chriſti ſcilicet fideles: ergo non Cantabrigienſes; qui tum erant Saxones, quos Britanni nunquàm fideles iudicarunt, vti in Arthuriani diplomatis examine dictum eſt, Rurſùs, cui loco hoc privilegium tranſmittit, Civi-

tati scilicet à Cantabro ædificatæ, & à Grantino Comite honorabilitèr muratę (quę sunt ferè ipsissima nigri codicis verba, & insignem dolũ redolent, quasi Cadwalladrus Nicholai Cantilepi veteris scilicet illius Ruani historiolam legisset, quæ hæc quoq; diplomata satis per se evertit, teste Harpesfeildo) ergo non Cantabrigiæ hodiernæ, quæ non à Cantabro, sed à Saxonibus condebatur teste Lelando, Stoveo, Cãdeno, &c. Quod verò Cadwalladrus iste Cantabrigiam à Grantino Comite muratam fuisse scribit quæro quos tandẽ muros intelligit, lutonè, an saxo constitutos? Si luto, quid honorifici in hisce muris esse potuerit, nõ video: si saxo, certè & hos quoq; muros, vno ariete evertam: habeo enim Bedam, qui maiores lapides. i. ædificijs accommodatiores, illic circitèr loci reperiri negat, in loco supra citato: habeo quoq; Stoveum, qui in perlustratione Londini, veteres Brytannos, muris, ædificijsq; è saxo caruisse, immo politioris, & solidioris Architecturæ, prorsùs extitisse rudes, Architecturam in saxo, à Romanis primo didicisse (quibus Grantinus iste multò superior est) & ante illorum adventum, Brytonũ oppida non alia, nisi sylvas quasdam & nemora, fossis quibusdã terræq; aggeribus, pręsidij causa circumdata fuisse, ex antiquissimis cùm Romanis, tùm nostris quoq; scriptoribus, constãter affirmat. Et illis tamen diebus, tanta fuit murorum Grãtine tuorum gloria? Ex lignis verò muros eos extitisse non credo: Sylvas enim tanquam villas ipsas, & tecta, veteres vti ex hisce liquet, incoluerunt. Secùs quidem quàm nos, qui sylvis radicitùs evulsis, vacuâ vbiq; planitie nimium, gaudentes, Brytanniam cum Aegypto cõmutavimus: hinc illæ lachrymæ: & seris nepotibus deflenda vbiq; lignorum inopia; tu tamen mi Rosse, in antiquo tuo rythmo falleris.

Octauum.

Veterum Bryt. ædificia.

Water shall waxe, and wood shall wane,
No man shalbe meny, and meny shalbe nane.
The hare shall kentle vpon the harthstone,
My deere son then build thy house of lime and stone.

Inopia lignorũ

Nam si Oxoniensis Tamesis, in velivolum flumen, & navi-

culis ferendis accommodatum, aliquando augeretur; quod serenissimi Regis Iacobi beneficio propè divino, (quo veluti plenilunio humiditatis parente, aquæ moles rarefacta, obicibus ruptis carceribusq; suis, ripas indignata, fluctuabit & intumescet) & Illustrissimi Cancellarij, eiusq; venerabilis Vicecancellarij studio penè incredibili, & omnium bonorũ voto, brevi futurum speramus, profectò, nõ Cygnorum Lelande tuorum, sed lignorum, & id generis commodorũ tantum esset, quantum Oxoniensibus tuis esset satis: nimiũ certè, nisi malorum, esse non potest. Sed hæc obiter.

D. King, Decanus Aedis Christi Oxon.

172 Deindè, quid concedit hic Cadwalladrus? nempè vt Almericus Rector in causis notis & ignotis iudex haberetur. Dignum certè privilegium: quòd eandem authoritatẽ apud suos habeat, quam curia sua Regalis: excepto tantùm læsæ maiestatis crimine, quemadmodùm prædecessores suos decrevisse ait; inter quos Arthurum producit, qui in suo diplomate; nec curiæ suæ Regalis, nec læsæ maiestatis criminis omninò meminit: quòd Episcopi & primates eidem Cãcellario pareant, in quo cũ Honoriano privilegio antedicto consentit. Quod verò dicit Cadwalladrus, se nihil aliud Cãtabrigiensibus concessisse quàm quod prædecessores eius, Lucius, Asclepiadorus, Constantinus, Vtherpendracon, Arthurus, & Cedwallus pater, anteà ijsdem concessissent; imprimis quæro, quorsum Guthelinum, Octavium, Vortimeriũ & Vortigerium, Britanniæ Reges, & insignes Cantabrigiæ restitutores (si qua lib. histor: Cantabrigiæ. 1. Londinensi fides) in eadem serie non numerat? De Lucio, satis supra dictum est. De Asclepiadoro pauca admodum supersunt, ex quibus de illius quidem gestis quicquã, satis solidè dici posse videatur. Constantinum verò quẽ tandem intelligit? Magnum quidem illum Lõdonijs autore Stephanide natum, an illius filium Constantinum? Magnus Constantinus, non antè annum Dom. 318. baptizatus est: *tùm verò perfectus Christianus factus, licentiam dedit liberè restaurare & fabricare in honorem Christi Ecclesias, ac ijsdem per totum ferè Rom. imperium pri-*

vilegia dedit, vt populus Christianus ordinatis liberè Episcopis et Episcopatibus, viueret liber & indemnis. Hæc Florilegus. Iam verò cum non sit credibile, Constantinum ante baptismũ suũ, aliquid huiusmodi Cantabrigiæ gessisse: animadverte quid author meus dixerit: inquit enim Constantinum, pia illa opera *per totum fere Rom. imperium* præstitisse. At Brytones eo tempore, Romanos Dominos non agnouerunt; Octauius enim Brytonum rex, qui Constantino Magno supervixit, *Romanis eiectis et dissipatis, regnum Britanniæ occupauit et illud annis multis pacificè gubernauit*, inquit Florilegus. Et tamen Constantinus iste, Cantabrigienses, privilegijs, & immunitatibus donavit? Constantinus vero illius filius in Brytannia non regnavit, ac proinde Cadwalladri prædecessor non erat. Vtherpendraconis autem tempora quàm infausta fuerunt, circa annum Dom, 511. Ex eodem Florilego intelliges; siquidem eo tempore, *Videntes Saxones qui Brytanniam incolebant, Vtherpendraconem Regem graui infirmitate laborare, convenerunt omnes in vnum, vt omnes Insulanos à finibus suis patrijs expellerent et amouerent, iunctisq; viribus fertilem patriam sibi in perpetuum subiugarent, perlustrantes itaq; prouincias quasq; cum neminem sibi obfuturum intellexissent, totam fere Insulam à mari vsq; ad mare deuastare caperunt, nec prælatis ecclesiarum, nec rebus diuinis parcentes, penè totam Insulam deleverunt*, Inquit idem Florilegus. Nec multò aliter de Cedwallo audio, qui & Pagano sævior, tanto adversus sanctos furore bella gesserit, vt S. Edwinum, itemq; Oswaldum sanctum, Reges, crudelissimè de medio sustulerit, & post obitum, equum æneum in signum illius crudelitatis, veluti statuam quandam, sibi adiunctum habuit. Hi tamen Cantabrigiensibus fauebant? horum tempora, literarum ac pietatis studijs accommodata extiterunt?

173 Quasi Theodorus, celebris ille Cantuariensis Archiepiscopus, quiquè primus omnium pontificalem vigorẽ apud nostros exercuisse dicitur, autore Matheo Cant. nec non Egbertus Archiepiscopus Eboracensis, qui simul & eo-

dem

dem tempore (si Londinensi credimus) Cantabrigiæ etiàm, dùm Archiepiscopi & primates essent, in Theologiæ curriculis versati, studebant, (quanquàm Honorius & Sergius, omnes Episcopos, & Archiepiscopos, procùl illinc suis privilegijs & fulminibus abegissent) Cancellarij Cantabrigiensis iurisdictioni obtemperabant: atquè ità Egbertus Eboracensis, cùm eodem quoquè tempore, (loquor ex ipso Londinensi) Academiæ Cantabrigiensis esset Rector, Theodoro Cantuariensi Archiepiscopo, totius Angliæ primati præfuit, quoad Ecclesiasticæ iurisdictionis exercitiũ; quod profectò inauditum esset mi Londinensis. Sed omnium ridiculosissimum est illud, quo significat, se Cantabrigiæ extitisse tùm, cùm hoc diploma concesserit & ediderit: quid enim acturus illic esset? an vt nigrum codicem legeret, vnde historiam suam desumpsit, Cantilepo nondum nato? Ac postremò, oblitus se Regem esse Cadwaladrus, Romani pontificis Personam induens, hæc omnia, sub pœna Anathematis æterni, observanda præcipit. Hactenùs de Cadwalladri Rescripto.

Decimum.

Vndecimum.

Vltimum.

174 Iàm quod ad Eduardi Senioris Aluredi filij diploma attinet, quod Cantabrigiæ quoquè datum, sub Frithstono Rectore Londinensis asserit, in quo de Cantabrigia sic scribitur, *Vbi scilicet ab olim viguit mater philosophia, & reperitur in præsenti fons clerimoniæ, &c.* ideoq; veterum privilegia confirmantur duratura, *quamdiù vertigo poli circa terras, æquora, & æthera syderum, iusto moderamine voluet, &c.* imprimis certè, nihil tale in Hydensibus Chronicis reperitur, é quibus se ista accepisse scribit Londinensis; deinde quid est quod de matre philosophiæ aut fonte clerimoniæ hic audio, cum apertè apud Afferium legerim, non nisi paulò antea, Guthrunum Orientalium Anglorum regem, cum omnibus suis ab Aluredo nostro fidem Christi suscepisse?

Edwardini diplomatis examen.

175 Tertiò, si nihil aliud obstaret, saltèm ineptæ illæ, ac pueriles locutiones, & regiâ maiestate indignæ, quibus in eodem vtitur, vtpotè de *fonte clerimoniæ, & polorũ circa terras* ver-

vertigine, ſyderum moderamine, (quaſi ad lunares incolas ſcripturus eſſet) ſatis profectò indicant, non multùm fidei huiuſmodi adulteratis ſcriptis eſſe adhibendum; & nova quoquè ingenia, veteribus ſcriptis corruptiora eſſe ſolere. Nunquàm etiàm, aut ægrè ſanè admodùm, Aſſerij Menevenſis ſcriptoris fideliſſimi, & illorum temporum æqualis, autoritatem reijciam, qui hodiernam vrbem ſemel atq; iterùm Grantbryg nominat, Cantabrigiam autèm nunquam: quo tamèn nomine, in Eduardino diplomate dictam fuiſſe, author eſt Lōdinenſis.

Edward: Senioris diploma reijcitur.

176 Quamobrèm nec ego, quamdiù vertigo poli circa terras, æquora & æthera ſyderum, iuſto moderamine voluet, diplomati adeò ridiculo, & adulterato fidem vllam adhibiturus ſum: etſi quibus in rebus bonus Eduardus Cantabrigię profuiſſe falſò dicitur, ſtatim aperiam; poſtquàm peracta iā adulteratiſſimorum diplomatum refutatione, pauca de Sigeberto dixero, eumq; etiàm excuſſero, quo minùs aut ipſe conditor, aut (quod Londinenſi placet) Academiæ Cantabrigienſis reſtitutor tantùm, vllâ ratione habeatur.

177 Scio equidem incertum authorem non deeſſe, qui vt ſic incipit, *Anglia quatuor partes habet, &c.* definit verò in annum 1546. ità de origine vtriuſq; Acad: ſic ſcribit. *Oxonij gymnaſium inſtituit Aluredus, hortante Neoto viro Sanctiſſimo: vndè, à tempore quo Cantabrigia ſub Sigeberto, rege Orientalium, & Oxonium ſub Aluredo cōdita ſunt, ſemper fuere viri in Angliâ doctiſſimi, à quibus Lutetia Pariſiorum, Papia in Italia originem duxerunt. Cantabrigiæ gymnaſium præceſſit Oxonio annis* 265. *Nam Sigebertus anno Chriſti* 630. *Cantabrigiam erexit & Aluredus Oxonium anno Chriſti* 895. Hæc ille; in vtroq; certè conditore egregiè deceptus; præcipuè verò in Sigeberto; quem ſi quis Cantabrigiæ fundatorem primum tueri potius, quam Aluredum Oxoniæ tantùm reſtitutorem concedere maluerit, neceſſe eſt vt ſententiam ſuam corrigat, & me ſuadente in meliorem vertat.

Sigebertus an Cantabrig. ſtudij author.

178 Nam vt incerta ferè ſunt omnia, quę à recentioribus

bus hac de re dicuntur, ita nihil certius occurrit, quàm quod Bedas omnium fidelissimus libro 3 historiæ suæ cap. 18. prodidit. *His temporibus* (id est circa annum sexcentesimum tricesimum, regni Orientalium Anglorum inquit Bedas) *post Eorpwaldum Redualdi successorem, Sigebertus frater eius præfuit, homo bonus ac religiosus: qui dudum in Gallia, dum inimicitias Redwaldi fugiens exularet, lauacrum baptismi percepit, & in Patriam reversus, vbi regno potitus est, mox ea quæ in Gallijs bene disposita vidit, imitari cupiens, instituit scholam, in qua pueri literis erudirentur, iuvante se Episcopo Fœlice, quem de Cantia acceperat; eisq; pædagogos ac Magistros, iuxta morem Cantuariorum præbente.* hactenùs Bedas: Ex quo loco (inquit Lelãdus) colligunt scriptores, Grantanam Academiam, originem, Sigeberti & Fœlicis pietate sumpsisse.

179 Colligunt nè Lelande? quomodo? an sicut Londinensis Cantabri historiam ex Rosso & Polydoro colligere videtur? ex quibus tandem Bedæ verbis? immò (inquis) Bedam dicere, Sigebertum in sua patria, id est in regno Orientalium Anglorum, vbi Cantabrigia sita est, hanc scholam instituisse: verissimè: sed & multi alij in eo regno sunt loci præter Cantabrigiam. Quamobrem itaq; nullum alium quẽvis locum, præter Cantabrigiam nominant, in quo loco Sigebertus scholam suam posuit: Bedas enim, nullius certi loci mentionem facit, vbi huiusmodi Sigebertina schola instituta fuerat: si fuerit schola, quid Florilegum & alios impulit, vt scholas dicerent, certè ego non intelligo. Nam, si quia scholam Sigebertus instituit, igitur Cantabrigiensem Academiam instituit, tùm profectò, si scholas instituit, èrgo plures Academias Cantabrigienses, idem Sigebertus instituisse dicetur. Si in nullo certo loco apud Bedam instituta ea schola dicatur, quarè Polydorus, imprimis Cantabrigiæ positam, vel si plures, positas eas scholas fuisse traderet? ego enim hęc omnia ad Bedã reuoco; quem centum Stobeis, Polydoris &c. præferẽdũ existimo, nihil amplius hâc in re cõcessurus quàm quod apud Bedam meũ apertissimè proditũ legerim.

Commentum de Beda Cantabrigię conditore

180 Interim, quam egregiè hic refelluntur, qui Bedam ipsum studium *Cantabrigiæ* posuisse dixerunt. Etenim, si autores colligūt ex illo predicto Bedæ loco, *Sigebertum* Regem scholam Cantabrigiæ instituisse, certe quo modo ipse Bedas illius scholæ author haberetur, nondùm video. Sunt item, qui Fœlicem ipsum Burgundionem, illius scholæ Cantabrigiensis (si placet) autorem faciunt: inter quos, est Matheus Cantvariensis in Honorio, cuius rei (inquit) in marginali nota, *citetur tèstis Gulielmus Malmesburiensis*, agè igitur; citetur: is libro primo de Gestis Regum Angliæ, de Sigeberto sic dicit, *scholas etiam literarum per loca instituit, quod pro magno certe debet prædicari vt literarum dulcedinem per eum experirentur homines agrestes antea & fanatici*. hæc Malmesburiensis: quem eò libentiùs produxi, vt inde clarissimè appareret, quod si Orientales Angli, antè *Sigeberti* Regis tempus, agrestes & fanatici homines extiterunt (vti hic scribit Malmesburiēsis) quid de iniquissimis illis diplomatibus prædictis quæso sentiendum est, quæ Academiam Cantabrigiensem, multò ante Sigebertum longiore repetitam memoria, florentissimam apud Orientalem Anglos, immo Brytannos ipsos, & omni literarum genere ornatissimam nobis obtrudunt? nam si tanta extitisset, antiquissimis temporibus Brytannorum nostrorum, Cantabrigiæ istius virtus, & eruditio; profecto non video cur foret

Error Math. Cantuariensis

Valida ratio.

Edicto veterum vocitata Britannia, brutis
Barbara quòd furit hac gens vitrò moribus omnis

quemadmodum scribit Stephanus Africanus Presbyter, poeta satis antiquus, si non bonus satis, qui rogatu Aunarij Altisiodorensis Episcopi, S. Germani vitam antiquo carmine conscripsit.

Sigebertina schola non fuit Cātabrigię posita.

181 De Fœlice vero Burgundione libro de Gestis Pōtificum secūdo, Malmesburiensis ita scibit, *scholas quoq; literarum opportunis locis instituens barbariem gentis, sensim comitate Latinâ informabat*. hæc Malmesburiensis. Sed non dicit Sigebertum aut Fœlicem has scholas Cantabrigiæ instituisse:

non

non sic profectò Malmesburiensis; non ita vlla ratione conclusurus es, mi Londinensis: nec Fœlix Monachus (vt tibi quoq; Lelande respondeam) Sigeberti iussa secutus, artibus illustrem reddidit atq; scholis, Cantabrigiam, sed illum tantum locum vbi Sigebertus scholam suam posuit: quis vero locus is fuerit dicito si possis, & eris mihi magnus Apollo, non amplius Lelandus. Nam, de veteri Grantacestria nihil hic agendum omnino, siquidem illa Bedæ & Sigeberti temporibus fuerit desolata.

182 Deinde de discipulis ipsis ac forma docendi, apud scholam Sigebertinam, quid est quod Cantebrigiensi Academiæ dedecori potiùs non sit futurum, quàm gloriæ, si hæc de Cantabrigiensi studio tantoperè intelligi velint. Nã, quòd Adrianus Romanus in Theatro vrbium, scholam illam Sigibertinã, peraugustã fuisse scribit, libenter ab eo scirem quid de pædagogio sentiret: pædagogiũ enim, & scholam Abecedariam illam fuisse, si fas sit dicere (cuiusmodi D. Bernardus olim Parisijs tenuit, puerulos verberibus castigando, & eorum in exercitijs furta increpando, referẽte Ioanne Sarisburiensi, Metalogici sexto) ex Vincentio in speculo historiæ lib. 23. cap. 21. dicerem, qui originem harum scholarum describens, ait *Walericum cum cognovisset quomodò pueri nobilium, in scholis solerent erudiri, tabellam sibi fecisse, & à Magistro infantum impetrasse vt sibi scriberet Alphabetum, &c.* quid de his existimas? & tamen hæc imitatus est Sigebertus in suæ scholæ institutione autore Beda, cũ eo tempore Academiæ in Gallijs non essent.

Sigebertina schola fuit pædagogium.

Sigebertinæ scholæ origo.

183 Londinensi tamen, magni hic aliquid subesse videtur, quòd scilicèt ad Cantianorum morem, vbi Theodori ac Adriani disciplinis, plurima schola congregata esset teste Beda, Capgravio, &c: Sigebertinæ scholæ forma instituta esse dicatur: in quo, & ipse, & Stobęus eius egregiè fallitur: quasi Sigebertinæ scholę ad morem Cantuariensis scholæ institui non potuerint, vti dixi, nisi illa forma à Theodoro, eiusq; discipulis introducta fuisset, mi Londinensis, quod

Sigebertina non est ad formam Cantuariensis scholæ instituta.

quod est falsissimum profectò: Sigebertus enim, suam scholam circa annum domini 630. instituit: Theodorus verò antè annum domini 668. in Angliam non venit, quemadmodùm apud Bedam manifestissimè constat. Schola itaq; Theodori Cantuariensis, Sigibertinę scholę prototypon, & exemplar esse nullo modo potuit.

184 Quod verò Londinensis addit, præpositos nō fuisse pædagogos (quales iam habemus) sed vt in Saxonico exemplari dicitur (lareogas) h.e. doctores, illud quidē non impediet, quo minùs, si Saxonica versio erret, ad suum quoquè prototypon Latinum, revocetur & corrigatur.

185 Quinetiam de qualitate discentium admodùm laborat: quos Bedas pueros dixit, Londinensis verò puerorū nomine, adolescentes ac iuvenes, qui nondum plenè virilē ętatem attigerunt, intelligendos asserit; multisq; rationibus, sed vaferrimis, & nihil ad propositū spectantibus confirmaturum se speravit. Quasi verò ea ętate provectis, pędagogis opus esset (nisi tales essent quales viginti quinque aut viginti sex annorum discipulos se in scholis Hybernensiū vidisse, testatur Ed. Cāpianus libro descriptionis Hyb. 1.) pręsertim cum Vincentius non obscurè significet, infantum fuisse trivia quę Sigebertus in Gallijs viderat.

Sigebertini pueri.

186 Ego igitùr, per pueros in hoc Bedę loco, non alios intelligo, quàm Vincentius per infantes; aut cuiusmodi in illo trito versu, *Qui mihi discipulus puer es cupis atq; doceri*, intelliguntur. Per scholam verò, pędagogiū: non Academiā quemadmodùm Londinensis intelligit; qui & hic plurimus est, vt scholam aliquandò Academiam posse significare demonstret, quod ei facilè concedimus: omnes enim Vniversitates, etiàm Athenas ipsas, communi nomine bonarum literarum scholas dici, quis ignorat? sed quod pædagogij ratione, Academiam intelligeremus, illud profectò nimis esset alienum. Nam si quis ἐλευθέραν ἀγορὰν, apud Persas totam simul sumptam, & omnes discentium ordines continentem, Academiæ formam obtinere dixerit, fortasse non aberraret,

at si παιδοτρίβιον separatim sumptum & puerorum solūmodò institutioni accommodatum, Academiam dixerit, (cuiusmodi fuit illa schola Sigebertina) equidèm non facile crediderim. Illud quoquè mihi aliquis pro te expediat mi Londinensis: qua ratione id accidit, quod ipse Bedas horum tēporum æqualis, Sigebertum regem, pædagogiorum quorundam nomine, circa annum Dom. 630. Cantabrigię (vti dicis) institutorum, tam officiosè laudaret, (Malmesburiensis quoquè inquit illud factum *pro magno debere haberi*,) vbi tanta, tamquè præclara, Doctorum & scholarium Vniversitas nisi sex tantum antè id temporis annos (nā Honorij rescriptum anno Dom. 624. datum erat) quemadmodum ex eodē rescripto intelligo, (nisi adulterinum atquè cōfictum fuerit) floruisse, atq; enituisse legitur. Quid enim prędicatione dignum esse potest, ex eo, quòd in numerosa, & celebri admodum, Doctorum & Academicorum Vniversitate, pędagogium quispiam, aut puerorum ludum aperuerit? Quid etiam obsecro Sigebertum bonum regem, & pientissimū commovebat, vt pędagogos ac magistros de Cantia accersendos curaret, si tot docti homines Cantabrigię (si placet) pręsto ei adfuissent, qui & ipsi pręclaris imbuti dotibus, iuventutem quàm optimè instituerent?

Validæ aduersus scholas Sigebertinas rationes.

187 Quamobrèm, cùm Sigeberto ipsi res isthæc adeò malè adeoq; sinistrè successerit, vt is nullo modo Cantabrigiensis studij, aut primus author, aut restitutor (cùm secundū Malmesburiensem antè illius tēpus Orientales Angli agrestes ac fanatici extiterint) primus habeatur, accedamus ad tempora Sigeberto multò posteriora, in quibus spes est, iam tandem si vnquam alibi, vt aliquod tantæ antiquitatis quātam Londinensis vbiq; mirificè prædicat, vestigium ac indicium si non manifestum, at certè aliquantò cæteris manifestius deprehendere possimus; idque ab Edwardo si placet Seniore Aluredi filio, de quo Ioannes Rossus in libro de Regibus ita scriptum reliquit.

Edwardus Senior an Cantabrigiensis studij fūdator aut restitutor.

188 *Edwardus dictus Senior, circa annū domini 900. patri*

suo Aluredo hæreditariè in regnum successit: qui quamvis in literatura erat patri inæqualis, potentia tamen erat maior: proficientes etiam in scholis adamavit, & ad dignitates Ecclesiasticas secundum merita sua, moribus & vita sublimavit: propterea ad clerimoniam augmentandam, sicut pater suus Oxoniam, sic ipse ab antiquo cum cæteris studijs generalibus suspensam, desolatam, & destructam Cantabrigiam, iterum ad primam gloriam erexit: nec non ibi aulas studentium, & doctorum magistrorumq; cathedras, & sedilia vt dilectissimus cleri nutritor, amator, & defensor, suis sumptibus erigi & fabricari præcepit. Ab Oxonia namq; Universitate, quam pater suus nobilis rex erexerat, magistros artium quas liberales vocamus, pariterq; in sacra Theologia doctores, advocavit: ibiq; ad legendum formaliter, & docendum invitavit: hæc Thomas Rudburne in Chronicâ suâ: sed pleniùs hæc vidi Wyntoniæ in Abbatia de Hyda, in quadam antiqua tabula, cuius copiam inde habui & habeo: in dicta Abbatia ambo reges prædicti, Aluredus & Edwardus sunt consepulti: est etiàm idem processus ibi in eâdem Abbatia in quadam bene indictatâ nobili Chronica, quæ de vetusta & antiqua manu, iterum ne periret, novâ manu & placida scripta est, vt egomet vidi benevolâ licentiâ Abbatis eiusdem loci, Hæc Rossus: Thomæ Rudburni autoris satis recentis, tabellæ cuiusdã pensilis in monasterio de Hyda, cuius tabellæ tanquam ab Aluredo ipso institutæ, ad rerum suarum memoriam conservandam, Bruti chronicon in Aluredo meminit, ac deniquè Hydensium Chronicorum testimonio nixus.

189 Quæ illius sentẽtia, quo magìs pro summa Oxoniensiũ gloria, imprimis facere videtur (quid enim Oxóniensibus gloriosius, quam prima artium ac literarum incunabula Cantabrigiensibus dedisse?) eo multo magis me torquet, quod ijs impedimentis ipsa adeò torqueatur, atq; oneretur vt omnino vereor ne multis prorsus incredibilis ipsa videatur Primò enim, ipsis Cantabrigiẽsibus adversatur, Socno scilicet ac Londinensi. Soonus enim vti prædictum est, vltimã Cantabrigiæ restitutionem Aluredo ipsi, non autem Edwardo illius filio ascribit: Londinensis autèm hac in re iniquissimus

Sententia Rossi examinatur.

mus est: etenim libro historiæ Cantabrigiæ primo, in quo de eversionibus, ac restitutionibus Cantabrigiæ in ordine, secũdum iustam temporis rationem acturum se profitetur, de secunda Cantabrigiæ eversione, ac secunda restitutione locutus, in margine sic annotavit, *Secunda eversio per Saxones*, & paulo post, *Secunda (inquit) reparatio per Edwardum cognomẽto Seniorem*: hæc ille in margine; in textu & oratione ipsa late differens.

190 In quibus, vel putavit Londinensis Edwardũ Seniorem, Lucium Regem, Ethelbertum, Arthurum, Honorium & Sergium (quos omnes post secundum, tertij, quarti, quinti ordinis, &c. restitutores statuit ille) præcessisse, quod est absurdissimum: vel Cantabrigiam à primo Saxonũ ingressu, vsq; ad hunc Edwardum Seniorem desolatam iacuisse: vndè omnia tollit diplomata Regia, ac pontificia, quę intermedio tempore concessa esse ab ipso dicuntur. Vnicum profectò, & maximum omnium adversus seipsum, ac diplomata ab ipso producta, argumentum; à nobis in hunc potissimùm locum reservatum.

Insignis Londinensis elenchus.

191 Præterea, Edwardum hũc, Cantabrigiæ (si placet) à Saxonibus, in primo ingressu, atq; etiam à Danis eversæ restitutorem, facit; Lelandus vero sic ait, *scio historiographos aliquot, inter quos sunt Ranulfus Higdenus Cestrensis, & Ioannes Rossus Warwicensis, attribuisse huic (scilicet Edwardo Seniori) gloriam Grantanæ Academiæ, violentèr à Danis concussæ, & postea reparatæ*. Hæc Lelandus; licet Rossus, non eversionis Cãtabrigiæ per Danos, (quemadmodum ait Lelandus) sed desolationis per Saxones (multo ante Danorum hũc appulsũ atq; etiam per Gregorianum interdictum, restitutorem statuit Edwardum: Atq; adeò per consequens, Cantabrigiam à tempore Saxonicæ desolationis, & Gregorianæ suspensionis, vsq; ad Edwardum Seniorem, h.e. vsq; ad annum domini 900, eversã atq; destructã iacuisse. Quo posito, vbi iã diplomata (vti diximus) Regia, ac Põtificia, Cãtabrigiæ quasi Academiæ florentissimæ, inter medio tempore concessa?

192 Hæc

Rossi error & inconstantia in restitutione Cantabrigiæ tradenda.

192 Hæc. Rossi sententia est, Qui vt hic restitutorem tantum, ita alibi scilicet, in suo de Comitibus Warwici Rotulo, eundem Edwardum, Cantabrigiensis studij fundatorē simpliciter primum cōstituit. Ea fuit illius, alioqui Antiquarij diligentissimi iuxtà ac peritissimi, hac de re (forsan in se obscura) inconstantia. Nam, cum alibi hunc Edwardum, fūdatorem Cantabrigiensis studij simpliciter primum, & quo alius prior non extitit, constituat; operæprecium profectó esset, ipsos sententiæ suæ authores (si quis produxisset) considerasse: hi enim quos hic produxit, Edwardum Seniorem non fundatorem simpliciter primum, sed tantum restitutorem faciunt.

193 Quod si idem velit Rossus, atq; Edwardum restitutorem, suâ sentētiâ statuerit; necesse est vt de primo authore ipso quoq;, aliquid certi apud se Rossus statuerit; quod nusquā hic fecisse comperio. Nàm in eo ipso, quod adversus historiolam Cantabrigiensem scripserit, referēte Harpesfeildo, atquè Baleo ex Lelando, Cantabrum authorem atq; etiā Gorbomannum reiecisse putandus est: immò nequè Cantabri fabulam recitat, nisi secundum Cantabrigienses, vti superiùs demonstratum est? Quam, nec immeritò quidèm, explodendo reijcit: siquidèm, nemo Cantabri conditoris assertor, Cantilepo nigri codicis authore antiquior, vnquàm occurrit: aut occurret: nam quod Lydgatus, Bedā & Alphredum Beverlacensem, illo figmento onerat, certè Lydgatum in eo mendacissimum comperimus: quod verò Cadwalladrus de Cantabro habet, sciant omnes, illius diploma, ex nigri codicis fragmentis, totum esse factum atq; contextum. De Sigeberto verò, eiusq; scholâ, nihil omninò Rossus statuit. Ac deniq; de nullo alio tanquàm autore primo, quicquam dixit. Hic tamèn, Edwardum Seniorem, Cantabrigiā ad pristinam gloriam erexisse scribit: de restitutore acturus, antequàm de fundatore primo dixisset.

194 Similitèr, nec Ranulfus Higdenus, (quoniam Lelādo placuit Higdenum Rosso adiungere) Cantabri meminit, aut

aut Sigeberti tanquam fundatoris primi:& tamen Edwardū statuit restitutorem?Qui, inter illas vrbes omnes,& singulas,vel ab ipso Edwardo,vel Elfleda sorore,Merciorum Rectrice(exceptis Londonia & Oxenfordia quas rex semper vt præcipuas sibi reservauit)conditas,vel reparatas,ne semel quidem Cantabrigiæ meminit:cui Gulielmum Malmesbur. Henricum Huntindon.& Rog.Hovendenum adiungo.

195 Adde quod Rossus,vel de veteri vrbe scilicèt Grātecestriâ hic agit,vel de nouâ & hodiernâ , cui Grantanus pons nomen est.Veterem vrbem,post Saxonicam desolationem,nunquam restitutam legimus,ideoq; etiam Bedæ temporibus desolata iacuit.Nova vero,& hodierna vrbs, Augustini adventu non extitit:ac proinde Gregorianum interdictum nunquam experta est.Rossus igitur, de vna eademq; vrbe intelligendus non est;nisi quis forsan novę vrbis in alio loco extructionem & positionem,veteris reparationem nimis absurdè vocaret.

196 Quæ omnia profectò satis demonstrant,nec Tho: Rudburno neq; Rosso rem hanc satis innotuisse:quod sanè ijs accidit,qui nimio antiquitatis amore capti,in coniecturas incertissimas ferri videntur.Equidem non video, quo pacto hæc per Edwardum Seniorem Cantabrigiensis studij restitutio,aut institutio,Londinensi suisq; vlla ratione prodesse potuerit;quâ positâ,antiquissima illa diplomata(vti supra diximus)sua sponte ruitura sunt,non minùs quam ipsa Cantabrigia,quæ secundum Rossum,sic restituta vel instituta, anno domini(vt ipse Rossus scribit)millesimo decimo , vsq; ad cineres redacta est,iniurijs Danorum & Ethelredi Regis infausti temporibus.

197 A quibus iam,ad Gulielmi Neustriorum ducis per-veniamus tempora;vt iam tādem si fieri possit,certa aliqua illius scholæ Cantabrigiēsis originis ratio nobis innotescat. Sciendum enim,hunc Gulielmum, vacante Abbatia Croylandiæ,sive crudæ terræ,in agro Lincolniensi, Ingulfū quēdam eius sequacem,in Abbatem illi monasterio suffecisse: Gulielmus primus.

O sed

Ecclesiæ Crowlande incendium.

sed ita quidem accidit, vt illius præfecturæ tempore, Ecclesia de Crowelande, conflagraverit: quam cum Ingulfus vir pius, ac doctus, restauraturus esset, antequam summam manum operi imponeret summum diem ei fata indixerint. Cuius loco anno Dom. 1109, surrogatus est Henrici primi temporibus, homo Normannus Ieoffridus: qui è Normannia huc profectus, Magistrum Gislebertum & alios quosdam commonachos secum duxit, itineris & spei quoq; Comites, vt est apud Appendicem quæ Ingulfi historiæ adijcitur, à Petro Blesensi Archidiacono Bathon, quiq; rogatu posteà Abbatis, & conventus Croylandiæ, historiam Ingulfi vsquè ad sua tempora continuavit.

Ingulphus.

198 Hic Ieoffridus, ecclesiam illam ab Ingulfo Abbate suoquè prædecessore inchoatam, planè perficere & in actū dare in animo habebat: sed eo tempore res monasterij adeò erat afflicta, bellis nimirùm Normannorum, vt de bonis reditibusq; eiusdem, ad tantum opus excitandum, & in lucem edendum, nó esset satis. Quarè alia ratio ineunda erat; messis illa magna eleemosynarum visa est optima; emissi monachi Croylandenses, à crudâ terrâ, ad terras opulentiores, ad docendum, operandum, deniq; ad rogandum: hi ad Scotiam, illi ad Walliam, Cornwalliam, Franciam, Flandriam, Daciam & Norwegiam, & à quibus se nihil consequi posse putabant, eos ne sequi quidèm dignabantur.

199 *Transmisit autèm Abbas Ieoffridus, ad manerium, suum de Cotenham, iuxta Cantabrigiam, Gislebertum commonachū & S. Theologiæ professorem cum alijs tribus monachis, qui secuti eum in Angliā, philosophicis Theorematibus, & alijs scientijs primitivis instructissimi, quotidiè Cantabrigiam adeuntes, & conducto quodam horreo publico, scientias suas palam profitentes in brevi tēporis excursu, grandem discipulorum numerum contraxerunt. Anno vero secundo adventus illorum, in tantum accrevit discipulorum numerus, tàm ex totâ patriâ, quàm ex oppido, quod qualibet domus maxima, horreum, nec vlla Ecclesia sufficeret eorum receptaculo; vnde diversis in locis à se divisi, & formam Aurelianensis studij*

Vera Cantabrigiensis studij origo.

secuti

secuti, summo mane, frater Odo Grammaticus, & Satyricus singularis, pueris et iunioribus sibi assignatis legebat grammaticam, iuxta Prisciani doctrinam & Remigij in eundem: Ad horam verò primam, Terricus acutissimus sophista, Logicam Aristotelis, iuxta Porphyrij & Averrois Isagogas, & commenta, adolescentioribus tradebat: ad horam verò tertiam, frater Willielmus, Rhetoricam Tully, Quintilianiq́ flores perorabat: Magister vero Gislebertus, omnibus diebus Dominicis & Sanctorum festis, verbum Dei ad populum prædicabat.

200 Ita habet Petri Blesensis appendix maior, qui de Aurelianensi studio atq; etiam Averroe ipso, qui non ante annum D. 1140. inclaruit (quoàd nonnulli supputant) iuxta famam sui temporis locutus est: is enim sub Henrico 2. floruisse dicitur. Aureliæ quoquè studuerat, vbi, circa ea tempora, Averrois nomen celeberrimum erat. Abbas quoq; Ieoffridus, Aureliæ in monasterio educatus fuerat, quam ob causam, Aurelianensis studij (scilicet in monasterijs) morem Croylandenses hic observarunt; vt illud nihil obstet, an Aurelianense studiũ h. e. gymnasium ipsum tunc floruerit necne quod aliqui existimant, aliqui vero non. Porrò, maneriũ de Kotenham, primum illud Cantabrigiensis studij seminarium, ab Edredo Rege, monasterio Sancti Guthlaci Croylandię, anno dom. 948. datum est & confirmatum, quò monachi Croylandenses post suas lectiones se receperunt, & intra biennij spatium, centum marcas docendo cōpararunt: concludit igitur huius appendicis author, quod *ex isto fonte paruo qui crevit in fluvium magnum, videmus nunc lætificatã civitatem Dei, & totam Angliam factam frugiferam, per plurimos Magistros, doctoresq́ de Cantabrigia exeuntes, ad similitudinem Sancti Paradisi, &c.* Averroes.

201 Iàm igitùr dic mihi Londinensis: vbi Cantabri tui Academia? Vbi Sigebertina schola, ab omni tempore florẽtissima, atq; ità ad hunc vsque diem perducta teste Soono tuo? Etenim si bonæ literæ, tantoperè tùm cùm hæc fiebant, Cantabrigiæ floruissent, profectò Croylandensibus, quasi

novum quiddã & anteà inauditum ibi sonantibus, nullus fuisset locus, prȩsertim in horreis docentibus (quod ignominiȩ loco non dico, cum sciam Apostolos ipsos in Ecclesiæ infantia in horreis & cavernis quoque docuisse) Ecclesijs ac laycorum domibus, si scholæ, si auditoria gymnasticis exercitijs destinata, Cantabrigiæ, à tanta antiquitate præextitissent.

202 Hic igitùr parvus fons, pauci monachi à manerio de Kotenham tanquam à capite manans ad Cantabrigiã ipsam, in magnum ibi fluvium crescebat; quem si Cantilepus, si Lydgatus animadvertisset, de altero illo fluvio Grant, tã inepta, tàm absurda commenti non fuissent. Granta fluvius, nomen; sed iste ex paruo fonte fluvius, scholam Grantebrigiæ dedit, idq; primò: neq; tamèn certè in fluviũ tam amplum crevisset, nisi rivuli ab Oxonia vsquè deducti accessissent. *Nàm vt vidi* (inquit Rossus) *in quadã Chronicâ apud Osney, prope Oxoniam, dum ibi eram scholaris, quidam nobilis Theologus Magister Robertus Pulleyn appellatus, scripturas divinas, quæ in Anglia diù obsoluerant, apud Oxoniam legere cœpit, publicè in scholis S. Theologiæ anno dom.* 1134. *&c. cuius discipuli* (inquit) *tam Oxoniæ quàm Cantabrigiæ lecturã postea continuarunt.* Hæc Rossus: cui innominatus author, qui falsò Bedæ nomen præ se fert, in publica bibliotheca Oxon: consentit. Hic primus rivulus est, qui ab Oxonia Cantabrigiam manavit, eoq; Oxonienses mercaturas, abundè satis traduxit: atq; hic fuit fluvius doctrinæ.

Cantabrigia per Oxonienses aucta.

203 Alter erat quasi privilegiorum, ac libertatum fluvius, qui ab Oxonia quoq; manans, tanta secum commoda, ad Cantabrigiam deduxit, vt eorum amplitudine, & gratis, paulò post, Cantabrigiensis schola sive studium, Vniversitas iam tandem fieret. De quibus singulis, nè cui mea fides suspecta sit, res ipsas ac scripta, meo more proferam. Etenim Edwardus secundus, Angliæ post conquestum rex, de statutorum ac privilegiorum Oxoniensium pro Cantabrigiensibus transcriptione, in suo ad illam Academiam diplomate, ita scribit, *Concessimus pro nobis & hæredibus nostris, quod prædi-*

Oxoniæ priuilegia Cantabrigiæ concessa.

cta

Et Cancellarius, Magistri & Scholares eiusdem Universitatis & successores sui in perpetuum, habeant ibidem omnimoda talia, libertates & privilegia qualia per nos & progenitores nostros Cancellario & Universitati Oxon sunt concessa, in eadem Universitate Cantabrigiæ perpetuis temporibus exercenda; & quod de dictis privilegijs, & libertatibus, fiant ijsdem Cancellario & Universitati Cantabrigiæ litteræ patentes, sub magno sigillo nostro, de singulis huiusmodi privilegijs, mentionem facientes. Hæc Edwardus rex qui etiam ad Ioannem papam Vicesimum primũ, pontificẽ Rom. pro illius Academiæ confirmatione scripsit, quod & Ioannes pontificiæ bullæ autoritate sub hâc formâ præstitit.

1204 *Ioannes Episcopus seruus seruorum dei, dilectis filijs Vniuersitatis Cantabrigiæ Eliensis Diœcesis salutem, & Apostolicam benedictionem. Inter singula, quæ grata nos oblectatione lætificant, grandi cor nostrum reficitur gaudio, & lætitia exultat exoptata, cum eos qui calesti sunt prouidentia præditi, ad populorum regimen & regnorum, ad communem subiectorum suorum profectũ intentos aspicimus, ipsosq; ad publicæ vtilitatis bonum, solicitos intuemur: sane charissimus in Christo filius noster, Edwardus rex Angliæ illustris, prudentèr attendens, quòd multitudo sapientum, salus est regnorum, quodq; non minus prudentum consilio, quàm fortium strenuitate virorum, regentium, & regnorum moderamina disponantur, apud Cantabrigiam Eliensis Diœcesis locum, in regno suo multis commoditatibus præditum, & insignem, desiderat vigere studium generale, & quod à doctoribus & docendis in posterũ frequentetur, humiliter postulauit à nobis vt studium ab olim ibi ordinatum, & priuilegia à Rom. pontificibus prædecessoribus nostris vel Regibus qui fuerint pro tempore eidem concessa, Apostolico curemus munimine roborare. Nos igitur suæ intentionis propositum, dignis in domino laudibus commendantes, eiusq; supplicationibus inclinati, Apostolica autoritate statuimus, vt in prædicto loco Cantabrigiæ, sit de cætero studium generale. Volentes autoritate prædictâ, et etiam decernentes, quòd Collegium Magistrorum, & scholarium eiusdem studij, Vniuersitas sit censenda, & omnibus iuribus gaudeat, quibus gaudere potest, & debet, Vniuersitas quæcunq;*

Prima Cantabrigiensis Vniuersitatis institutio.

legitimè ordinata: Cæterum omnia privilegia & indulta, prædicto studio, rationabiliter à Pontificibus & Regibus prædictis concessa, autoritate prædicta confirmamus. Nulli igitur omninò liceat hanc paginam nostri statuti, voluntatis, constitutionis & confirmationis infringere, vel ausu temerario contraire: si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum, noverit se incursurum, Dat. Avinionæ 5. Idus Iulij, pontificatus nostri anno 2.

205 Hoc est anno Dom. 1318. aut 1319. Edwardi vero Regis Angliæ post conquestum secundi, vndecimo, aut duodecimo; quo tempore idem Pontifex Avinionæ fuit. Non autem regnante Edwardo primo, vti scribit Robertus Remingtonus aut Petrus de Ickham; siquidem nullus Ioannes Pontifex, antè hunc Io. Vicesimum primum, dictum vicesimum secundum, Avinionæ sedebat. Itaq; accedit Petrus de Ickham, (cuius de gestis Regum Angliæ opus, Londinensis Roberto Remingtono vt Hookerus observavit falsò ascribit) qui huiusce rei sic meminit, *Regnante Edwardo primo* (secũdo diceret) *de studio, Grantebrydge facta est Vniversitas sicut est Oxonium per curiam Romanam*: hæc ille: vbi vox illa (*sicut*) non temporis, quasi Oxonium non fuisset Vniversitas anteà: (Oxonieñses enim, nullam sive institutionem, sive restitutionẽ Academiæ suę huius Põtificis beneficio habẽt) sed rei tantũ modo paritatẽ designat: qua in re cũ Edwardi diplomate optimè convenit; in quo præcipitur, quòd quoàd libertates ac privilegia, Cantabrigia sit, sicut est Oxonium. Præcipit quoq; Ioannes, vt Cantabrigia ijs iuribus gaudeat, quibus gaudere potest, aut debet, Vniversitas alia quæcunq; legitimè ordinata: hæc autem erant iura, ac privilegia Oxoniensium, vt in Regio diplomate cernitur. Oxonium igitùr cùm fuerit Cantabrigiæ prototypon, multò anteà fuit Vniversitas: τὸ γὰρ τοῖς ἄλλοις αἴτιον γινόμενον τῆς αὐτοτελείας, αὐτὸ ἐξ ἑαυτοῦ αὐτοτελές ἐστι.

R. Remingtoni error.

206 Neq; vero sola ipsius Academiæ Cantabrigiensis Oeconomia publica, ab Oxoniensi Vtopia emanavit effluxitq;

Politia Acad. Cantabr. ab Oxonia derivata.

xitq;, sed etiàm ea quæ singulorum ferè collegiorũ est propria: etenim post Wickamum Oxoniensem, eiusq; statuta, quæ ille collegio suo dedit, Oxonij Cantabrigiæq; patroni omnes, quotquot collegia posteà fundaverunt, eius sensum paucissimis verbis immutatis secuti sunt, autore Matheo Cãtuar: Simon etiam de Monte acuto Eliensis Episcopus, Mertonensis Collegij statuta, Hugonis Balsami discipulis præscripsit, autore Londinensi.


207 Qui hæc omnia quoq; restitutionis, non institutionis nomine, facilè admittenda censet: cum tamen iubeat Pontifex Ioannes, quòd in prædicto loco Cantabrigiæ, sit de cętero studium generale, & quod Vniversitas censeretur, quæ essent admodum ridicula, si ante illud tempus Cantabrigia aut studium generale, aut Vniversitas habita fuisset aut privilegia sub nomine Vniversitatis, vnquã ante id tempus, à Rom: pontificibus obtinuisset. Nam quod hic Ioannes antiquioris memoriæ privilegia Cantabrigiæ concessa confirmare videtur, illud certè de nullis alijs potest intelligi, nisi de Oxoniensium privilegijs, quæ Cantabrigienses transcribendo fecerunt sua, iuxta sensum Edwardini diplomatis prout superiùs est dictum. Quæro etiam, an si tum cũ hæc fiebant, Honorij Sergijq; diplomata apud Cantabrigienses, vnà cum veteribus statutis super illis fundatis extiterint necne? nam si paulò anteà scilicet anno dom. 1311. autore Londinensi (at circa annum domini 1375. secundum Mat. Cant. in Simone Sudbury) conflagrarunt ipsa originalia, qua ratione exemplaria illorum, tùm combustorũ multò posteà comparari potuerunt sub Richardo 2°? Cùm hæc multò anteà, sub Edwardo primo gesta sint. Quid igitur (si extiterunt) Oxoniensibus iam statutis, ac privilegijs esset opus? Aut quamobrem eo tempore, cùm de privilegianda Cantabrigia ageretur, aut Regi, aut Pontifici, aut Cancellario Oxoniensi, Eustachio Normanuyle, producta non sunt atq; ostensa? Si verò tùm non extiterunt, certè apparet ea multò post fuisse conficta, & ad aucupandã antiquitatis gloriam.

Insigne Commentum de originalibus Honorij & Sergij incensis.

riam, à ſtultiſſimis hominibus venditata.

208 Quarè quemadmodùm de ideis Platonicis Ariſtoteles, τὰ εἴδη χαιρέτω, τερέτισματα γάρ ἐστι, ſic ego de illis, valeant illa diplomata, ſunt enim monſtra, ſunt ſtupenda: ſicut enim erant illæ naturæ, ſic hæc artis & hiſtoriæ monſtra. Nos paulò (vti ſperamus) fæliciùs iſta conſecuti ſumus. Scholæ Cantabrigienſis incunabula prima, Croylādenſibus ſub Hērico primo veriſſimè aſcripſimus, Vniverſitatis verò Cantabrigienſis initium, ad Edwardum ſecundum, Oxonienſem, & Ioannem viceſimum primum pōtificem Rom. retulimus. nihil vlteriùs fecimus, niſi de quo fides veterum, fidem nobis fecerit: Cantabrigiamq; multò recentiorem invenimus, quā pro voto ſuo Londinenſis cupiebat: In hoc prima inſtituti noſtri pars iam verſata eſt: Ad ſecundam veniamus, Oxonienſem tùm ſcholam, tum Academiam, illâ Cantabrigienſi multò antiquiorem manifeſtiſſimè ac diſertiſſimè oſtenſuri.

Libri Primi Finis.



ANTIQVITATIS ACADEMIÆ Oxoniensis Apologia.

Liber Secundus.



Vod, tu mi Londinensis, Iouem Optimum Maximum precatus, aut optando si potuisses, pro Cantabrigia tua efficere conatus es, (quanquàm non potuisti) vt eam ab omni ætate antiquissimam demonstrares, illud ego quia pro Oxoniensi Academia possum, mox tibi apertè quatuordecim argumentis demonstraturus sum. Non historiolæ alicuius fundamentis nixus, à quâ ipse dissentiendum putem, quemadmodùm tu; qui alios in nigri codicis defensionem vocasti, quem ipse quoàd rationē temporis deseris, sed illius potiùs historiolæ argumentis vsus, tuis profectò sum responsurus, quibus tu adductus es, vt historiolam Oxoniensem in summum discrimen vocandam existimares. Ea verò historiola sic habet.

Argumentum huius libri.

1 *Contestantibus plerisq; Chronicis, multa loca per orbis climata varijs temporibus variarum scientiarum studijs floruisse leguntur. Omnium autem inter Latinos nunc extantium studiorum Universitas Oxoniensis fundatione prior, quâdam scientiarum pluralitate generalior, in veritatis Catholicæ professione firmior, et privilegiorum multiplicitate generalior ac præstantior invenietur, provt suæ fundationis insinuant historiæ Britannicæ perantiquæ. Fertur enim inter bellicosos quondam Troianos, quandò cum duce suo Bruto Insulam tunc Albion, postmodùm Britanniam ac demùm dictam Angliam triumphaliter occuparunt, quosdā philosophos adventantes locum habitationis sibi congruæ in ipsa Insula elegisse cui & nomen videlicet Greekelade hi philosophi qui Græci fuerant vsq; in præsentem quasi sui vestigium reliquerunt. A quo quidem loco*

Primum pro antiquitate Oxon, argumentum.

Brutus.

Greekelade.

 non

non longè, municipium Oxon noſcitur eſſe ſitum, quod propter amni, um, pratorum & nemorum adiacentium amænitatem, Belloſitum olim antiquitas, poſtmodum Oxenfordia à quodam vado vicino ſic dictum populus Saxonicus nominauit & ad locum ſtudij praelegit. Scientiarum quippè exuberantior pluralitas ibidem euidentius eò cernitur, quo in alijs ſtudijs vni de pluribus ſcientiis ſic inſiſtitur, vt cum aut plures aut ſaltem maior pars earum videatur excludi; Oxoniæ verò ſingulæ ſic docentur, vt ſcientia quæ illic reſpuitur, nullatenùs licita cenſeatur: Catholicæ ſiquidem veritatis ſynceritas, ita in doctrinis diuinâ fauente gratia eſt ibidem hucuſq; ſeruata, vt hæreſis illic aliquoties pullulantis memoria non exiſtat, quam in ſui ortu non occiderit Catholicorum doctorum ſolertia & Præſidentium vigil cura. Hanc inſuper Univerſitatem Romanorum pontificum ac Diœceſanorum priuilegijs multimodis adornatam, ſic celſitudo Regia ſublimauit, vt ſcholaſticorum ditioni etiam loci Municipes obnoxii multipliciter videantur.

Prima hiſtoriolæ Oxonienſis confirmatio

2 Cui hiſtoriolæ, imprimis quod ad Græcoladenſium ſcholarum originem attinet, conſentit in libro de Regibus Io. Roſſus; Siquidem *vt Chronicæ docent* (inquit ille) *ipſi magnæ literaturæ viri à Græcia cum ipſo eorum Rege ſupradicto Bruto, nouæ aduenæ locum pro eorum habitatione congruum eligebant, cui & nomen ab ipſis Græcis Greeklade appellatum eſt: à quo quidem loco non multùm diſtante ſitu, medici qui erant inter eos periti locum iis approprIarunt congruum & ſitu ſalubrem, qui vſq; hodiè ab ipſis medicis Lechelade appellatur.* hæc Roſſus.

Lechelade.

3 Qui duarum ſcholarum tamen meminit cùm hiſtoriola Græcoladenſem tantùm nominet, de cuius origine cũ hiſtoriolâ conſentit Roſſus. Lelandus verò de vtraq; ſchola ſic ait, nempè, *veteres Britones duas ſcholas habuiſſe tam eloquẽtia quàm omni literaturâ florentes; quarum quidem vna Greekelade à græca linguæ profeſſione dicta eſt, altera verò Latinlade à lingua latinæ profeſſione: verũ nunc corruptè Crekelade & Lechelade nomen eſt.* Hæc Lelandus apud Baleum in vita Regis Alphredi Magni: Idem in annotatione Marginali in Polydorum, in hunc modum: *fuere tempore Brytonum ad ripas Iſidis*

Secunda confirmatio.

Tertia.

Græcæ

Græcæ schola & latina quarum nomina vel adhuc corruptè manent: quas, præceptores loci amænitate ducti Caleuam transtulerũt vbi pius Alfredus pristinis sedibus literas restituit. hæc Lelandus.

4 Qui Calevam pro Oxonia trito ac recepto tum errore dixit, quod & Onomasticus Gesnerus & Baleus, Ioan. Stofflerinus, multiq; alij Geographi fecisse videntur; licet Ptolomeus & Antoninus Caleuam in Attrebatijs non Dobunis (nisi duas Calevas fuisse dixeris) collocaverit, quẽadmodum verissimè observavit Camdenus qui satis diligenter totum hunc locum perpurgavit. Redeo igitur ad Græcoladenses Scholas, quas idem Lelandus non solum iam tertiò in marginali nota ad Gulielmum Coventriensem confirmvit, sed etiam in Cygnea cantione versiculos quosdam producturus erat apud Græcoladenses accolas ripæ Isidis, in fano Sampsonis conservatos, hanc originẽ continentes, quorum primus hic est, *Post quam Pallas humi furiens prostravit Athenas, &c.* Caleua. Quarta.

5 Si hæc fuerit Lelandi sententia inquit Londinensis, quorsum idẽ in Cygnea cantione, *Crecoladã Græcanicis scholis olim fuisse insignem, indoctum vulgi somnium esse scribit?* Dicã tibi Londinensis: Non enim Crecoladam, sed Græcoladam si bene apud te consideres Grę cis scholis insignem extitisse scribit in suis annotationibus quas modò produximus, Lelãdus: non igitur sibi ipsi contradicit Lelandus, dum de Græcolada affirmat, de Crecolada verò negat : nam si vnam eandemq; existimet, fateor quidem eum per Αλητίον κατα ἐλίον errare. Solutio dubitationis Londinensis

6 Nec multò secùs quam si Gręcoladã simpliciter Cricladam diceret, à lacu si placet Erudinum sive Erudinensiũ, Saxonicum constituens nomen, quod est in se Latino-Britãnicum. Ad cuius partem primam quod attinet, quamobrem esset absurdiùs Greeke à Græco quam Britanniam à Bruto, aut Cantabrigiam à Cantabro dici? Præsertim si manuscriptis credas vbi multò sæpius Græco vel Gręeke, quàm Cric

vel Crec, in prima illius vocis parte invenies: ad postremam vero partem, quis ignorat *Lade* deflexum esse à ley (1) lacus) vt Beverley (1) Castorum lacus, nec tamen hic ad Saxonicas rationes est confugiendum.

7 Quæ si minùs sufficiant, ego de Lelando respondendum puto, quemadmodùm Londinensis ipse de Baleo in eo quod in prima Britannicorum scriptorum editione, Bedam Venerabilem Cantabrigiæ bonas literas professum pronuntiat, in secunda verò editione non item: nam si persuasum ei fuit, Bedam non egressum fuisse monasterium, cur dicit eum Wermuthi & alibi docuisse? similiter si persuasum fuerat Lelando, quod reverà persuasissimum habuit, scholas Græcoladenses, temporibus Brytonum extitisse, quorsùm non semper idem diceret?

8 Postremò itaq; fuisse Græcoladenses scholas præter ea quæ ex Rosso dicta sunt; ex innominato authore perantiquo apud Franciscum Thynne (ex quo & Godwynus fortasse in Theodori vita idem affirmat) in vitis Cantuariensium pontificum intelliges, qui sic habet. *Theodorus Archiepiscopus Cantuariensis per omnes Chronicas commendatur luciferos radios rationis vna cum Adriano Abbate Orbi Britannico infulsisse, & insulam quondam nutriculam tyrannorum, in familiare philosophiæ domicilium contulisse: horum vtiq; rationis euidẽtia memoria reducitur modernorum, per illam villulam quæ Lacus Græcorum Anglicè Greekeslade à Theodori disciplina, vbi scholas primitùs tenuit, nuncupatur: in illa enim lacu refulsit quasi sol Theodorus, à sole iustitiæ illustratus.* Hæc innominatus author, qui ex parte rei nobiscum optimè convenit; personæ tamen ac temporis quoq; ratione, dissentit, Greekesladam à Theodori disciplina sic fuisse dictam asserens, cum reverà Theodorus restitutor tantùm accesserit ijs scholis, quæ multò anteà, Græcorum philosophorum doctrinis, antiquissimis Brytonum temporibus Græcoladensium scholarum appellationis rationem consecutæ sunt.

Quinta est Valida fides pro Scholis Greçcoladensibus

Theodorus Græcoladenses scholas restituit.

Richardi Diuisiensis commentum.

9 Sed multò gravior est error Richardi Divisiensis: qui

rc-

referente lib. 1, Antiquit. Cantabr. Londinensi, celeberrimũ illum Merciorum tyrannum Pendam, studium generale ex Cantabrigiẽsibus Græcoladæ instituisse scribit: primò enim iam ex Rosso & alijs constitit, Græcos scilicet philosophos de quibus supra, Græcoladense studium primitùs excitasse & suis Musis coluisse.

10 Deinde de Penda ipso, Bedæ verba libro 2. cap. 20. audiamus: *Penda (inquit) cum omni Merciorum gente idolis deditus & Christiani erat nominis ignarus*, sic Bedas: constat etiam, Gentilium Saxonum abominandum idolum cui diuinos cultus exhibebant in hac luctuosa Brytanniæ terrâ, nomine Heil (vndè forsan Hayle salutandi forma si non sit Saxonicum) fuisse dictum, quod cum in Durotrigibus invenisset Augustinus, illud idolum totum comminuit & monasterium in illius rei memoriam dictum Cerne ædificauit; sic Camdenus: vndè literas & literatos homines summo odio absq; dubio prosecutus esset Penda: boni quoq; Sigeberti Philomonachi fundatoris (si placet) scholæ Cantabrigiensis percussor extitit, sic Malmesburiensis: atque ita in paganismo vsq; ad vitæ finem permansit; ita frater Gotcelinus, in libro de vita & miraculis Hugonis Archipræsulis ad Hereberttum Abbatem.

11 Hiccinè igitur Penda scholis pietatis ac bonarum artium condendis vacavit? præsertim in regno non suo, siquidem Penda Mercijs imperabat: Greekelade vero est in Occiduis Saxonibus quibus tum Rex pius Kinegilsus præfuit, qui Pendam Idololatram quicquam in regno suo moliri nõ permitteret. Non nego tamen etiam Paganos, & fidei Christianæ inexpertes, suas quoq; scholas & Asceteria habuisse, teste Rosso, *quod quemadmodum Christiani Toletum in gratiam scholæ & literaturæ frequentant, sic faciunt Saraceni apud Hispalim quam Sybillam vulgariter vocant, vbi floret Necromantia per scholares diuinationibus & incantationibus studentes*. inquit Rossus: sed nulla ibidem florent pietatis ac religionis studia, cuiusmodi Græcoladæ & Cantabrigiæ (si placet) etiam sub Pẽ-

Penda Græcoladenses scholas nõ restituit

da, suisq; idololatris floruisse affirmat Londinensis. Deniq; historia Iorenallensis etiam fatente Londinensi, Græcoladensis scholæ meminit multò ante Aluredi tempora iuxta Oxonium constitutæ, idq; per Græcos quemadmodùm Oxoniensis historiola recitat.

12 Quæ omnia, satis abundè declarant, Græcoladenses scholas extitisse etiam antiquissimis temporibus; quanquam in cæteris ferè circumstantijs autores non satis sibi cohæreant, si eos cõparare volueris; & severioribus, calculis illorũ dicta expendere. Mihi vero origo illa Græcoladensiũ scholarum satis est perspicua, adeoq; iam de illarum translatione ad Bellesitum agendum. Qua de re imprimis audiatur Io: Rossus qui Oxoniensis vrbis originem Mempritio Regi ascribit.

Translatio Græcoladensium schol. ad Bellositum.

13 *De quo* (inquit) *nihil boni commemoratur nisi quod probum filium & hæredem generavit nomine Ebrancum, & vnam nobilem vrbem condidit quam à nomine suo Caer Mempric nominavit, sed temporum postea decursu Bellesitum, demum Caer bossa, tãdem Rydychen & vltimò Oxonia seu Oxenfordia à quodam eventu de quodam vado vicino per Saxones appellata est, quod nomẽ vsq; hodie retinet: crevit ibi posteris diebus nobile studium generale, ab inclyta Universitate de Greekelade derivatum: situatur inter flumina Thamisiæ & Charwell ibi obviantia: vrbs hæc sicut Ierusalẽ vt apparet est alterata; nam mons Calvariæ Christo passo erat iuxta muros civitatis & nunc infra murorum ambitum continetur: sic extra Oxoniam est modò quædam larga planities muris villæ contigua & Bellemount appellatur, quod sonat pulcher mons: & hoc quodammodò cum vno de antiquioribus nominibus vrbis ipsius pranominatis & pracitatis videlicet Bellesitum convenit: vndè opinantur multi Universitatem à Greekelade ad ipsum Bellum montẽ vel Bellesitum translatam ante adventum Saxonum Britonibus in Insula regnantibus et Ecclesia Sancti Egidij tunc sub nomine alterius cuiusdam Sancti dedicata erat, locus creationis graduatorum sicut modò est Ecclesia Sanctæ Mariæ infra muros.*

Oxoniæ conditor.

Descriptio Oxoniæ.

Beaumont extra portam Borealem

14 Hæc Rossus antiquariorum diligentissimus, qui anno

no

no 1486. plùs minùs floruit. Quo tempore anno ætatis suæ, 42. librum illum de Regibus & contra destructores villarum apud Warwicū vti ipse scribit (non autem è monasterio Canonicorum beatæ Mariæ de Osney iuxta Oxonium vti dicit Londinensis in suo scriptorum catalogo) *ad laudem Dei et omnium Sanctorum complacentiam* (ipsius hæc verba sunt) *& proficuum Regis* (sc. H. septimi) *Regniq; compilavit.* Error. Londinensis.

15 Hunc esse libellū quem de Academijs Britannicis Rossus scripsisse dicitur, facilè adducor vt credam; non solū quia Baleus eius opera recensens, distinctam faciens mentionem libelli Ioannis Rossi quem adversus historiolam Cantabrigiensem (de quo superiùs ex Harpesfeildo,) & vnius item de Academijs Britannicis libelli, istum qui de Regibus est planè omittit, quasi idem esset cum libello de Academijs quemadmodum ego censeo, verumetiam quòd apertè colligitur in illo de Regibus libro, præcipuum sibi fuisse de Academijs scribendi institutum: sic enim loquitur: *considera serenissime princeps, civitates, Ecclesias, Cathedrales, Vniversitates studentium, monasteria collegia & huiusmodi sacra loca per præclaros prædecessores tuos fundata; attende nunc quot per eos habes pro tuo fœlici statu die & nocte continuè orantes: his per te debitè consideratis, inducam originem cleri & studentium puta philosophorum quorum ex peritià doctrina naturalis & virtutum ac etiam leges humanæ originem traxerunt.* Idem est liber Rossi de Regibus & Academijs.

16 Vndè manifestè liquet instituti sui ratio præcipua, scilicet vt de origine cleri atq; etiam Academiarum origine tractaret: subiungit enim statim, se non omissurum *iura & titulum coronæ Angliæ ad provincias singulas eius dominio ritè subditas*; scripturum quoquè adversùs quædam enormia *& præcipuè contra modernos villarum dirutores*: hæc ille in præfatione illius de Regibus libelli, quo nos beneficio Magistri Thomæ Allani de antiquis historijs optimè meriti plurimū vsi sumus; & quem ego de Academijs Britānicis esse censeo, quanquam non ignoro Io. Baleum retulisse, non pauca de Io. Blōdo & Guil. Sherwood apud Rossū de Academijs Britan-

tan-

tannicis extare, quæ tamen in hoc de Regibus libro non occurrunt. Atq; hæc de libro ipso: redeundum ad historiam ipsam à Rosso recensitam.

17 Cui quantum ad Oxoniæ conditorem Mempritiũ, consentit Radulfus Aagasus in typo Oxoniæ anno 1578. *conditor* (inquit) *vrbis Oxoniensis Mempritius Britannorum rex: restaurator Vortigerus*. Consentit quoq; Daniel Rogersius in epigrammate suo ad Acad. Oxoniensem,

Non ingrata suis queis crevit Regibus olim,
Mempritio sese, Vortigeroq; refert.

Quanquam non ignoro Io. Stoveũ idq; ex Rosso ipso quod falsissimum est, non ipsi Mempritio sed Ebranco scilicet illius filio, Oxoniensis vrbis originem ascripsisse. Cuius rei licet incerta sit ratio, erit tamen satis accõmodata, si satis de Græcoladensium scholarum translatione ad Bellesitum constare potuerit.

18 Qua in re Rosso consentit Lelandus, qui superiùs (inquit) præceptores Græcoladensis & Lecheladensis scholæ, amænitate loci ductos, suas scholas Caleuæ (1) Oxoniæ transtulisse: idem M.W. in suo de Academijs Europæi orbis libello: idem in suis Chronicis Graftonus Londinẽsis civis: idem ferè Samuel Leuknerus, in suo de Academicis vrbibus libello Anglicè conscripto: inquit enim apud veteres historias constare, vrbem Oxoniensem á primis Brytannorum temporibus, Musis fuisse consecratam: quarum tamen postea, tam exilis erat memoria atquè fama, vt diu Frideswidæ tantùm reliquijs innotuerit, vsq; ad Aluredi tẽpora qui Musas Oxonienses restituit. Hæc is

Confirmatio historiolæ Oxon.

19 In quibus tacitam huiusce translationis mentionem facit: sed multò apertiorem Camdenus qui in Belgis sic ait, *In septentrionali Wiltoniæ parte qua Thamesis affunditur Creeklade est oppidum, alijs Greekelade, à philosophis Græcis quos historia Oxoniensis ibi Academiam instituisse prodit, quæ posteà Oxoniã translata est*: idem in Dobunis de Oxonia sic: *Prudens antiquitas* (*vt in annalibus nostris legitur*) *hanc vrbẽ etiam Britanni-*

co

co sæculo Musis consecrauit, quas Græcola da, huc tanquam in fælicius plantarium transtulerunt: hæc ille: qui primo ex Oxoniensi historiâ, deinde ex alijs Annalibus confirmat: de quorum antiquitate non est dubitandum.

20 Ridiculum enim est existimare, historiolam Oxoniensem è libris Procuratorijs desumptam, antiquiorem ipsis libris non esse qui iam supersunt, & quibus hodiè Domini Procuratores vtuntur; quorum is qui iam est Iunioris, ad Procuratorem borealem pertinebat, quem Richardus Flemminge anno Dom. 1407. Procurator Borealis, posteà vero Episcopus Lyncoln & Collegij Lyncolniensis fundator, trãscribendum eâ qua iam est formâ & successoribus suis relinquendum curavit, alter vero qui Senioris est, ad Australem Procuratorem pertinuit; est enim in Archivis Oxoniensibus alter liber Procuratorius vetustus admodùm, quo etiam Hẽrici tertij temporibus (provt ex ipsis rebus liquet) maiores vsi sunt (ex dono Magistri Tho: Allani) in quo hæc eadem *de translatione Vniversitatis de loco in locum* historiola verbatim continetur. Author libri Procuratorij.

21 Quin & his recentibus Procuratorijs libris, Gualterus Burlæus Mertonensis Collegij alumnus, qui & doctor Planus dici meruit, multò antiquior est: fuit enim Edwardi Regis tertij præceptor longè doctissimus, & S. Theologiæ doctor profundissimus: is in abreviatione problematum Aristotelis secundum ordinem Alphabeti, quem librum MS. in illustri Magdalenẽsis Coll. bibliotheca vidimus, in illud problema, *Complexio quare rara Sanior est compacta nisi pestilentia contigerit* &c. *notanda* (inquit) *sunt tria, quod ciuitas sana est in Borea & in Oriente si plãtata est aperta, & in Austro & in Occidẽte si montuosa, propter puritatem Boreæ & Orientis & putrefactionem Austri & Occidentis sicut Oxonia, quæ per industriam philosophorum, de Græcia fuerat ordinata* &c. hæc Burlæus. Gual. Burlæus

22 Inter quem & historiolam Oxoniensem Londinẽsis summam contradictionem se observasse scribit, dum historiola Oxoniensis, Græcos philosophos non Oxonienses,

ſed Græcoladenſes ſcholas inſtituiſſe, Burlæus autem hic Oxoniam per Græcorum induſtriam ordinatam fuiſſe ſcribit, ſed πολλοῦ γὲ καὶ δεῖ mi Londinenſis: hiſtoriola enim ibi loci de prima Græcoladenſis ſcholæ inſtitutione agit apud Græcoladam, Burlæus vero de earundem ad Oxoniam tranſlatione hic loquitur, quæ licet non fuerit per eoſdem Græcos qui primò Græcoladenſes ſcholas ipſas inſtituerunt, (immo nec illud dicit Burlæus) potuit tamen eſſe per eos qui illis ſucceſſerunt, & circa huiuſce tranſlationis tempus extiterũt, ſcilicet partim paulò ante tempora S. Germani, quem Oxoniæ ſtuduiſſe circa annum D.440. bona fide poſtea demõſtrabimus, ſed multo plenius Theodori quidem ſuorumq; Græcorum temporibus, à quibus ob hanc ſcil. tranſlationem Oxonienſis ſcholæ iacta fuiſſe fundamenta credũtur inquit in vita Theodori Godwinus: adeo vt omnis iſta contradictio quam Londinenſis tãtoperè inſecutus eſt, excludatur.

Solutio contradictionis inter historiolam Oxon. & Burlæum.

23 Poſt hunc igitur Burlæum, accedunt Hydenſia Chronica, vbi de Oxonia ſic legitur: *Qua Vniverſitas Oxoniæ quondam erat extra portam borealem eiuſdem vrbis, & erat principalis Eccleſia totius cleri, Eccleſia ſancti Egidij extra eandem portam: modò vero eſt infra muros vrbis Oxoniæ, & eſt Eccleſia principalis cleri Eccleſia Sancta Maria infra eandem vrbem &c.* ſic Hydenſe chronicon quod cùm Roſſo, tùm Burlæo multò antiquius eſt.

24 Porrò, dùm Vniverſitatem Oxonienſem olim extra muros portamq; borealem ſitam fuiſſe ſcribit, Belleſitenſem ſcholam intelligit, quæ à Græcoladenſi ſchola derivata eſt, per Græcoladenſis profectò ſcholæ ad Belleſitum tranſlationem; omitto hic verſiculos ſani Sampſonis hanc originem continentes, qui ob id Aulam quandam Oxoniæ vulgò Sampſonis Aulã à nonnullis inſtituiſſe dicitur, qui nõ intelligunt quod in parochia Sancti Edwardi apud Oxoniam quidam Adamus Swyndon tenementum habuit, quod poſteà ſani Frideſwidæ religioſis conſecravit, à quibus ſcholarium Aula Sampſonis appellatione inſtituta eſt; cum Sampſonis

Aula Sampſonis.

psonis illius Aula qui Græcoladæ studuerat, si alicubi certe ad Bellesitum considere debebat extra muros hos, cum parochia Sancti Edwardi intra muros hosce fuerit, quo minus ibi, illiùs Sampsonis Aula statuatur qui primo Græcoladæ (vt fertur) studuisset, ac posteà Archiepiscopus Menevensis evasit, vel Eboracensis, vt alij.

25 Sed non omittam Aulæ Græcoladensis apud Maiores sive Greekehall, ab illis primis Græcoladensium penatibus in translationis illius memoriam, appellationem deductam. Sanè diu erat antequàm hanc sentẽtiam à me ipso impetrarem: verebar enim ne (quod sæpè vsu venit) solennis aliqua menda voci subesset, qua Greekehal pro Greuehall aliàs Grouehall diceretur, quæ è regione Ecclesiæ Sãctæ Ebbæ Virginis Eboracensis sita erat. Verùm cum sæpissimè in antiquis scriptis, Aulæ Græcæ ad Bellum montem mentio ocurrisset, statim huic veritatis voci obsecutus sum, quâ Seruius in Vergilium me admonuit, eam olim novis advenis fuisse consuetudinem vt extruenda noua mœnia veterum penatum effigiem sibi redderent, quod & in vrbe Parisiensi fieri author est Stephanus Forcatulus in libro de imperio & philosophia Gallorum sexto: atq; ita in hac quoq; denominatione accidisse existimo, vt in novâ hâc Aulæ Græcæ ratione, veteris Græcoladensis scholæ vestigium quoddam remaneret. Greekehall.

26 Quicquid porrò pro Bellesitensi Academia facit, necessariò hanc scholarum à Græcolada translationem cõfirmare existimandum est: Bellesitum verò vulgò Beaumõt extra portam borealem Oxoniæ, quis nostrum ignorat? circa quem locum & ab eo deinceps vsq; ad fontem Aristotelis qui olim Bromyerswell & Wlgarcoit well (i) Wlgari sylvæ fons (est enim coit, sylva) iuxta Walton, vetustissima ædificia fuisse, vel rudera ipsa quæ ibi visũtur (erat enim olim vna platea, à castro & placeâ, sic enim in antiquo scripto legi, Glocestrensi seu Carmelitarum, ad illud prædictum mesuagium de Walton, & dicebatur Waltonstreet) ostendunt. Beaumont

27 Ex quibus Regia illa ab H. primo propè vicū Stockwell olim excitata, vbi Richardus primus natus est. Quæ postea Carmelitani ordinis fratribus, sivè albis Religiosis vt Radulfus Agasus loquitur à Richardo Cornubię duce & Hērico tertio fratre, collegij loco data fuerat, atq; ita vsquè ad commune religiosorum præcipitiū permanens, collegij Sancti Io: Baptistæ alumnis cessit, & illustrem ipsorū bibliothecam non ita pridem A.C. 1596. mirificè auxit.

Aula Regia.

28 Ecclesiam quoquè sicut & parochiam ipsam Egidianam, miræ antiquitatis indicia in ædificijs ipsis præ se ferre, nemo nostrum ignorat: vt nemini mirum videatur si ex Rosso & alijs intelligat, hunc locum olim Bellesiti iam Beaumōt seù pulchri montis nomine celeberrimum extitisse.

29 Hoc quoquè libenter sciscitarer, quî fiat, quòd cum Academiæ Oxoniensis limites, quoàd Austrū sylvâ de Bagley, quoàd occidentem Bottelega, quoàd Orientem Sancti Bartholomei Leprosorum bosco (cuius hospitalis Magister olim Thomas Staunton gravissimas cum Frideswidæ Canonicis lites de latifundijs inter illud boscum & Forestam de Shotover, quæ in antiquis scriptis Schoit-ore & Coit-ore. i. sylva Orientalis dicitur, interiacentibus, exercuit) terminētur; Septentrionales limites multò longiùs se ad Godstoveium pagum vsq; extendunt, locum Rosamundæ sepulchro eiusq; supra pontem, cruce olim clarum.

Academiæ Oxoniensis limites.

30 Cuius certè amplissimæ extensionis limitum Academiæ Oxon argumentū non ita pridem satis illustre accepimus, Burgensibus in accipienda Regia maiestate à Woodstoco veniente, anno dom. 1604, clero præire volentibus, à Cancellario tamen honoratissimo revocatis, quòd eorum limites septentrionales, Academiæ limitibus septentrionalibus multò angustiores essent atq; minores. Huius igitur rei ratio nulla alia assignanda mihi videtur, nisi quod cum Bellisitensis Academia olim in ipso meditullio respectu omniū terminorum atq; limitū constituta fuerit, hodierna vrbs paulatim illam locum deserens, ad Austrum paulatim ædificijs

quoq;

quoq; serpsit vbi iam fęlicissimè sedet, atq; ita septentrionales limites multò ampliores effecit, non quidem nova aliqua vlterioris termini accessione, aut quasi eadem semper vrbs non remaneret, sed ad contrarium propensione atq; motu quemadmodùm suprà diximus: atq; hæc sit vltima illius prędictæ translationis confirmatio.

31 Quæ si cui minùs iusta videatur, consideret is, quomodò in primis Cantabrigiensis scholę incunabulis, translatio ab horreis ad ædes, ab illis ad Ecclesias, & ab Ecclesijs ad Scholas facta est: consideret etiam in Ecclesijs ipsis, qua ratione vna sedes Archiepiscopalis vel episcopalis in aliam, de loco in locum, quod in libello de mutabilitate mundi cap. 6. Simon de Boraston ordinis fratrum Prædicatorum observavit, translata fuerit. Insunt quoq; huic nostræ translationi omnes illæ circumstantiæ, locus scilicet à quo facta est translatio, nempe à Græcolada, & loci ad quem scilicet ad Bellesitum: causę, soli amœnitas: temporis, ante Saxonum adventum, Brytannis in Insula regnantibus, quod propter S. Germanum, quem non Gręcoladę sed Oxonię studuisse scribit Asserius, necessariò fatendum & concedendum est: at si sub quo Rege queris, quęro similiter ego sub quo Rege Cantabrigia tua est condita, nisi maior sis Lelando, cui res isthæc constare nullo modo potuit.

32 Verùm Londinensis, vt totam huiusce translationis rationem evertat, in duobus dissentit, scilicet in re ipsa quæ translata esse dicitur: & in hominibus per quos rei translatio facta est: ac deniq; de loco ipso suo more calumniatur, quēadmodùm statim audies, postquam ad suum propositum Ioannis Rossi verba sub hâc forma recensuerit. Londinensis calumniæ.

33 *Magistri & Scholares qui ad fidem Christi conversi docuerunt in monasterijs & locis devotis secundùm formam studiorũ antiquorum Crecladæ, Lecheladiæ, Stamfordiæ, Caerleoni, Cantabrigiæ & Bellositi & aliorum quot prius in Insula fuerunt huiusmodi studia: & sic forma Crecladensium prima ad Malmesburiam translata est, vbi olim floruit Sanctus Adelinus vir literatissimus et alia*

alia cœnobia vicina: à qua & alijs Oxoniæ propinquis ipsi patres (vt superiùs de regno Merciorum recitavi) formam antiquam docendi Oxoniæ statuerunt: quæ Oxonia Universitas, post vniversitatũ antiquarum susceptionem, (hoc est inquit Londinensis si vetustas Academias excipias) *velut Lucifer in aurora prima Anglorum Vniversitas in Anglia effulsit.*

34 Atq; ità in recitata Rossi verba, Londinensis hoc modo glossatur. *Primam esse Cantabrigiam etiam Rossus tuus confitetur: dicit enim non absolutè primam Academiam esse Oxoniam, sed post Universitates antiquas primã, inter quas enumerat Cantabrigiam: Bellesitum quoq; Oxonium non fuisse (quicquid historiola vestra dicat, aut ex historiola vestra Lelandus tuus) idem existimat: siquidem in historiâ suâ Bellositum* (sic enim vocat) *inter vetusta studia recenset; Oxoniam vero recentem conferendo facit, & antiquorum studiorum docendi formã tantùm suscepisse ait:* hæc est illa Londinensis in Rossi verba glossa sanè pereruditata: vereor tamen ne omninò sit vana, si ad iustum examen revocetur.

Londinensis nec bene recitat, nec sanè verba Rossi intelligit.

35 Imprimis enim quod ad verba ipsius Rossi spectat, Londinensis corrumpit τὸ ῥητὸν, & malè dum Rossum recitat, suum facit: legit enim Creclade & Crecladensium, cũ Rossus Greekladensium dixerit: deinde in illo exemplari quo ego vsus sum, deest illa vox (*prima*) vbi dicit formam Greekeladensium ad Malmesburiam fuisse translatam.

Vera Rossi sẽtentia.

36 Nam si Rossus diceret, primam Græcoladensiũ trãslationem ad Malmesburiã fuisse (non ad Bellesitum) quãdoquidem hæc antiquorum studiorum interdicti Gregoriani causa, ad monasteria trãslatio, temporibus Saxonum fuit, certè illud tolleret quod superius ex multorũ sententijs dixerat, hanc Græcoladensis scholę ad Bellesitum translationẽ antè Saxonum adventum, florente Britannici nominis gloria extitisse. Rossus igitur hoc in loco non de translatione Gręcoladensium absolutè prima loquitur, (ea enim fuit ad Bellesitum vti superiùs ostensum est) sed de secunda translatione Græcoladensis scholæ ad monasteria, quæ interdi-

cti

cti ratione acciderat;atq; ea fuit ad Malmesburiense monasterium, non ad Bellesitum, quo multò anteà translata fuerat.

37 Quinetiam cùm Rossus dicat Bellositi quoq; studij formam, in docendo apud monasteria viguisse, Grecoladēsem verò formam tum (interdicti scilicet tempore) ad Malmesburiam fuisse translatam, necessariò fateri debet, Grecoladensis scholæ ad Bellesitum (quod inter studia multò præexistentia à Rosso numeratur) translationem, multò fuisse priorem: Tertiò, in eo exemplari quo ego vsus sum sic legitur, *Magistri & scholares qui ad fidem Christi conversi sunt, docuerunt in monasterijs*: & non vt Londinensis legit omisso vocabulo (*sunt*). Sed omnium insignissima est illa in voce (*susceptionem*) depravatio, quam Londinensis per *exceptionē* interpretatur, quasi Rossus diceret, exceptis antiquis Academijs in quibus est Cantabrigia, primam esse Oxoniam: sed aperietur mihi crede Londinensis dolus. Insignis Londinensis dolus

38 Rossus enim non susceptionem, sed suspensionem, dixit, adeòq; Oxoniam post illam antiquarum Vniversitatum suspensionem Gregorianam, primam omnium Anglorum Vniversitatem effulsisse: quod verissimum est: restitutionem enim Oxoniæ per Aluredum multò post interdictū Gregorianum intelligit: qua quoq; ratione Oxonia si prima Vniversitas Anglorum effulserit, ergo Edwardus Senior Cantabrigiensis scholæ restitutor esse nequit.

39 Etenim si is restitutor habeatur, necesse est aliquem authorem primum existere: is author primus Vniversitatis Cantabrigiæ, vel fuit antè interdictum, vel post: antè interdictum nemo nisi Cantaber ponitur, quem Rossus ipse reijcit, scripto vno adversus eius historiolam libello, quēadmodùm ex nonnullorum testimonijs supra diximus: si post interdictum, ergo Cantabrigia post interdictum & antiquorū studiorum suspensionem prima effulsit vniversitas Anglorū, cuius contrarium paulo supra Rossus asseruerat: inquiens *primam Anglorum post antiquarum suspensionem, Vniversitatē Oxoni-*

eniam effulsisse: ideoq; videat Londinensis quam parum è re sua futurum sit, quod Rossus hoc in loco inter antiqua studia Cantabrigiam suam nominat, qui Cantabrum authorẽ tantoperè reiecit.

40 Ac profectò nisi Cantaber habeatur author, quod Rossus ipse nullo modo passurus est, aut Gorbomannus, quẽ Stoveus quoq; reijcit, non intelligo quo alio authore, Cantabrigia interdicti temporibus, inter antiqua studia haberi mereatur. Nisi Ioannem Rossum ex sententia Cantabrigiensium non suâ locutum dixeris, quod quidem alibi fecit, dum Cantabri fabulam recitavit: quâ suppositâ nihil impedit quo minùs etiam Cantabrigia inter antiqua studia interdicti Gregoriani temporibus existimetur: illâ vero negatâ & firmissimis antehac rationibus refutatâ, vbi est Cantabrigia illa tua quę inter antiquas Vniversitates etiam primis Saxonum temporibus vllo iure habeatur?

41 Postremò, quòd arguit Bellositum non fuisse Oxonium, hoc est Oxonium iam, dictum non fuisse olim Bellositum, idq; ex ipsius Rossi verbis, quoniam scilicet Oxonia recentior est Bellesito, quæso vide quam enervata ratione adversùs nos, at satis validâ adversus seipsum vtatur: nam eodẽ modo Caergrant non est Cantabrigia hodierna (quod Londinensis maximè cupit) quia Cantabrigia multò recentior est ipsâ Caergrant referente Lelando. Sed & Rossum, Bellesitum & Oxonium, vnum re idemq; statuisse, ex superioribus liquet; dum vrbem à Mempritio conditam, primò Caer Mempric, posteà Bellesitum, demum Caer Bosa tandẽ Rydychen, & vltimò Oxoniam seu Oxenfordiam dictam asserit: vbi non quatuor (mi Londinensis) vrbes loco disiunctas (quemadmodum Grantecestria & hodierna Cantabrigia) aut Vniver-sitates, sed re & natura vnam eandemq; vrbem intelligo, quatuor nominibus & totidem temporibus pro diversa ratione insignitam.

Alia Londinẽsis calumnia.

42 De quorum primo scilicet Bellesiti nomine superiùs diximus, de reliquis & alijs si quæ sunt in sequentibus dicturi; postquàm illud vnum expediuero, in quo totum erro-

rem

rem versari scribit Londinensis. Illud est, de græcoladensis studij ipsâ forma: non enim, inquit Londinensis Lib. 2. Antiquitatis Cantabrigiæ, *Græcoladenses scholæ Oxoniū transmigrarunt, sed forma tantum docendi antiqua, quæ prima Malmesburiam translata fuerat, autore Rosso in historia, ex qua re non intellectâ omnis error dimanarit*: sic is qui de secunda translatione, Rossum, non de prima (uti dictum est) intelligit. Tertia Londinēsis calūnia.

43 Ad illud verò quod præcipuum totius erroris caput existimat, scilicet non Græcoladenses scholas ipsas (eas enim etiam sub Theodoro Archiepiscopo mansisse accepimus) sed tantum docendi formam, Oxonium sivè Bellesitū transmigrasse, idem cum illo sentimus: neq; dicimus ipsas scholas solo adhærentes, sive Oxonium sive Bellesitum sive Malmesburiam fuisse translatas, profectò enim hic Archimedea vecte opus esset qua ille totum terrarum orbem cōcuteret, si vestigium daretur, sed doctrinæ ac studij Græcoladensis rationem ac formam, ad Bellesitum transmigrasse dicimus quemadmodum & illa, ad monasteria posteà propter interdictum transmigravit, aut quemadmodum Croylandensis cænobij ac studij Aurelianensis forma ac docendi ratio, in prima institutione Cantabrigiæ adhibita est.

44 At verò per quos hæc translatio facta est, etsi nobis sit obscurum, (nihil enim hac de re nisi ex Burlæo didici, qui per philosophos de Greçia factam tacitè quidem subinnuit) Londinensi tamen optimè innotuit, qui Cantabrigiēses suos primò à Penda, Græcoladā, deinde à Græcolada, Oxonium nescio quo tempore translatos scribit, *provt historiola Cantabrigiensis & Oxoniensis quoq; addocet teste Lelando*, inquit Londinensis. Sed in quo loco apud Lelandum hoc legerit, non dicit, quemadmodum nec ego illi dicere omninò possum: cuius Lelandi iudicium sanè gravissimum de hisce fabulis superiùs accepimus: qui licèt (fortè inter cōfutandū) illud in Cantabrigiensi historiola viderit quemadmodum & centum huiusmodi fabulas ibi se deprehendisse scribit, certè in Oxoniensi historiola, nunquam tam insigne men- Londinensis Oxoniensem historiolam & Lelandum falsò onerat.

dacium Lelandus deprehendit, immò neq; Roſſus, neq; quiſquam alius qui mihi vnquam occurrit.

45 Deq; his Cantabrigienſibus hominibus quos à Græcolada, Oxonium tranſmiſſos dicis, videor mihi me poſſe illud commodè vſurpare quod piſcatores de ſuis piſcibus *Quot capimus non habemus, & quot non capimus retinemus*. Nō eſt igitur Oxonia Cantabrigiæ colonia, ſed illa potius eſt Oxoniæ colonia; quia Oxonienſes illuc olim deducti ſunt, Cātabrigienſiumq; maiores Oxonienſium erant municipes, & eorum iuribus & libertatibus vtebantur vti ſupra fuſiùs oſtenſum eſt, & Cantabrigienſes profectò Oxonienſium parentes, eo ſenſu intelligo, quo Gulielmus Wickham ſuam rhetram Anglicanam (*This made Wickham*) turri Wintoniēſi apud Windeſore inſcriptam intellexiſſe fertur: atq; hæc de Io. Roſſi hiſtoria eiuſq; defenſione ſint dicta.

Cantabrigia Oxoniæ colonia.

46 Nam quod Londinenſis exiſtimat ſe omnem fidem Roſſo detraxiſſe, dum Lelandi ſententiam produxerit, qua is Io. Roſſum diligentiæ potiùs quam iudicij nomine laudaverit, illud certe non impedit, quo minùs idem Lelandus ſicut apud Baleum cent. 10. cap. 3. videre eſt, eundem Io. Roſſum iudicij quoq; nomine ſatis commendaverit, dum eum tam *exactam Brytannicæ antiquitatis cognitionem ſibi comparaſſe dicit, vt multis ex noſtris longo præceſſerit intervallo*: quo quid à Lelando ad Roſſi iudicium prædicandum illuſtrius dici potuit? Quid igitur Lelandum Antiquarium ſanè bonum commovit, vt ſententiam tam ancipitem adverſus hiſtoriolam Oxonienſem & Io. Roſſum diceret? quanquam ſupra diximus, illius ſententiam vti iam accidit, nequaquam nobis obeſſe. certè aliorū invidia, quam magnā ſanè & immēſam ſibi conflaverat (quæ ad noſtros quoq; manes pertinebit?) eo quod tam liberè (at veriſſimè) adverſus nigrum codicem cenſuit, vt rectè ſcribit Antiquarius Oxonienſis: quam etiam cauſam (vti nonnulli ſciunt) in privatis annotationibus frequenter teſtatam Lelandus ipſe reliquit.

Defēſio Roſſi.

47 Atquè hoc ſit primū Antiquitatis Oxonienſis ſcho-

læ, à Græcoladensium scholarum translatione petitum argumentum. Ad alia deveniemus postquam de cæteris Oxoniæ nominibus ad vberiorem Io. Rossi historiæ explicationē pauca addiderimus. Omittit enim Caer Vortigern; Vortigerum tamen anno dom. 474. Oxoniensem civitatem bellorum iniurijs quassatā pristinæ dignitati restituisse, author est Symmachus Lābithensis in Academiæ Oxoniensis typis à Thoma Orwyno Londinensi anno dom. 1592. impressis; idq; ex alijs antiquioribus historicis se didicisse testatur. De Varijs Oxoniæ nominibus.

48 Omittit etiam nomen Caerpenuelcoit, cuius in vrbium catalogo Nennius, sed absq; vlla interpretatione meminit. Camdenus in Danmonijs Pen-vchelcoit appellat; quam non Oxoniam, immò neq; Exoniam (vt omnes alij) sed vetus oppidum Vzellam à Ptolomeo dictam significare ex ipso situ putat: audi tamen Florilegum, qui sub annum gratiæ 52. sic ait: *at Vespasianus retortis velis in Totonesio littore applicuit & civitatem quæ Britannicè Karpenhuelcoit, nunc autē Exonia appellatur, obsedit.* Sic Florilegus.

49 Cui accedit in suis collectionibus Gulielmus Worcestrensis, *Kaerpenhuelcoit* (inquit) *i. Exonia civitas vt inveni scriptum in quodam antiquo libro Chronicarū* (fortasse ipsum Florilegum intelligit) *in custodia Ioannis Mulcai de pater noster Rewe, cuius authoris nomen ignoratur.* Omittit deniq; Caleva errorem fortasse suis temporibus minimè receptum: quem & nos proindè reiecimus: de veris autem & antiquissimis Oxoniæ nominibus infra dicturi, postquam catalogos civitatū Britannicarum examinaverimus, in eum finem à Londinensi productos, vt Cantabrigiam suam, etiam Britannico sęculo vrbem fuisse ostenderet, exclusâ (vti semper gloriatur) Oxoniâ. Veterum ciuitatum catalogus nihil ad Londinensem

50 Qui tamen catalogi in rem Londinensis nihil omninò mihi facere videntur: dum in quibusdam eorum videam, Caergrant quidem antiquam Brytonū fuisse vrbem, sed non hodiernam Cantabrigiam, de qua in præsenti quæritur. Profertur tamen Huntindonensis catalogus imprimis, qui

sic ait, *Caergrant* (1) *Grantecestria* (huc vsq; verè Huntindonensis: illam enim vrbem quã Britones Caergrant, Saxones primo ipsorum adventu evertentes Grantecestriam appellabant) sed cum addit, *quæ modo dicitur Grantebrigia*, tollit rursus omnia, novam & hodiernam vrbem cum veteri confundens quod est à ratione alienissimum: nec ità apud vllum veterum aut Bedam ipsum vnquam legit Huntindonẽsis: quid igitur Huntindonensi dicendum?

Huntingdonẽsis error.

51 Profectò quemadmodùm Londinensis, Lorenallẽsis historiæ authori respondendum censuit, cũ scilicet Grantecestriam & Cantabrigiam vnam fuisse eandemq; vrbem ignorasse, sic ego respondeo, Huntindonensem ignorasse, eas civitates fuisse diversas. Non mirum igitur si qui Huntindonensem sequitur Ranulfus Hygdenus, in suo quoq; catalogo, Caergrant per Cantebrigg interpretur. Vterq; vero Alphredum Beverlacensem secutus est, si verum sit quod ait Londinensis, Alphredi catalogum hisce per omnia convenire.

52 Mihi quidem Alphredi catalogus nondũ visus est, quanquàm de illius operibus apud Ioannẽ de loco Frumenti legerim, cum scilicet *Chronicon à Bruto vsq; ad tempora Normannorum scripsisse: tractasse quoq; de civitatum nominibus hinc inde seorsim in hoc regno fundatis; ac retulisse quibus nominibus civitas Londoniensis, Cantuariensis, Eboracensis, aliæq; vrbes variæ vocatæ fuerunt temporibus illis, quibus Britannica gesserunt vocabula, per Britonesq; inhabitatæ erant:* hæc Io. VVhethamsted.

Alphredus Beuerlacensis quas res tractat.

53 Pergo igitur ad Nennium. In cuius quidem catalogo, qui Britãnicarum civitatum nomina absq; vlla interpretatione recenset, *Caer Grauth* invenio (fortè pro *Caer Guarth* (1) Warwico, guarth enim præsidiũ sonat) sed nõ Caergrant nisi in ipsâ scriptione aliquis fuerit error, quod facilè existimo: etenim Caergrant antiquam fuisse vrbem quis ignorat? quod idem tamen de hodierna Cantabrigia dici nequit, cũ non sit eadem cum veteri civitate quemadmodùm satis superq; libro primo demonstratum est. Nihil igitur ex his ca-

Nennij Catalogus.

ca-

talogis ornamenti accedit, nisi veteris nominis per recentius nomen explicatio, quasi vna eademq; esset vrbs vtrisq; nominibus æquè insignita, quod falsissimum est.

54 Quod si Caer Vortigern sit Oxonia, quemadmodū multi sentiunt, certè tanta est Oxoniæ quanta veteris Caergrant in hisce catalogis mentio: cuius scilicet Caergrant etsi millies fieret mentio, nihil tamē instituto Londinensis prodesset, qui non veterem Caergrant, sed hodiernā Cantabrigiam, vrbem antiquissimam fuisse, ostensurus erat: tot ac tātarum absurditatum ignarus quæ illam assertionem secutæ sunt, dum tanquam πτολιπόρθος alter & veterum vrbium earumq; nominum euersor existeret; aut Iunonis more apud Homerum, quæ dilectas sibi vrbes cæteras Iouis fatis exponeret, si modo vel solius antiquissimæ vrbis, Troiæ euertendæ potestatem, Iupiter ipsi concederet. Non sequitur, Granteceſtria est antiqua vrbs, ergo hodierna Cantabrigia.

55 Eo consilio antiquissimum Oxoniæ nomen Rhydychen, quasi Ridocen à Rid & den nescio quibus particulis deludit. At Ortelius in locorum Geographicorum Synonymia, indice primo vbi antiqua nomina recentibus explicat, sic ait, *Oxonium Angliæ vrbs: Oxenford Anglicè, Rydychen Brytannicè, Humphr, Lhuyd*: in altero verò indice vbi è cōtra, recētia nomina antiquioribus explicat, sic scribit, *Oxenford Anglicè, Rhydychen Britannicè, Albionis Insulæ vrbs, Oxonium, Hūphredus Lhuyd*: qui tamen in Fragmento Britannicæ historiæ planè asserit *ignotum esse quo nomine olim Oxonium* (propter summam antiquitatem) *appellaretur*: & tamen Monumetēsis lib. 9. cap. 12. de festo Arthuri sic ait, *Venerunt nobilium ciuitatum Consules, Moruid Consul Claudiocestriæ &c.* tum addit in fine, *Boso Rydocensis*. i. *inquit Oxenfordiæ*, & libro 10. cap 4. sic, *Inuidit ergo Boso de vado Boum quoniam tantam probitatem fecisset Carnotensis*; & postea ait Arthurum duos Consules *Bosonem de vado Boum & Guerinum Carnotensem Lucio Tiberio direxisse*. vbi non solum Rydychē habetur, sed & apertè innuitur ratio quamobrem Caer Bosa diceretur, à Bosone scilicet Rhydychensis ciuitatis Consule. Rydychen. Vadum Bo[...]

56 Mauritius quoq; huc accedit qui à nativitate domini vsq, ad Cedwallam Brytonum Regem, Chronicon scripsit, qui cum Monumetensi hac in re consentit; ex quo iam cognovimus Rhydychensem. i. Oxenfordiensem civitatem etiam Brytonum temporibus & nobilem & consularem extitisse; de iure autem civitatum Consularium multa præclara apud autores occurrunt. Sed hinc non solum Cantabrigia tua, sed etiam Caergrant ipsa excluditur; nec in illo Monumetensis nobilium civitatum catalogo, vlla illius habetur mentio, vt iam non solùm antiquitatem sed et dignitatem quoq; illius vrbis meritò suspectam habere possimus.

57 Pergit tamen Londinensis, & Oxoniam nec Brytonum nec Saxonum temporibus vrbem fuisse habitam, (licèt Monumetensis iam nobilem civitatem vocasset) ostendere conatur siquidem inquit *Brytones vrbes suas quibus muri essent Caeres nominasse, quemadmodum & postea Saxones suas vrbes Ceasters nominaverunt. Ergo si Oxonia civitas apud Brytones fuisset, profectò Caer Oxon diceretur: si autem apud Saxones, Oxenchester nominaretur, aut saltem Oxenforde (nam Saxones etiam à fluvijs & vadis suis vrbibus nomina sæpissimè dederunt) nō Oxonium, quemadmodùm Oxoniensis historia innuit,* inquit Lōdinensis.

58 Quasi nobis eodem modo, sed multò accomodatiùs, adversùs Cantabrigiam tuam arguendum non esset: quæ si Brytannis fuisset civitas, Caer Cant profectò, vel Caer pont, diceretur: cuiusmodi nomen vrbis in nullis vnquā catalogis me legisse memini: Caergrant tamen memini, sed nihil illud ad hodiernam Cantabrigiam. Si autèm Saxonibus fuisset civitas, profectò Cantchester aut Brigchester diceretur: non tamen ita, sed Grātbrigg verè ab illis dicebatur: etenim vocem Chester Saxones solum adhibuerunt in ijs nominibus, in quibus Britannicum Caer invenerunt: ideoq; veterem Brytannorum Caergrant, Saxones Grantecestriam appellarunt sivè Grantechestriam: hodiernā verò vrbem quam ipsi condiderunt, quià non fuit eadem cum veteri quā illi quoq;

Londinensis ratio sibi ipsi adversatur.

de-

desolaverunt, alio nomine Grantbrig h.e. Grantanum pontem vocarunt: si eadem fuisset vrbs, sinè dubio Saxones primam impositionem non mutassent.

59 Sed vide quàm parùm in his philosophariis mi Londinensis: inquis enim quod *si Oxonia fuisset apud Brytones civitas, tum ab illis Caer Oxon diceretur*: quæ quidem dictio est ex vna Britãnica, Saxonicâ vero altera composita. Brytones igitur secundum te Saxonicè locuti essent: quod si dicis, nõ possum profectò in te iudicium non desiderare. Quin & illa dictio Caer, non rei subiectæ, quemadmodùm tu in tua Onomatopœia fingis, sed authori, vel possessori adijcienda videretur; quo sensu si non Caer Oxon, at Caer Memprìc, & Caer Bosa (& Caer Vortigern fortasse) à Brytannis dicebatur, quemadmodùm ex Rosso alijsq; superiùs diximus. Ridicula Londinensis ratio.

60 Quod verò addis Oxoniam dici debuisse Oxenfordiam (quod & nos antiquum esse illius nomen non diffitemur) si Saxonibus civitas fuisset, qui à vadis & fluvijs, (addidisses etiam pontibus Cantabrigiæ tuæ causâ) suis vrbibus nomina dederunt: verissimũ quidem est in ijs vrbibus quas ipsi condiderunt vtpotè in Grantabrigia tuâ: in ijs vero quas ipsi non condiderunt, à Britannis verò extorserunt, in ijs inquam prisci & antiqui nominis Brytannici rationẽ non mutarunt, sed suâ linguâ, dictiones alias quibus Brytannici nominis vim exprimerent, sæpissimè excogitando protulerunt. Saxonica denominandi ratio.

61 In Britannico igitur nomine Rhydychen, Ryd vadum, ychen verò Boum significare intellexerunt: adeoq; sua lingua aliud nomen excogitarunt, quo Brytannici nominis rationem non mutarent, sed potiùs explicarent: non enim credo, Saxones solummodò situs rationem habuisse, quâ vt Versteganus & alij sentiunt vrbem hanc ad similitudinem Ochenfurti sui ad Oderam denominarent. Hoc autem nomẽ est Oxenfordia: res enim h.e. vadũ boum quod vtriusq; nominis fundamentum est, semper præfuit ac superfuit, quemadmodùm & eventus ille (de quo Rossus) de vado boum vicino. Is enim eventus nullus alius est, nisi quòd juxta Oxo- Vnde Oxonia antiquitus Vadum Boum dicitur.

nium ſit locus vbi Thameſis vadum patitur & hodie Broadford dicitur, vbi boues & armenta facilè tranſire poſſunt: atq; hoc nomen partim implicitè in hiſtoria Oxonienſi continetur, dum Saxonicum populum, Oxonium à quodam vado vicino denominaſſe ait, vbi nomen Oxenfordiæ à vado intelligis, partim etiam h.e. in quibuſdam exemplaribus explicitè & apertè legitur,

62 Quo minùs ego Lelando accedendum arbitror, qui veteri Oxenfordiæ de vado boum antiquiſſimo nomine valedicto, atq; poſtpoſito, novam ſuam coniecturam, Humphredo Lhuyid etiam ſatis ſuſpectam & omnibus ſatis dubiā, de nomine Ouſeford à fluvio Iſidis (quem Saxones Ouſe Lelandi ſententiâ dixerunt) adeò vbiq; gloriando venditat, vt Oxenfordiæ corruptum eſſe, ſuum verò Ouſeford verum & antiquum nomen aſſerat,

63 Quaſi verò Ouſeford Britannico Rhydychen reſpondeat quod Saxones in ſua impoſitione voluerunt: niſi Ouſe vt fluvij, ita bovis quoq; aqud Saxones nomen fuerit, (quod de Tauro fluvio fertur cui animalis nomen eſt, atq; etiam de fluvijs alijs qui vel ab impetu quo feruntur, vel ab vndarum fragore, vel à rivulorum inſtar cornuum poſitione tauris comparantur) qvod ſi ſit, analogia tamen ad eorum Ochen in Ochenfurto, multò meliùs in voce Oxen quam in Ouſe ſervatur. mihi quoq; non minor videtur corruptio migrante Iſide in Ouſe, quam ſi in Ox migraret.

Lelandicum Ouſeford reij. citur.

64 In voce Vrovicus illud ſpectari poteſt, vbi corrupta antiquitas, hâc ratione Ourovicum dixiſſet, præcipué cū à litera V inchoetur; & faciliorſit migratio ipſius V in Ou, quam I in Ou, vt cuilibet conſtat. At vel corruptiſſimi nūquàm ſic pronuntiarunt, quamobrem nec in altero nomine, vbi inter illas voces Iſis & Ouſe tanta eſt diſcrepantia, vt in vnicâ tantummodò litera inter ſe conveniant. Vt non facilè crediderim, Saxones huiuſmodi nominum mutationibus vnquam fuiſſe vſos tanquam veris ac proprijs.

65 Sin verò abvſiuè atq; corruptè, ipſum quoq; Ouſe-

fordiæ

fordiæ(si placet)nomen,non minùs corruptum est altero illo Oxenfordiæ,quod Lelandus tanquam corruptæ antiquitatis Elenchum reijcit,inter θεὺς. i. antiquiores non inter ἄνδρας i. recentiores locutus,qui gygantem,Ægeum vocabant,Dij vero & antiquiores Briareum.Rhydychen igitur mi Lelande non Isidis vadum tuum,sed Boum vadū quod est eventus (vt loquitur Rossus)in Iside fluvio significat:ideoq; ciuitatis de vado boum,non autem civitatis de vado Isidis apud maiores nostros antiquissimos homines Oxenfordiæ nomē innotuit,& futuris quoq;tēporibus innotescet.

66 At tametsi vadum hoc sit fluvij Isidis & non alterius,(licet Cherwellensis quoq; vnda illinc cum Iside cōcurrat,& partem quoq; in civitatis nomine iure obtinere debebat æquè atq;ipsa Isis)tamen quia fluvius de Cherwell intra oppidi muros suum olim alueum,nonnullorum sentētiâ habuisse dicitur,potior certè ratio est, vrbem à fluvio Cherwell,quam ab Iside denominari debere.neq; verò mihi quisquam Osneyæ(vbi quædam ipsius Ouse similitudo videtur) nomē objiciat, nisi idem quoquè ostendat,quo nomine is locus apud antiquissimos Saxones (nō Normannos) olim dictus fuerit. Fluvius de Cherwel.

67 Ac licet Ouse à voce Isis satis corruptè deduci potuerit,tamen an ab *Ise*,seu,*Ice* Anglico,quod glaciem significat,derivari possit,incertum diù fuit:& tamen non deest, antiquæ historiæ artifex peritus M.W. ornatissimus Trilinguiū meorum alumnus,qui Isidem ab Ice sivè glacie hyberna præter morem cæterorum fluviorū circa Oxonium abūdante(quod superior hæc Bruma,magno multorum incommodo nimiùm confirmavit) derivari posse coniectat: Qui & illud quoq; probè,novit, etiam Cherwellensem fluvium, circa Oxonium,tantam glaciei copiam,quantam Isidem fluuiū emittere:eum quoq; fluvium, *Isidem* etiam apud Britannos vocari(vti fortasse tibi dicet Lelandus) qui tamen Anglicum Ice non intellexerunt:ideoq; & Britanni *Iae* vel *yïa* vel *ya* pro glacie vsurpant. Isis non ab Ice seu glacie.

S 68. Quod

68 Quod verò Oxonienses, ab Antonino, Polydoro, Lelando, Icenos olim dictos fuisse existimat vtinam certè, quod ille multò graviùs & eruditiùs potuit, illorum errorē, non tàm acutè, (tacitè tamen,) annotasset, quam funditùs delevisset, & refutasset. Nam quod ad Antoninum, facit quidem is Icenorum mentionem, itinerisq; à venta Icenorū ad Londinium rationē docet: meminit quoq; Ptolomeus sub nomine Simenorum, autore Hyeronymo Surita Antonini Commentatore. Sed quos isti Icenorum & Simenorū nomine intelligunt? non Oxonienses, eos enim Dobunos illi ipsi vocarunt: verùm vti exponit Camdenus, Suffolcienses, Norfolcienses, Hūtindonenses & Cantabrigienses: hi sunt Antonini & Ptolomei Iceni, non autem Oxonienses, nisi turpe aliquod mendum in exemplari delituerit mi Lelāde: etsi non ignoro, Polydorum libro historiæ secundo, etiā Exonienses & alios inter Icenos minùs tamen aptè numerasse.

Oxonienses Iceni non sunt.

69 Lelandus verò ipse Oxonienses non Icenos (illud enim coniecturæ suæ de Ouseford plurimùm obesset) sed Ousenos sivè Oucenos sine dubio Oxonienses diceret; licèt nec Ousenos nec Oucenos sed sæpè novo suo nomine Isiacos dicat, quo tamen nomine Oxonienses nec Ptolomeo, nec Antonino, nec Polydoro, sed Lelando tantum eiusq; sequacibus vnquam innotuerunt. Atq; hactenùs de vetustis Oxoniæ nominibus dictum sit.

70 Iam quoniam Londinensis de exclusa Oxonia è suis gloriatur catalogis, videamus vtrùm alibi fæliciùs occurrat hæc præclara, & per totum terrarum orbem notissima Musarum sedes Oxonia.

71 Solent quidem Geographi, ad particulariorem mūdi locorum descriptionem, locos certos in singulis orbis partibus insigniores ad cælestis poli meridianorumq; singulorum rationem describere; vt quemadmodùm Astronomi, Epiclistæ scilicet & alij, suas hypotheses apparentium anomaliarum periodis congruentes invenerunt in cælo, ita hi in terris per reales quasdam insignesq; stationes, cælestium circu-

culorum exitum, verosq; superum corporũ aspectus animadverterent.

72 Licèt vero à priscis Astronomis, Universa ferè Britannia extra omne clima ponatur, propterea quod omnia climata ad quinquagesimum elevationis poli gradum terminabant, hoc tamen non fecerunt quasi reverà ita in natura esset, sed quia divisionis climatũ tempore Britannia quasi à toto orbe divisa minùs illis innotuerat; quod etiam existimat Robertus Anglicus (quem Baleus Kentenensem vocat licet paulò antiquiorem faciat quàm oportet) qui circa annũ Dom. 1272. commentarios certè non indoctos in sphæram communem Ioannis de Sacro Bosco edidit, P. Appianus in in 2ª. parte suæ Cosmographiæ in locorum maximè illustriũ descriptione, tres tantùm insigniores Albionis Insulæ civitates recenset, Cantuariam, Oxonium (aliàs Ochensurt) & Londinium: exclusa Cantabrigia, quia inter insignes huius Albionis civitates nunquam est habita: Geographorum enim est tantúm insigniorum meminisse. Oxonia Geographis notissima.

73 Cyprianus etiam Leovitius Ephemeridum scriptor, in suo præcipuarum civitatum indice, omittit Cantabrigiam, Oxonium verò seu Oxfort recenset, cuius poli altitudinem dicit esse grad. 52. minut. 44. secùs quam Oxonienses Atlantici statuerunt. Item in septem Kalendarijs ex officina. L. Straubij anno dom. 1581. impressis, enumerantur illę omnes civitates quę sunt sub elevatione poli grad. 53, 52, 51. in Anglia verò duæ tantùm commemorantur, Oxonium & Londinium: cum tamen Cantabrigia, 52. aut 51. gradus in sua poli elevatione & minuta 19. habeat; in longitudine vero 15. grad; minuta 45, autore Io. Holbroke in tabulis Cantabrigiensibus: Oxonia vero 15. gr: & aliquot fortassè minuta in longitudine, in latitudine vero 51. grad. & minuta 50. habet, autore Gulielmo Rede Mathematico Mertonensi in suis quas pro meridie Oxon tabulis summo vti mihi videtur iudicio conscripsit, quasq; in bibliotheca Magistri Tho. Allani Oxoniensis Mathematici, vidi: cui accedit Gualterus

Odyngton monachus de Evesham in libro de planetarũ domibus: & Io: Gualterus Oxoniensis item Mathematicus, cuius Canones æquationis domorum, in bibliotheca, venerabilis mei patris D. Thomæ Twini, Artium ac Medicinæ Doctoris vidisse me memini: itemq; alterius vetustissimi sed innominati authoris Mathematici, æquationis planetarum tabulam, in qua idem asseritur.

74 Nec dissentit Galfredus Chaucer Oxoniensis poeta laureatus, in suo ad Ludovicum filium Astrolabio, quod à Mathematicis Oxoniensibus ob summam perspicuitatem, *Lac puerorum* dici consuevit. Quin & Rabbi Abraham Zacutus Hebræus, qui anno 1413. floruit, in opere quod Almanach perpetuum vocat, Oxonij tanquam loci maximè illustris meminit: idem Ioannes Angelus in Astrolabio plano, vbi Oxonium inter civitates octavi climatis ponit, omissâ Cantabrigiâ: idem Io. Stofflerinus qui vetus Romanum Calendarium edidit, ac in locorũ maximè nobilium Abaco, Cantuariam, Londonium, Oxonium, Bristolliam, Eboracum (prætеritâ quoq; Cantabrigia) recenset, quod idem quoq; in libro de fabricâ Astrolabij fecit. Idem Martinus Everartus in Ephemeride, David Origanus in Ephemeride. P. de Aliaco in Io. de Sacro Bosco: & Io. Rawen in Abaco Cosmographico; idem ferè vniversa gens Atlantica in suis tabulis & Abacis & Indicibus, vbi omisso Cantabrigiæ nomine, frequentissimam Oxoniæ mentionem deprehendes; quas quidem tabulas geographicas ego pro catalogis satis idoneis habeo.

75 Neq; verò est quod quisquã has petitas à Geographia rationes minus probandas putet: inquit enim P. Gregorius Tholozanus lib. 18. cap. 6. se nosse *oppidula in Germania et alibi, antè plantata studia generalia privilegiata vsquè adeò fuisse obscura, vt Geographi noluerint aliquo vel exiguo loco in suis tabulis honorare, quæ nunc & opibus & dignitate* (quæ omnia ex concursu studiosorum orta & propagata sunt) *cum Regijs & principalibus civitatibus certare possint*: & Socrates Alcibiadi, autore Æliano lib. 3. cap. 28. ostende (inquit) in hac Græciæ

tabula agros illos tuos: cùm autem is dixisset eos non apparere; *quid igitur* (inquit Socrates) *his tibi divitijs quarum nullam Geographus rationem duxit, tantopere places?*

76 Quæ omnia si minùs apud te possint pro Oxoniensis civitatis gloria, quid de Episcopali sede quæ Oxoniæ est, cui iam vir ætate ac doctrina venerabilis D. Ioannes Bridgeius præsidet, dicendum existimas? cùm nulla sit omninò Cantabrigiæ, verissimè: statuunt enim Gregoriana decreta, *Episcopalia gubernacula non nisi maioribus populis & frequentioribus civitatibus præsidere oportere, ne scilicet ob loci tenuitatem Episcopale nomen vilesceret*; vnde Alciatus, Panormitanus & Pōponius inquiunt *non videri vrbes* (*aut civitates*) *dici nisi quibus Episcopus est datus*: qua ratione Hollinshedus lib. 1. civitatum Anglicarum numerum ex Episcopatibus venatur, ex cuius catalogo Cantabrigia excluditur. Oxonia verò ibidem inter præcipuas Angliæ civitates numeratur. Quemadmodū & ex definitione civitatis constat, quam Nicholaus Losæus in tractatu de Iure Vniversitatū, sic definit. cap. 2. *Civitas est hominum multitudo, societatis vinculo adunata, Episcopum habens, muris cincta, & quæ veterum auctoritate civitas est nuncupata.* In qua Oxonia, & Cantabrigia tua, genere tantum conveniunt; in cæteris verò longissimè à seinuicem removentur, siquidem ea quæ in prædicta definitione continentur, Oxoniæ optimè, nequaquam verò Cantabrigiæ tuæ conveniunt. Neq; enim Episcopum habet: neq; muris cingitur, neq; auctoritate veterum civitas est dicta, sed tantū *Burgus de Grentbrig*, quemadmodum ex libro Censuali supra diximus: eam verò quam Bedas & muris cinctam, & civitatē vocavit, Grātecestriam veterem fuisse sat scio, non autem hodiernam Cantabrigiam de qua iam agitur, vnius M. P. ab illa Grantecestria, intervallo distantem. Neq; tamen ego huic definitioni Civitatis tantum tribuo, vt ante sacram institutionem Episcoporum, civitates nullas in toto terrarum orbe extitisse credam (ita enim antè Christi & Apostolorum tempora nullibi fuissent civitates, nec Ethnici suas civitates haberēt)

Sedes Episcopalis Oxon.

ſed quod ita iam ratio obtinuit, vt quamvis plura oppida ſatis quidem illuſtria, vnius eiuſdemq; Diœceſeos eſſe poſſent, illud tamen ſolum in quo, Diœceſano ſedes conſtituta eſt, ſignanter quaſi & καθ' ἐξοχὴν, civitatis nomen, ius, & rationem conſequi ſoleat. Atq; hæc corollarij loco ad primum argumentum dicta ſint: venio iam ad argumentum meum ſecundum.

Secundũ antiquitatis Oxon argumentum.

77 Poſt illam igitur de tranſlatione Græcoladenſium ad Oxonium, ſuccedit Chronicon incerti autoris de monaſterio Abendonenſi pervetuſtum: in quo inter cætera, antiquiſſima illa inter Oxonienſes atq; Abendonenſes de ſua origine quæſtio agitatur: ac licèt Oxoniæ primas ſimpliciter concedat, inquit tamen in fundatione monaſterij de Abendon, *vetuſtiſſimos nummos Dæmonum ac Satyrorum imaginibus inſcriptos inventos fuiſſe*, ex quibus concludit eum locum multò ante id tempus à Paganis ac Idololatris inhabitatum fuiſſe.

78 Attamen illud monaſterium primis Saxonum temporibus circa annũ Dom. Sexceteſimum, à Ciſſa Occidẽtalium Saxonum Rege fundatum eſt, ac ab eodẽ paulo poſt Abbatis Heani obitum, ſpoliatum, & rurſus ab eodem reſtitutum: vnde totam controuerſiam concludit, Oxoniæ ſimpliciter (vti dixi) concedens, non ita tamen quin ſi vlla fides huiuſmodi nummis ac cæteris antiquitatis retroactæ veſtigijs adhibenda ſit, ex his (ſi bene innoteſcerent) Abendoniam ſuam cum Oxonia de antiquitate ſua certare poſſe aſſerat, nullum interim certum Oxoniæ fundatorem autoremq; (quod vtinam feciſſet) ſtatuens. Ego igitur concludo hinc, quod ſi Abendonia etiam tum cùm Cantabrigia nova fuerit vrbs & nunquam anteà exiſtens, (Lelandus enim Cantabrigiam etiam ſub Sigeberto novam vrbem vocat) tantæ antiquitatis fuerit, quæ tamen Oxoniam agnovit priorem, neceſſe eſſe ipſam Oxoniam, etiam Cantabrigiâ, quæ Abendonia recentior eſt, antiquiorem haberi.

79 Poſt Chronicon Abendonenſe eſt Aſſerius Mene-

ven-

vensis, tantæ fidei atq; autoritatis scriptor, vt nemini vnquã suspectus fuisse dignoscatur: ex illo quid de Oxoniensis Academiæ antiquitate sentiendum sit, ipsius verbis referam: qui Regnante Aluredo (de quo postea) anno domini octingentesimo octogesimo sexto, *exortam esse pessimam ac deterrimam Oxoniæ discordiam* (ait) *inter Grymbaldum, doctissimosq; illos viros, quos secum illuc adduxit, & veteres illos scholasticos quos ibidem invenisset: qui eius adventu, leges, modos, ac prælegendi formulas ab eodem Grymbaldo institutas, omni ex parte amplecti recusabant. Per tres annos haud magna fuerat inter eos dissentio, occultum tamen fuit odium quod summa cum atrocitate postea erupit, ipsa erat luce clarius. Quod vt sedaret Rex ille invictissimus Alfredus de dissidio eo, nuntio & querimonia Grymbaldi certior factus, Oxoniam se contulit, vt finem modumq; huic controuersiæ imponeret, qui & ipse summos labores hausit, causas & querelas vtrinq; illatas audiendo. Caput autem huius contentionis in hoc erat positum: veteres illi scholastici contendebant, antequam Grymbaldus Oxoniam devenisset literas illic passim floruisse, etiamsi scholares tunc temporis numero erant pauciores, quam priscis temporibus, plerisq; nimirum sæuitia ac tyrannide Paganorũ expulsis. Quin etiam probabant & ostendebant idq; indubitato veterum Annalium testimonio, illius loci ordines ac instituta à nonnullis pijs & eruditis hominibus fuisse sancita, vt à diuo Gilda, Melkino, Nennio, Kentigerno, & alijs, qui omnes literis illic consenuerunt, omnia ibidem fælici pace & concordia administrantes, ac Diuum quoq; Germanum Oxoniam advenisse anniq; dimidium illic esse moratũ, quo tempore per Britanniam iter fecit adversus Pelagianorum hæreses concionaturus, ordines & instituta supra dicta mirum in modum comprobavit: Rex ille inaudita humilitate vtramq; partẽ accuratissimè exaudiuit, eos pijs ac salutaribus monitis etiam atq; etiam hortatus vt mutuam inter se coniunctionem & concordiam tuerentur. Itaq; hoc animo discessit rex, quosq; ex vtraq; parte cõsilio suo esse obtemperaturos & instituta sua amplexuros sperans. At Grymbaldus hæc iniquo animo ferens, statim ad monasterium Wintoniense ab Alfredo recens fundatum proficiscebatur. Deinde tum*

Tertium antiquitatis Oxon argumentum.

Controuersia inter veteres & Aluredianos scholares de antiquitate sua.

tumbam Wintoniam transferri curavit, in qua proposuerat post huius vitæ curriculum ossa sua reponenda in testudine quæ erat facta subter cancellum Ecclesiæ Divi Petri in Oxonia, quam quidē Ecclesiam idem Grymboldus extruxerat ab ipso fundamento, de saxo summâ curâ perpolito.

80 Hæc Asserius Menevensis, in optimo MS. exemplari inquit Camdenus; è cuius bibliotheca iam typis excusus prodijt, toto hoc loco restituto quem Matheus Cantuariēsis omiserat (veritatis an charitatis odio haud scio) dum Asserium suum Saxonicis scriptum litteris edidit, & tamen cum Aristotele non edidit. industria? nescio: nisi eum imperfecto exemplari (quod fortasse in Domini Lumlæi bibliotheca rubrâ ocrâ manu propria notatum vidi, mancum tamen & plurimis in locis imperfectum & chartulis appendiitjs recenter scriptis suffultum) vsum fuisse dicas, quod sæpe in huius Asserij exemplaribus vsu venisse intelligo si illis credēdum sit qui non pauca etiam de Ecclesiæ D. Petri Oxoniæ in Oriente sitâ & à Grymbaldo excitatâ, per Dorcestrensem Episcopum consecratione, ex vetustissimis eiusdem Asserij Exemplaribus se accepisse prodiderunt.

Asseriana editio.

81 Nè vero fidem fallam, quære ab H. Savill Eboracēsi, iam admodùm sene (vel mortuo) sed in his plurimum versato, quem huiusmodi Asserij vetustissimum exemplar cuidam Neteltono mutuo dedisse, & cum eo postea de libro non reddito, magnas lites in iure exercuisse M. Tho. Alanus integerrimæ fidei testis mihi retulit; quodq; Neteltono interim extincto cum omnes libri eius in manus Domini Savill Baronis scaccarij devenissent, solus ille liber deesse cōpertus est. porrò hunc Asserij locum, non solum in iusto exemplari sed etiam in principijs ac fine multorum veterum librorum nominatim vero Rossi & Richardi Cluniacensis, seorsim, antiquissima manu scriptum sæpe legi, vt nullus mihi de hoc loco dubitandi locus restare videatur.

82 Quæstionem hic inter veteres Oxoniæ scholares ac novos Aluredianos de ratione scholasticæ iurisdictionis inter-

terceſſiſſe vides:inter Aluredianos, Aſſerius ipſe vnus ex profeſſoribus novis fuerat,ad quem huiuſce quæſtionis cognitio magnoperè pertinebat. Novi ſcholares Aluredíani atq; recentes,ſcholaſticam ſuam in veteres & Seniores autoritatem exercent: Aluredus ipſe ſit iudex: atq; vtinam iā talem etiam inter nos iudicem comparare potuerimus: veteres ſcholares(quemadmodum & nos iam eorum rationibus nixi)ſe antiquitatis ſuæ præſidio defendunt : maiores ſuos producunt quorum fæliciſſimis auſpicijs res Oxonienſis retroactis temporibus ſteterit idq; non ſuo, ſed veterum Annalium quos vtinam vetuſtas nobis non invidiſſet,teſtimonio(inquit Aſſerius)oſtendebant adverſùs Grymbaldū atq; probabant.

83 Quorum antiquiſſimus eſt D. Germanus Brytonū Apoſtolus,qui circa annum domini 440. floruiſſe dicitur: quem Oxoniæ quoq; affuiſſe,præterquam quod dicit Aſſerius,certè probabiliter hinc conſtat,quoniam autore, Nennio *Sanctus Germanus Vortigerum Regem quocunq; ierit inſecutus eſt*,(quem Oxoniæ ijs temporibus adeſſe potuiſſe probabile eſt)etiam ad Caervortigern:h,e.ad civitatem Vortigeri, quæ multorum ſententia eſt ipſa Oxonia:neq; vero cuiquā prorſus incredibile videri poteſt,Sanctum Germanum adverſus Pelagianiſmum in Angliam adventantem, Oxonienſium ſcholas adijſſe,ac de eorum fide & integritate in rebus divinis cognoviſſe,præſertim cum ob Pelagianiſmum, non ita multò poſt,interdicto pontificio penè ceſſauerint. accedit Conſtantius libro 1 de vita S.Germani, qui de ipſo & Collegis ſic ait:*erat in illis Apoſtolorum inſtar autoritas per conſcientiam , doctrina per literas, virtutes ex meritis , accedebat præterea tantis autoribus aſſertio veritatis, itaq; regionis illius Vniverſitas in eorum ſententiam prompta tranſierat* . hęc Conſtantius Lugdunēſis,qui 40.annis Germano fuit inferior,Vniverſitatiſq; Britannicæ regionis meminit)quanquam non auſim ab Harpeſſeildo prorſus diſſentire , qui Vniverſitatis nomen illis certè temporibus paulò rariùs in hoc ſenſu

S.Germanus Oxoniæ fuit.

ſu occurrere opinatur vti lib.1 diximus) cum Aſſerius eum Oxoniæ ſtuduiſſe dicat.

84 Secundus à Germano, eſt D. Gildas (quem & Gildaſium dici memini) cognomento Sapiens, qui anno Dom. 580. floruiſſe perhibetur. Cuius fratri Howëlo, ſivè vt ego ſentio, Coëlo, patri Cauno in regno ſuccedenti, Oxonienſis vrbis reſtitutionem (quam Caer-pen-Huël-coit ab illius nomine indigitant) nonnulli ſuperiores antehâc, aſcripſerunt: ſi errore, ſatis ſit dixiſſe: ſin verè, quãobrem incredibile cuiquam videretur, D. Gildam, in fraternâ vrbe ſtuduiſſe? Præſertim quando id affirmat quoq; Aſſerius, cuius ego fidei tãtum tribuo, quantum authori antiquiſſimo, graviſſimo, optimoq; omnium. Accedit hûc, hiſtoriæ illius vitæ author, nominis quam fidei incertioris, in Bibliotheca Floriacenſi, per Ioannem à Boſco Cæleſtini, qui capite 6. de ipſo ſic ſcribit. *Sanctus igitur Gildas, cùm per aliquot annos in doctrina Beati Hilduti commoratus fuiſſet, valedicens pio magiſtro, venerandiſq; condiſcipulis, Iren perrexit, vt & aliorum Doctorũ ſententias, in Philoſophicis, atq; in Divinis literis, inveſtigator curioſus exquireret.* Hactenus ille. Cui, in eum locum, talis apponitur (Authoris, an eius qui edidit haud ſcio) nota marginalis. *Iren olim Academia in maiore Britannia.* Ego igitur, Iren, eo in loco, pro vltimo in Ryd-ychen, Ichen, vel Icen (facilis enim eſt lapſus) poni exiſtimo, Oxoniumquè tacitè ſubintelligi; ſiquidem eo nomine vadum Boum antiquis Brytannis innotuiſſe ſat ſcio, & proinde hîc, idem inſinuari quod Aſſerius iam dixit, nempè D. Gildam Oxoniæ ſtuduiſſe.

Gildas ſapiens Oxoniæ ſtuduit.

85 Nonnulli forſan, vocis ſimilitudine decepti, per Irẽ, hoc in loco Hyberniam intelligi exiſtimabunt: ſed & illud cogitare quoq; debent, Hyberniam, in maiore Britannia Academiam non eſſe, quemadmodùm de Iren, in marginali nota dicitur. Eundem quoq; autorem capite decimo, de trãſitu D. Gildæ in Hyberniam his verbis feciſſe mentionem. *Eo tempore regnabat Ammericus Rex per totam Hyberniam, qui & ipſe miſit ad Beatum Gildam, rogans vt ad ſe veniret.* Tum ſequis

Iren pro ychẽ ſeu Icen.

quitur; *Gildas petivit Hyberniam, Christum prædicaturus*. Hybernia igitur per Iren, hoc in loco intelligi nequit, sed potiùs Ichen, sive Icen, quo denotatur Oxonij nomen antiquum, Ridychen. Scripsit hic Gildas quatuor Evangelistarũ librũ (inquit in illius vita Capgravus) in multa veneratione ab incolis habitum, *quem aperire non audent ad videndum: & nisi volumen imprimis fuerit appositum, pacem inter inimicos & concordiam non reputant reformatam.* Sequũtur tres alij, Melkinus qui anno 550. Nennius Bãnochorẽsis qui vno eodẽquè tempore, & Scotorum Sanctus qui anno dom. 560. floruit, Kentigernus.

86 Vt hinc si velis intelligas, ex his Oxoniensibus Brytannis, scholas Oxonienses diu antè Aluredum extitisse, nec ab illo tanquam autore primo incæpisse, sed quemadmodũ Ocellus Lucanus antiquissimus philosophus, historiam Grę-cam ab Inacho Argiuo incæpisse interpretatur, non tanquã à principio primo, sed ratione alicuius mutationis quæ Græciæ acciderat, anteà barbarizantis, sub eo autẽ excultæ. Scribit enim Radulfus Agasus in descriptione Oxonię, Academiam Oxoniensem priscis maiorum nostrorum temporibus ante 700. annos omni literaruum laude floruisse (in quo cum Asserio consentit) & tandẽ divino regis optimi Aluredi beneficio, magnum amplificatæ dignitatis ornamentum accepisse: in quo cum cæteris historicis convenit & cum Fabiano, qui scholas Oxonienses ab Offa Rege, qui multò prior fuit Aluredo, restitutas prodidit.

Aluredus non fuit primus Oxoniensis studij institutor.

Probatur literas extitisse Oxoniæ ante Aluredi tempora.

Nec indignum consideratione tua fuisset mi Lõdinensis, (si Oxoniensibus quoq; hac in re pepercisses) quamobrem Aluredus nõ apud suos Occidentales scilicet Saxones in propagandis literis quę autore Aluredo ipso in sua ad Gregorij pastorale præfatione ibi loci rarissimæ erant, sed potiùs apud Mercios tantos labores hausisse videretur; quod non aliâ de causa sine dubio fecit, nisi quod satis ei innotuerat Merciorum Oxoniam ab antiquo, literarum studijs floruisse.

88 Ideoq; etiam Aulam Paulinam in parochia Sanctæ

Ebbæ virginis apud Oxoniam (è regione Ecclesiæ) à Paulino primo Eboracensi Archiepiscopo fundatā in antiquis scriptis legisse me memini, multò antè Aluredum. Quem apud maiores nostros fundatorem Oxoniæ primum non fuisse habitum, constat ex ijs quæ in negotijs Academiæ Oxoniensis anno Dom. 1312. adversus fratres Prædicantes in curia Romana gesta sūt; Magistro Ioanne Stratford Oxoniensis Acad. Syndico in schedula supplicationis ad pontificē sic loquente. *Significat Sanctitati vestræ Universitas Magistrorum & scholarium Oxon Lincoln, Diœces. quod Universitas ipsa quæ à tempore cuius principij memoria non existit, instituta extitit & fundata, nec non, tam à Romanis pontificibus, quàm principibus, & Regibus secularibus, approbata* &c. hæc illæ totius cætus Oxoniensis nomine.

Valida *testis*.

89 Cuius sententia est, Oxoniensem Academiam adeò antiquam esse adeoq; vetustam, vt nullam illius principij & initij memoriam existere fateatur, qui tamen ignorare non potuit quid Aluredus Oxoniæ olim gesserit, ex Asserio, Malmesburiensi, Ranulfo &c, quæ omnia demonstrant non solum Aluredo ipso, sed & Cantabrigia sive vrbe sive Academiâ, Oxonienses scholas simpliciter esse priores & antiquiores.

Quartum argumentum.

90 Quartum antiquitatis Oxoniensis scholæ argumentum à vaticinio Merlini Britannorum Apollinis ducitur. Cuiusmodi verò vaticinium illud sit, ex Alexandro Nechamo quem MS. in bibliotheca Magdalanensis Collegij Oxon vidi, libro de Naturis Rerum secundo, repetam. *Iuris ciuilis* (inquit) *peritiam sibi vendicat Italia: sed cælestis Scriptura & liberales artes ciuitatem Parisiensem cæteris præferendam esse conuincunt: iuxta vaticinium etiam Merlini, viguit ad vada Boum sapientia, tempore suo ad Hyberniæ partes transitura.* hæc Neckamus.

Vaticinium Merlini.

91 Cuius sententiam alibi apud incertum vt ego existimo autorem fusiùs sic explicatam legi: *Viguerunt* (inquit author ille) *studia in Ægypto vt probat Alex. Neckam in libris*

de

de naturis rerum, Abraham docuit quadriuium i. *quatuor artes scilicet Arithmeticam, Geometriam, Musicam, & Astronomiam: demum capit nobilitari philosophorum frequentia, & consecrata sunt Athenæ deæ sapientiæ Mineruæ vt dicit Augustinus* 18. *de ciuitate Dei cap.* 9. *Demum Carolo Magno regnante capit studiū florere Parisijs, cuius fundatores fuerunt Rabanus, Alcuinus, Claudius, & Io Scotus, posteà Oxoniæ in Anglia studia floruerunt; & sicut ait Alex. Neckamus iuxta vaticinium Merlini ad vada Boum vigent studia ad partes Hyberniæ suo tempore transitura.* hæc ille. Memphis. Athenæ. Parisij. Oxonium.

92 Quam sententiam Oxoniensis Antiquarius in imperfectis suis annotationibus Sylvestro Gyraldo ascribit: sed vereor ne Nechamus ipse Sylvestro paulò recentior inveniatur. Est igitur alicuius autoris satis quidem vetusti (vt videtur) licet incerti, quem sine dubio Oxoniensis Antiquarius sub nomine Sylvestri Gyraldi viderat. At S. Bonaventura in sermone scholastico Theologicæ facultatis in studio Parisiensi, in illud thema, sapientia ædificavit sibi domū & excidit in ea columnas septem proverb. 19. ex antiquioribus sic dicit; *& vt ait scilicet Rabanus & vt habetur in vita Dionysij Areopagitæ, secundùm vaticinium Merlini vigebant studia in Anglia tempore suo ad partes Hyberniæ transitura ad vada saxa.* Hęc Bonaventura vel incertus alius author, cuius ad clerum cōcio, quibusdam S. Bonaventuræ sermonibus adiungitur; qui tamen vadum Boum omittit, & proindè non benè recitat, quia duo vaticinia (de transitu literarum Oxoniensium ad Hyberniam & ad Stanfordiam) temporibus quoquè disiunctissima, non solùm locis, in vnum coniungit. Vaticinia de Oxonia.

93 Hinc tamen intelligis apud antiquissimos autores Rabanum scilicet ac alios, hoc Merlini de Oxoniensis sapientiæ in Hyberniam transitu, vaticinium extare: cuius etiam meminit Cassaneus & Card: Zabarella in Clement. tit. de magistris, apud nonnullos hoc vaticinium sic leges: *vigent ad vada Boum studia, exinde tempore suo ad partes Hyberniæ transitura:* Anonymus verò quidam, in Chronico Gulielmi Rede

Cicestrensis, qui Merlini vaticinia repetit, de illa particula (*exinde*) sic annotavit. *In prophetia* (inquit) *Merlini quotiens inter legendum occurrerit tibi dictio quædam dyssyllaba (Exin) totiens de regni mutatione, vel de nimia regni concussione noveris cogitasse Merlinum, & vnam iam præcessisse cognoscas, & alteram in proximo superventuram expectes.* Hæc ille. Vt Hyberni iam huius vaticinij impletionem frustra expectent futuram, quæ tot annorum centurijs præteritis perfecta & consummata est.

94 Præter illud vero, est & aliud, Merlini nomen præ se ferens vt vulgò existimatur, de translatione literarũ Oxoniensium, ab Oxonia, Stanfordiam, vsq; vaticinium; quod sic habet

Aliud de Oxonia vaticinium

Doctrinæ studium, quod nunc viget ad vada Boum
Tempore venturo (vel vt alij recitant)
Ante finem sæcli, celebrabitur ad vada Saxi.

de quo, in sequenti libro fusiùs dicturi sumus; quippè quòd, huiusce vaticinij impletio, recentiorum est temporum, quã de quibus nunc agitur. Sola temporis circumstantia, hic observanda occurrit: inquit enim, *studium quod nunc viget ad vada Boum, &c: nunc* I. antiquissimis ipsius Merlini temporibus; quibus Brytones, cum Saxonibus advenis de imperio dimicabant. *Ad vada Boum.* I. Oxenfordiæ: celebrabitur *ad vada Saxi.* I. Stanefordiæ: in agro scilicet Lyncolniensi. Fueritnè hoc ipsius Merlini vaticinium, dubitare me solere fateor: nõ solum, quod in nullo vspiam authore antiquo, aut idoneo, mihi occurrerit, sed etiam, quod absurdum nimis videretur, eundem Merlinum, de vtraq; simul, prima ad Hyberniã, secunda ad Stanefordiam, doctrinæ Oxoniensis translatione fuisse locutum. Dicam tamen quod sentio; postquàm vnũ, aut alterum dubium, circa primum illud vaticinium, de medio sustulero.

Quæstio.

95 Potest enim quæri, cur si Merlini fuerit illud vaticiniũ, nulla illius fiat mentio, in ijs vaticinijs quæ apud Galtr: Monumetensem extant. Quasi Merlinus plura vaticinia nõ

edidit

edidit, quam quæ illic reperiuntur: de quo si dubitas, Lelandum, atq; Baleum, in illius vita consulas. Deinde, quod multò accommodatius est, respondeo; vaticinia ea, quæ in Monumetense sunt, Ambrosium Merlinum agnoscere authorem. Hoc autem, de quo iam agitur, Ambrosij non est, sed illius alterius Merlini scilicet Caledonij, sivè Sylvestris. Solutio

96 Cuius quidem assertionis nostræ ea ratio est, quippè quod in vaticinio dicit, sapientiam Oxoniensem, *suo tempore ad Hyberniæ partes transituram.* Sed ante interdictum Gregorianum, transitura non erat; quod prius non cępit, quàm Augustinus à Gregorio missus, Brytannias anno Dom. 596. advenisset; cui quidem satis propè accedit Merlini Caledonij tempus; siquidem eum anno Dom. 570. claruisse, apud Baleum legimus. Ambrosius verò, nimiùm ab interdicto abest, quo minus eius tempore, translationem hanc cōtingere potuisse credas; anno enim Dom. 480. Ambrosiū floruisse constat; vt quamvis non huiusce, alterius tamen vaticinij, de trāslatione Stāfordiensi, idoneus satis author haberi mereatur. Est quoq; alia ratio, qua ego sanè adducor, vt vaticiniū hoc Merlino Caledonio, potiùs quam Ambrosio ascribi malim: quia scilicet quamvis ex vtriusquè vaticinij collatione, nihil hic appareat, quod altervtrius authoris, fidem aut existimationem elevet, (siquidem eventus ipse vtriq; prędictioni verissimè respondebat) generaliter tamen, Caledonij prædictiones, Ambrosianis illis præferuntur, & veriores à doctis hominibus existimantur: quod & avum nostrum charissimū iuxta ac doctissimum, Ioannem Twinum Commentariorū Angliæ libro. 2. non latuit, qui de illo sic scribit. *Nam cū Sylvestro magis quidem veridico qui sub Arthuro Vaticinatus est, mihi nunc negotij nihil est.* Ratio Solutionis. Merlinorum vter sit veracior.

97 Vociferatur hic fortè aliquis, fraudem ac dolum video: siquidem Io. Hardingus lib. 1. Chronic. cap. 25. ad probandum, Bladudum Brytannorum Regem, gymnasium ad vadū Saxi sive Stanfordiæ posuisse, Caledonij huiusce Merlini, testimonio vsus est, quod et ex Baleo in illius vita liquet: 2. Obiectio.

Ox-

Oxonienses verò, vadũ Boum pro vado Saxi accepisse, atq; hinc errorem totum emanasse. Sed faxo equidem, quãtopere se deceptum sentiat, quicunq; hominum sit qui tam malè de Oxoniensibus meis sentit: quasi vtrumq; Caledonius non habeat? aut quasi, quod ipse Divinationes illius non viderim, Rogero Bacono non crederem, qui in parte 4ª. operis maioris ad Clem. 4ᵐ. eundem de adventu Antichristi multa prædixisse, dicit. Eodem modo, nec Alexandro Neckamo, cæterisq; authoribus meis credendum putarem, qui vaticinium hoc, nobile certe & antiquum valdè, non de vado Saxi, sed de vado Boum, hoc est, de Oxenfordia mea, Merlinum enuntiasse, constantissimè affirmant: Merlinus enim tantum de Stanfordiæ conditore & Atheniensium eò philosophorum translatione, agit: sed de doctrinæ Stanfordiensis in Hyberniam translatione nihil omnino habet, quãtum ego ex Hardingo, Lelando atq; Baleo colligere possũ. Neq; igitur Merlinus, idem de vtroq; vado enuntiavit: neq; quod is de vno vado protulit, Oxonienses ad alterum perfidè detorserunt.

Solutio.

98 Iam verò Davidi Powelo, qui in sua ad Gul. Fleetwooddum, pro historia Romana cum Britannica concilianda Epistola, omnia Merlini vaticinia de medio tollenda censuit, nescio quid rei responsurus sim: quid enim? An Merlini vaticinia magis cum historia Romana, quam Arthuri & Cadwalladri, Honorij & Sergij diplomata cum Britannica pugnant atq; contendunt? Historia quoq; si propriam nominis vim respicias, præteritorum est tantùm: vaticina verò sive Prophetiæ futurorum: quæ igitur inter historiam & prophetiam, repugnantia esse potest, equidem non video. Sybillarum quoq; oracula, quantumvis à vera rerum gestarum fide, nonnunquam aliena reperiantur, quis ex Romana historia delenda censuit? Postremò, cuius tandem Merlini vaticinia intelligit, parum ex verbis cõstat: si illa Ambrosij quę apud Monumetensem extant, nihil nobis cum illis iam negotij est: sin vero alia eiusdem fortasse & Caledonii veriora, equi-

Solutio ex discrimine inter historiam & vaticinium.

equidem non consentiam donec fideles historias videro quæ eventus rerum multò aliter enuntiant, quam ab ipsis vatibus prædicti sunt, quod quidem hic non video.

99 Cùm hoc ex civili providentia Merlinus prospicere potuisset, literas Oxonienses partim ad monasteria Gregoriano scilicet interdicto, partim ad Hyberniam Saxonicis furoribus coactas, transituras, ac veteres suas sedes relicturas quò antè adventum Saxonum à Græcolada (Germanus enim non Græcoladæ sed Oxoniæ studuisse dicitur) translatæ fuerant: eodem modo & civili quadã ratione multiplices regni per Saxones mutationes prospiciens, dignitatem Londoniæ, Doroberniam adornaturam Ambrosius prædixit; quod factum est vel ob Archiepiscopalis sedis translationẽ ad Doroberniam vti Alanus de Insulis exponit, vel quòd Londinensis Episcopus de iure antiquo Cantuariensem cõsecrare debet, vti in Thoma Becket Gulielmus Rede Cicestrensis.

100 Neque etiam hæc Oxoniensis sapientię translatio, vniversâ doctrinæ ratione indignior videri debet, quod quidem orbicularis eruditionis curriculum, Damascenus atq; Budæus peregrinationi assimilant, & incertus author apud Godefridũ Sancti Swythuni Wynton Priorem in beatę virginis Epithalamij libro, *per orbis* (inquit) *ambitum & per spatia terrarum sphæricam progredi sapientiam firmamenti motum imitatam, ab Orientali regione trans Zephyrũ &c.* Vtcunquè Henricus Theosophus Cænobita qui & Henricus Altisiodorensis dicitur quiquè Sancti Germani vitam supplet in ijs quæ Cõstantius omisit, hunc circularis eruditionis motum magnoperè reprehendat. Motus doctrinæ sphæricus.

101 Oxoniensium autem literarum priscis illis temporibus motum duplicem conspicio; Vnum generalem, atquè cum cæterorum in hac Insula studiorum literis communem, quo pontificio illo interdicto ad monasteria translatæ sunt, quod Io: Rossus de antiquorum studiorum (inter quæ Bellesitum recenset) forma, ad monasteria translatâ superiùs observavit, *Magistri* (inquit) *& scholares qui ad fidem Christi cõversi* Duplex doctrinæ Oxoniensis motus.

versi

versi sunt, docuerunt in monasterijs locisq; devotis, &c. quæ veterum Academicorū refugia erant autore Io. Sarisburiensi 1. Metalogici cap. 4. & 5 qui scholas frequentantes non nisi vt avium pulli, qui vt statim plumescunt, avolant, *docētesq; illud quod ipsi tam malè didicissent, maximis erroribus scientias omnes repleverunt, trivium circa sermones & quadrivium circa opera naturæ corrumpentes, posteà tamen pudefacti aut descenderunt in claustra monachorum, vt errores suos corrigerent, vel ad Salernum & Montem Pessulanum vt medicinam discerent, vel deniq; ad curiam vt lucrarentur.* Hæc Ioannes.

Literarum disciplinæ in monasterijs.

102 Paulus Langius etiam in Chronico Citizensi hūc morē docendi in monasterijs etiam alibi apud suos viguisse scribit, dum sic ait, *tunc quidem gymnasia erant in cœnobijs & potissimùm in celebrioribus &c. nusquam enim* (inquit) *eo tempore per Germaniam instituta literarum fuerant gymnasia, immò & aliquot post sæculis Academiæ vel vt aiunt Vniversitatis nomē illustre in omni penè occidentis imperio in compertum fuerat: præter enim Romanum vetustissimum & Parisiense tunc novum, vtpote Caroli Magni iussu, opitulamine & autoritate per nostros doctores monachos fundatum, nullum in historijs aliud vniversale legimus extitisse gymnasium.* Hæc ille.

Franciscanorum levitas.

103 Quem hoc saltem de Oxoniensi sapientia illis tēporibus vaticinium latuisse miror, ex quo Oxonium quoq; vetustissimis gymnasijs addidisset. Sed monachi ab omni tempore secularium literarum scholis infensissimi extiterūt, adeò vt ipse Paulus Langius, artes illas quas Ethnici invenerunt, nec bonas, nec liberales esse asserat: & de Hussitica fide ab Vxonia (vt ille vocat) derivata, philosophiam hæresiū matrem & parentem apertè dicit: de Agnello etiam quodā narrat, qui cum Oxoniæ studēdi causa se contulisset, vbi Sophistas an hæc esset vera, *Deus est*, quærētes audivisset, vociferatus est, *heù me; simplices & illiterati ad deum rapiuntur, & isti literati Deum ponunt in quæstione*: ideoq; iniquo animo ab Oxonia Benedictinus iste monachus vt mihi videtur tanquā stultissimus discessit, licèt sapienter accesserit.

104 Nec

104 Nec omittit etiam Langius, Ioannem quendam Franciscani ordinis ministrum qui quod Bononiæ sęcularibus literis operā dedisset, à D. Francisco, maledictione, etiā in cœlo cōfirmatâ, implicatus est & percussus, & paulò post extinctus: Franciscum enim suos orare malle quam legere dicit; cùm ipse Franciscus orasset potius, quam maledixisset; quasi in sęcularibus gymnasijs, orandi locus suis non fuisset.

105 Causam verò huiusce Britannicarum scholarū ad monasteria translationis, Baleus alibi pelagianismum aut saltem pelagianismi fucum & speciem asserit, cent. 13. cap. 5. & ex eo Hospinianus, vt inde Lydgatus tuus egregiè refellatur mi Londinensis: dum Cantabrigiam suam ac tuam, hæresi nunquam laborasse scribit, quam tu tamen inter antiqua Brytonum studia, pelagianismi labe contaminatam, eaq; de causâ, interdicto Gregoriano suspensam cum cæteris studijs fateris: quam tamen causam non fucatam vt Baleus, (neq; enim cum nostris rationibus stare potest) sed veram & ipsissimam Rossus ex alijs asseruerat: licèt ad Pelagianismū extirpandum, ista ad monachos literarum translatio parùm vti mihi videtur iuvare potuerit, qui & ipsi dum hominem suis meritis iustificari posse asseruerint, autoribus Baleo ipso, Sigeberto Gemblacensi, Hospiniano, Magdeburgensibus, catalogo testium veritatis, à Pelagianismo non longè abhorrebant.

Causa translationis Literarum Brytan: ad monasteria.

106 Alibi verò contrarijs Brytonum & Scotorum opinionibus ascribit, cent. 14. cap. 26. nec tamen quænam illa fuerint animorum, opinionumq; divortia in causa tam gravi ostendit: nisi fortè de resurrectionis Dominicæ festo, id temporis inter Hispanos & Gallos (quorum computum Ioannes VVoodeforth in sua adversus Io. VViclefum determinatione Hispanorum computo cum Sigeberto Gemblacensi pręfert) accerrimè controverso, & in Britanniam (multò tamen post Gregorianum interdictum) anno dom. 664. derivato & inter Scotos (quorum in hac re sententiam Io. Maior lib. 2. tueri videtur) ac Northanhymbrenses VVilfrido cum Col-

manno disputante agitato, quos tandem rectam & Catholicam illius festi observationem accepisse, autor tandem est Bedus libro historiæ tertio. hæc igitur controversia, vt tempore nimis sera, & loco circumscripta (solummodò enim ad Northanhumbrenses pertinuit) ita & momento nimis profectò levis, vt tantis Brytannicarum rerum turbis excitandis causa videri potuerit. Huius itaq; communis ad monasteria Brytannicarum literarum motus ac translationis causam integram Baleo explicandam relinquo.

Oxoniensis sapientiæ ad Hyberniam transitus.

107 Ad alterum sapientiæ Oxoniensis motum, particularem ac proprium, in Hyberniam scilicet deveniam, à qua, non multò antea Merlinus vates, fatales illos apud Gyganteum Choream (multorum eventuum omina certissima) lapides, in Brytanniam Stonehengias transtulit, ac talionis credo lege, pro lapidibus, Brytannorum, Oxoniensium scilicet sapientiam, falsidicorum quorundam Magorum aliorum (vt credibile est) iniurijs læsus, de Brytannia in Hyberniam transtulit. χρύσεα quidem χαλκείων.

108 Sed hęc sacra est vatum potestas, & quędam quasi divinitatis prærogativa videtur; non solum res humanas vaticiniorum suorum vi atq; virtute transferre, sed etiam lunam de cælo deducere &c. nonnè Olenus Calenus (is qui nonnullis etiam Oxoniæ fundator habetur) celeberrimus Hetruriæ vates, de augurio humani capitis in Tarpeij fundamentis inventi, à Romanis consultus, præclarum & fortunatum eventū cernens, interrogatione suâ, ad suos à Romanis transferre nitebatur? quem Plinij locum Ioannes Claymūdus cuius doctissimos commentarios in vnum ac viginti C. Plinii historiæ Nat. libros incipiendo à septimo (reliquos enim vel præteriit volens, vel à morte eius ipsi commentarii perierunt) Collegij Corporis Christi florentissimi alumni, quibus ipse olim magna laude præfuit, iam habent, ad illum sensum exponit.

Vatum potestas & autoritas.

109 Atq; ita Hybernia, quæ impetrante à Deo id Patritio, autore Gulielmo Boolde Monacho Cantuariensi (qui

anno Dom. 1468. vitas Cantuariensium & alia illius cœnobij scripsit) Antichristi adventum nunquam expectabit (nisi fortè ibi sepulchrum Aristotelis extet, à nemine nisi Antichristo inveniendum, qui per recondita ibi secreta, miracula sua facturus est, referente Ioanne Whethamsted) tũ quidem Oxoniensium literarum adventum gratulata est.

110 De cuius culturâ ac literis eodem ferè tempore quo hæc gesta sunt, si minus faciat id quod refert Camdenus de nostris sanctis, *Amandatus est ad disciplinam in Hyberniam* & ex vita Sulgeni qui illo fere tempore vixit, *Exemplo patrum commotus amore legendi, Iuit ad Hybernos, sophiâ mirabile claros:* certè Aldelmus Malmesburiensis in Epistola ad Ethfridum in libro de laudibus virginitatis sic scribit. *Cur inquam Hybernia quà catervatim istinc latitantes classibus advecta confluũt ineffabili quodam privilegio efferatur? ac si istic fœcundo Brytanniæ in cespite didasculi Argiui Romaniue Quirites reperiri minimè queant, qui cælestis tetrica enodantes bibliotheca problemata sciolis reserare sediscitantibus valeant: quamvis enim prædictũ Hyberniæ rus discentium opulans vernansq́, vt ita dixerim pascuosâ numerositate lectorum quemadmodum Poli cardines astriferis micantium ornentur vibraminibus Syderum, ast tamen &c.* hæc Aldelmus qui Anglicè vetus Galea dicitur, Inæ Westsaxonum Regis filius, Meldunensis cœnobii Abbas, & Westsaxonicâ plaga in duos Episcopatus divisâ, Shireburnensis Episcopus, autore in eius vita Capgrauo.

Aldelmus.

Hybernensis insulæ cultura

111 Etsi enim hic nec Oxoniæ nec vadi Boum mentionem fecerit, collatis tamen illius cum Merlini vaticinio rationibus, & circumstantiis aliis minimè frivolis, apparet Aldelmum de hoc transitu fuisse locutum. Qui licèt de tantis Hybernici ruris pascuis, Oxoniensium Musarum floribus tũ adornatis prædicat, Musæ tamen Oxonienses non adeò cupidè inter illa Hyberniç pascua, Lotum illam obliuionis herbam degustarunt, vt prorsùs quidem suarum sedium immemores, nunquam iterùm ad pristinas & avitas sedes redire noluerint: verùm tandem aliquantisper in dulcem suam patriam

triam à tanto exilio inclinare sunt visæ, in Hybernia tanquã hospites solummodò quasi pransæ.

112 Certissimum enim est Alcuino tunc Anglo (& Oxoniensi vti in sequentibus probabitur) à Rege Offa, honoraria legatione apud Carolum magnum fungente, quatuor doctissimos de Hybernia vbi tum Oxoniensis sapientia cõsederat viros, Ioannem Mailrosium, Rabanum, Claudium, Altisiodorensem & Clementem, Galliæ finibus appulsos, Oxonienses literas quasi sub hederâ venditantes, novas mercaturas Gallis vbiq; proclamasse, bona loca, animasq; ingeniosas mercedis loco poscentes.

Oxoniensis sapientiæ ab Hybernia ad Galliam motus.

113 Quibus incredibili solennitate à Carolo Magno acceptis, autore atquè suasore divinissimo homine Alcuino, Vniversitatem illam origine Atheniensem quæ tunc Romæ consederat Carolus Parisijs transtulerit: hunc enim doctrinæ motum Sphæricũ observauit author meus de quo supra ex Godefrido Wynton Priore, qui literas à Iudæis incæpisse, à Iudæis ad Græcos transijsse, *à quibus ad Italos; atq; ità gradatim* (inquit) *in Galliam transalpinasse*: idem & Oxonienses in literis ad Humphredum Glocestriæ ducem, *studium* (inquiunt) *literarum quod primùm apud Græcos, deinde apud Romanos, postremò apud Gallos fuisse testantur historiæ &c.* nec omisit Gulielmus Budæus in libro de studio literarum rectè instituẽdo, *orbis ipse studiorũ* (inquit) *in conventu scholastico Lutetiæ repentè conuersus est, qui in prima inclinatione sui magnum planè stridorem & tumultuosum edidit.*

Carolus Magnus.

114 Ac certè semper stridusset, nisi Oxoniensiũ literarũ delitiæ *ac emissiones illæ Paradisi, exquisitioris scilicet disciplinæ libelli* (locus est apud Malmesburiensem notissimus) autore divinissimo homine Alcuino è Britannia accessissent. *Luget* hoc (inquit Henricus Altisiodorensis in Epistola ad Carolum Regem) *Græcia novis invidiæ aculeis lacessita quod sui quondam incolæ iamdudùm cum Asianis operibus aspernantur, vestra potius magnanimitate delectati, studijs allecti, liberalitate confisi: dolet (inquam) se olim singulariter mirabilem &*

mi

mirabiliter singularem à suis destitui: dolet certè sua illa privilegia ad nostra climata transferri: quid Hyberniam memorem contēpto pelagi discrimine penè totam cum grege philosophorum ad littora nostra migrantem, &c. hæc Henricus.

115 Etenim quadruplex vt mihi videtur in constituendo Parisiensi studio sapientiæ motus fuit: primus fuit literarum Atheniensium ad Romam: alter Oxoniensium ad Hyberniam: tertius Hybernensium (quæ reverà Oxonienses erant vti ex vaticinio Merlini superius probatum est) ad Parisienses, de qua migratione disertis verbis Henricus Altisiodorensis illorum temporum scriptor hoc in loco locutus; vltimus, Italicarū literarū ad eosdem Parisienses motus: quos omnes hoc in loco Henricus Altisiodorensis supponit, cùm Carolum cunctarum ferè gentiū scholas & studia sustulisse, & Parisijs collocasse scribat.

116 Quæ si profectò cuiquam antiquissimorum Oxoniensium (cum per hos iam constet in literarum suarum exilio nobilissimum Parisiense studium fuisse excitatum) virtutibus maiora videantur, is mecum atq; etiam apud se consideret (vt P. Ramum omittam qui sępissimè Galliam Brytannię discipulam vocare non dubitavit) quæ & quanta, Recentiores etiam Oxonienses Parisijs gesserunt.

117 Stephanus de Lexintona, scholam quandam Parisijs Chardenai dictam fundavit, autore Matheo Parisiensi in Henrico 3. Haymo Fevershamus & Iacobus Cisterciensis, duas bonarum literarum scholas à Cadmo fortasse literarum autore (vnde & Academia) Cadmeias dictas, Parisijs aperuerunt, autore Baleo: Alexander Hales profundissimus Theologus, Sancti Bonaventuræ Magister, apud Franciscanos Parisienses scholam aperuit, *ex qua innumeri principes tanquam ex equo Troiano prodierūt, Ioannes Gerson, Stephanus Bruleferus, & Angelicus Doctor Thomas de Aquinate,* autore Petro Gallacinio in vita S. Bonaventuræ cap. 8. & quoniam paruis quoque sua gratia inesse dicitur, Sanctus Edmundus Parisijs studens vsq; adeò Parisiensibus beneficus extitit, vt & libros

Oxoniensium gesta apud Parisios.

bros suos vendiderit, eorumq; pretium scholaribus egenis Parisiensibus erogarit, autore Ioanne Capgrauo in illius vita; dum ipse Theologiæ dans operam Oxoniæ, libros sibi à Waltero Eboracensi liberaliter oblatos recusaverit, scribente in illius quoq; vita Roberto Richio eius fratre, & Roberto Bacono discipulo.

118 Idem quod superiores, Marsilius Ingelne Heydelburgæ fecit, teste Lelando ex Tritemio: & Michael Tregorius Cadomi in Normannia, vbi Henricus Quintus invictissimus Angliæ Rex (& Oxoniensis vti posteà probabitur alumnus) translatis illuc Oxoniensibus literarum studium instituit: de qua institutione, Extractum breve de Chronico Thomæ Elmham Prioris de Lenton sic loquitur.

Cadomensis studij origo.

Rex in Neustrali proprio stans iure ducatu
Villas, castellis obsidione capit.
Vt plebs proficiat ibi doctores locat Anglos
Quæ faciant, doceant, quæ iubet ipse Deus
Hinc pro Iudicibus mittit legisq; peritis
Vt sua quæq; regant Anglica iura monet.

119 Quibus certè ad Oxonienses ornandos plura addidissem testimonia (nam omittam D. Henricum Sydneyum Hyberniæ sub Elizab. custodem illustrissimum, cuius opera (fuit enim is quoq; Oxoniensis) Dubliniensis Acad. in Hybernia (collatis 20 & annui reditus in numeratis vero pecunijs centum) fuisset restituta, si de loco & cæteris circumstantijs satis inter Hybernenses convenisset, vt scribit Ed: Campianus lib. histor: Hybern. 2°) si quorundam importunitas non avocasset, meq; eos insequi coegisset, qui Londinensis more nobilitandæ nimis Parisiensis Academiæ rationem ineuntes, ad Magos, Saronidas, Druydasq; Parisiensium (si placet) maiores, relicto iam Carolo, atq; authore quem diximus Alcuino, confugiendum censuerunt. In quibus est Io. le Mayre in illustrationibus Galliæ, Wolfangus Lazius libro de Celtis 5°. Goropius in Francicis, Io. Picardus in suo de prisca Celtopædia libro, Augustinus Dathus, oratione in

Parisienses de antiquitate sua nimiū soliciti.

lau-

laudem philosophiæ prima præter Gouletum qui Iulium Cæsarem certè, aliosq; id generis autores Parisijs studuisse scribit.

120 Quibus omnibus si ex Boetio in lib. de scholastica disciplina occurrerem, *flauos Brytones*, (paulò ante hanc fundationem nam Boetius Arthuro nostro æqualis est) *Parisijs artes mendicasse* (fortasse circa tempora interdicti) *nullis vero ijs philosophiæ pocula administrantibus* asserẽte; aut etiã ex Alcuini ad Carolum Panegyrica *Date mihi exquisitioris disciplinæ libellos quales in Britannia habui &c*: apud Malmesburiensem (quod evincit Gallos ante id temporis hisce studijs caruisse) profectò haud scio, quam respondendi rationem inituri essent.

121 Multò minus ij, qui ad obscurandum Brytannici nominis splendorem quem ex his necessariò elucescere vident, fundationem hanc per Carolum & Alcuinum Anglũ omnino negant, nobilem illam Academiam de sua antiquitatis possessione deijcientes, in vacuam iam vt ipsi putant & mancam possessionem, alienos dominos intrudunt, ac recẽtiorem illius fundationem constituunt, quam reverà facere debebant: In his est Card. Zabarella titulo de Magistris, qui hanc ex Stephano historiam de Alcuino repetens, omninò veram esse negat: sed præcipuus est Stephanus Pasquier lib. 3. des Rescherches de la France & ex eo nuper Petrus Bellfonsus in Antiquites de Paris, qui hanc narrationem infringere conatur, quòd nec Eguinarthus, nec Aimoin, nec Rheginõ, nec Aidon, nec Sigebertus (quibus ego multos alios addere potuissem) huiusce rei nõ meminerint: quòd sub tota Carolorum successione nullos doctos invenerit, quòd in Debonarianis de scholis vbiq; apud Gallos instituendis decretis, Parisiensis scholæ mentio nulla occurrat; neq; etiã apud Sanctum Bernardum, diligentissimum alioqui autorẽ, inter tot turbas quæ ei cum Petro Abulardo intercesserant. Parisiẽses nullo modo ab Anglis oriũdi videri volunt.

122 Ipse igitur Pasquier in ea sententia cõstitutus est, Academiã Parisiensem non ante annũ dom. 1131. sub Lu-

dovico ſeptimo incæpiſſe, quem an autorē quoq; eſſe velit non intelligo; hoc ſcio Ioannem Gerſonem Cancellarium Pariſienſem in quodā de S. Ludovico ſermone, eū de Academia Pariſienſi optimè meritū fuiſſe dixiſſe, quā & maximis privilegijs dotaſſe ſcribit, fundaſſe verò nō ſcribit; immò potiùs in reſponſione ad Tholozanorum in materia ſchiſmatis epiſtolam, in ſuo Trilogo, *ſtudium Pariſienſe cæteris omnibus antiquius atq; ſolennius eſſe, tantūq; cæteris ſupereminere, quātum inter virgulta cupreſſi,* apertè ſcripſiſſe.

123 Vt hinc conſtet Gerſonem exiſtimaſſe, Academię Pariſienſis originem ad S. Ludovicum non eſſe referendam; ſed multò antiquiorem atq; priorem videri, quanquam illud non ignoro Henricum Altiſiodorenſem in pręfatione ad vitam S. Germani, ex illo Satyrici verſu, *vt Lugdunenſem Rhetor dicturus ad aram,* Lugdunenſe ſtudium omnium citra marini orbis antiquiſſimum ſtatuiſſe. illud verò quod Stephanū Paſquier in hanc ſententiam adduxit, vt Pariſienſe ſtudium Ludouici temporibus incæpiſſe ſentiat, hoc potiſſimum fuit, quòd illo tempore Petrum Lombardum alioſq; doctiſſimos viros Pariſijs floruiſſe invenerit (quaſi de Grymbaldo Pariſienſi Cancellario, ac de Ioanne multò ante id tempus ab Aluredo Rege noſtro à Gallijs, Oxoniā tranſlato nūquam audire potuiſſet) quo tamen ferè tempore Daniel Merlac aliâs Morley Oxonienſis, ſummæ ignorantiæ Pariſienſes (vti poſteà ſuo loco dicetur) arguit.

124 Noſtræ autem ſententiæ de fundatione per Carolum & Alcuinum autores ſunt, Alcuinus ipſe apud Malmeſburienſem, Henricus Altiſiodorenſis (de quo ſupra) Vincentius lib. 23. cap. 173. D. Antoninus Florentinus titulo 4. de Carolo Magno, Sect. XII. incertus author antiquus quē Oxonienſis Antiquarius Sylveſtrum Gyraldum vocavit; Ioannes Hanvyll ſive Architrenius S. Bonaventura in ſermone ſupradicto: Roſſus Warwicenſis ex Chronico Arelatenſi: Munſterus, Lelandus, Baleus, & noſtri ferè omnes Chronologi: Philippus Bergomenſis libro decimo: Platinas in vita

Alcuinum Anglum Pariſiēſis ſtudij fuiſſe autorem.

Leo-

Leonis primi. Bruinus in civitatum orbis terrarum theatro: Caſſaneus: Antonius Florentius: P. Gallacinius in vita S. Bonaventuræ: Robertus Gaguinus in hiſtoria Francorum: Ægidius Corrazet in antiquitatibus de Paris: Siffridus presbyter: Faſciculus temporũ: Sangallenſis in hiſtoria Caroli Magni: Henricus Pantaleon in Chronographia Eccleſiæ: P. Ramus, vbiq;: Paulus Langius in Chronica Citizenſi: Rodolphus Hoſpinianus de origine Scholarum: Middendorpius de Academijs: Tuiſco filius Noe libro 9. de Germanis: Bernardus Gerardus in hiſtoria Gallico ſermone conſcripta in vita Caroli Magni: Nicholaus Giles in Annalibus Franciæ: Fabianus in temporum concordantia: M. Hieronymus Henninges Lunæburgenſis in theatro genealogico: & doctiſſimus noſter avus Io. Twinus; qui libro Commentariorum. 2. Alcuinum noſtrum hâc ipſâ de cauſâ, à Cæſare Carolo, honorificè detentum ſcribit, *vt Pariſiorũ Gymnaſiũ inſtitueret*: Londinenſis quoq; noſter libro Antiquitatis Cantabrigiæ ſuæ primo multiq; alij integerrimę fidei autores, quos non omitterem ſi quis ſit, qui iſtis iam productis minùs adhærendum putaret. Atq; hęc de Sapientiæ Oxonienſis curſu, ad vaticinij rationem, ijſque quæ illi in hoc ſuo exilio contigerunt, dicta ſint.

125 A Gallijs verò omninò per Aluredum ad antiquas ſuas ſedes reverſa, cuius opera (inquit Roſſus) *quavis literatura Deo placita & hominibus Oxonia iterùm pullulavit*: qua de re fuſiùs in ſequentibus dicetur. Nec audiendus eſt poeta, *Gallia Cauſidicos docuit facunda Brytannos* (licet rectè dixerit Brytannos qui iuriſprudentiæ ſtudio delectati potiſſimùm quod ex Lhuydo Ortelius animadvertit, Oxoniam adire ſolent) niſi & alter quoq; poeta Nathan Chytræus in itinere Anglico audiatur, *Quid nõ Alcuino facunda Lutetia debes, &c.* neq; tamen Iuriſprudentiæ, ſed cæleſtis ſcripturæ peritiam Alex. Neckamus Pariſienſibus conceſſit: Dionyſium enim Areopagitam S. Pauli diſcipulum illic docuiſſe ferũt: ſed errant: nam Dionyſius Pariſienſis, hæreticus fuit, vti multi ex-

Oxonienſis ſapientiæ in Britãniã reditus.

istimant, quod de Dionysio Areopagita existimandum non est.

116 Ab Hybernia verò, redijt sapientia Oxoniensis, primò ad monasterium Glasconiense, vbi autore Alfredo Abbate Rhievallensi aut Osburno Dorobornēsi, multi atq; illustres viri divinis ac sæcularibus literis nobiliter eruditi dū relicta Hybernia, in terrâ Anglorum peregrinatum venissēt, docuerunt, In vita Sancti Dunstani: Hybernenses enim illic tantopere convolarunt, vt suâ frequentiâ, locum quendam *Berkeri.* i. *paruam Hyberniam iuxta Glasconiam, celeberrimum iam effecerint* autore Malmesburiensi in Glasconiensis cœnobij antiquitate: vt quemadmodùm anteà ratione vaticinij, Britannia in Hyberniam per Oxoniensem sapientiam transmigrauit, ita iam per eandem è converso, Hybernia in Brytanniam redijsse videatur.

Glasconia.

127 Deinde statim ad Oxoniam, cùm nullum aliud gymnasium Hybernenses agnoscant autore Baleo: licet enim Io. xxi. pontifex Rom. Dubliniensem Acad. primus omnium privilegio ornasse dicitur autore Edmundo Campiano lib histor: Hybern. 2. quam Acad Plantoli nomine insignitam clarissimus Hyberniæ Custos & Oxoniensis Acad. olim alumnus D. Henricus Sydneyus non multis ab hinc annis renovasse decreverat, res tamen non successit) vbi quēadmodum suam Berkery Hyberniam scilicet parvam iuxta Glasconiam olim, constituerunt, ita iam Oxoniam transtulisse videbātur, dum in parochia. S. Mariæ Magdalenæ Oxon quæ Bellesito finitima est, plateam quandam suo nomine Yrissmanstret (sic enim in antiquis scriptis lego) i. Hybernorvm hominum plateam, dictam, frequentia suâ denominarint.

Reditus literarum ad Oxoniam.

128 Quin & Sylvester Gyraldus antè annos abhinc ferè iam quadringentos Hyberniæ opes ad Oxoniam reduxisse videtur, dum in publicis scholis Oxon, Hyberniæ topographiam doctissimè exposuerit: & qua ratione Hybernia sit Oxoniæ tributaria in sequentibus dicetur: hæc certè de

Ox-

Oxoniensis sapientiæ reditu ad huiusce quarti argumẽti explicationem iam dicta sint, vt inde si velis intelligas, quantis gradibus Oxonia Cantabrigiam excedat.

129 Oxoniam quoq; antiquam admodum esse vrbem præter ea quæ superius allata sunt, argumento est historia S. Fridesvvidæ. fuit hæc (ex Baileolensis bibliotheca Polychronico & Ioanne Capgrauo loquor) filia Didaci subreguli & Safridæ in vrbe Oxoniæ (circa annum Dom. 700.) moram trahentis; parentumq; assensu habitum Monialium suscepit. cuius exemplo duodecim, nobilibus ortæ natalibus, puellæ relictis omnibus secutæ sũt dominum; quibus ex Regis munificentia cænobium construxit: tanta vero illius fama vbiq; increbuerat, vt cum nullus violandæ virginalis pudicitiæ locus iam relictus esset, aperta vi Algarus Comes, missis nuntijs qui ad se perducerent, rem gerendam existimavit, at illa sumptis secum aliquot itineris socijs, ad Thamesin ex cænobio se conferens, naviculam ingressa (angelo, vti ferunt, navarcho) vnius horæ spacio decem M.P. Bentonæ villæ cuidam appulit, vbi in nemore quodam porcorum haram cum socijs ingressa latitavit.

Quintum antiquitatis Oxon argumẽtũ.

Historia Fridesvvidæ.

130 Oxonienses verò cives ascenso bove (cui quòd Oxe-forth. i. bos perge, Fridesvvida dixerit) vrbem suã Oxenfordiam dictam existimant, interim non cogitantes Fridesvvidam illis temporibus adeò antiquis, lingua Anglicana tam perfectè non esse locutam, (aut vrbem suam multò ante id tempus vadum Boum fuisse dictam vt superius demõstravimus) flumen traiecisse hodierno die asserunt. Algarus verò subvertendæ vrbis Oxoniensis rationem initurus, quamprimùm ad portam Aquilonarem furibũdus accessisset (vnde colligimus eo tempore Oxoniensem vrbem quoàd communem situm eo modo quo nunc stetisse) oculis captus sed non captâ Fridesvvida aut vrbe ipsâ, discessit: Fridesvvida verò postquàm in prædicta solitudine per 3. annos divinis rebus vacasset, Oxoniam redijt: & nè Sororibus in cænobio dimissis onerosa esset, in loco quodam iuxtà vrbem Oxoniensem

Oxenfordiæ ridicula denominatio.

ſem multis arboribus conſito Thorneby nuncupato (nunc vero Binſeya dicitur, inquit fani Frideſwidæ Regeſtrum) oratorium ædificiaq; conſtruxit, fontemq; vſq; hodiè manãtem ſuis meritis ac precibus impetravit.

131 Hinc nata eſt illa ſuperſtitio, in qua Mathei Pariſienſis cõtinuator Gulielmus Riſhanger (vt creditur) hiſtoricus alioquin ſatis bonus tam graviter lapſus eſt, vt ob Fridiſwidæ numinis metum à tempore huius Algári, nullũ Regem Oxoniam ingredi auſũ fuiſſe ſcribat ante Henricũ tertium; Quem conciliũ ſuorũ apud Oxoniam celebraſſe ſcribit; Quaſi poſt illud tempus rex Oxenfordiæ Didacus Frideſwidæ pater hoc non auderet: idem & Burrhedus multò poſteà Merciorum rex: idem & inclytus Oxoniæ reſtitutor Aluredus qui ad ſedandas ſcholarium ſuorum controverſias illic (autore Aſſerio) acceſſit: idem & filius eius Edwardus qui Oxenfordiam penès ſe ſemper retinuit autore Florilego: idẽ Canutus rex qui concilium ſuorum Oxoniæ habuit vt in ſequentibus, fuſiòs: idem fortiſſimus Edmundus qui ferreum latus dicitur; Oxoniæ enim occubuit: idem infortunatus rex Ethelredus de quo poſteà; & omniũ infortunatiſſimus Haraldus: idem Henricus primus teſte Roſſo, vt fuſiùs poſteà.

Error Gulielmi Riſhanger.

Reges qui Oxoniæ interfuerunt.

132 Stephanus verò rex non ſolùm Oxoniam ingredi non verebatur, ſed tanquàm Algarus alter ſuam Frideſwidã ſcilicet Matildam in caſtro Oxonienſi obſedit: Henricus quoq; ſecũdus tranſlationi corporis, Frideſwidæ anno dom. 1180. perſonaliter interfuit apud Oxenfordiam, vbi & ſuorũ concilium habuit autore Philippo S. Frideſwidę Priore in libro de Frideſwidæ miraculis, vt Richardum primum omittã qui Oxoniæ natus eſt.

133 His igitur omiſſis, vt de fani Frideſwidæ hiſtoriâ, quæ ſic incipit, *Notandum quod Didacus quidam rex Oxenfordiæ regnavit anno incarnationis 727. vt patet in Chronicis, &c.* nihil dicam; venio ad Roſſum, qui hâc de re ſic ſcribit. *Rex pagi Oxonienſis nomine Didacus apud Oxenfordiam condidit monaſterium Monialium in honorem Sãctæ et individuæ Trinitatis, vbi cũ*

ſua

sua Regina Safrida nomine honorificè est sepultus: quod monasteriũ eorum filia Sanctimonialis Frideswida nomine, Dei causa ad tempus fugiens quendam tyrannum Algarum Leycestrensis prouinciæ subregulum, & hæreditatis amplæ ipsius beata Virginis Frideswida invasorem, tandem ipso ad Tartara directo rediit ipsa ad propria & vita comite Deo fideliter servivit; vbi vsquè hodiè gloriosis coruscat miraculis, & obiit crastino Sancti Lucæ Evangelistæ circa annum domini septingentesimum. Hæc Rossus.

134 Qui non Frideswidam ipsam, sed Didacum patrem, cænobij illius quod Oxoniæ positum est, autorem fuisse ait, cum regestrum ipsius fani ad Frideswidam ipsam originem referat; quemadmodum in præcedentibus est dictum: porrò post obitum Frideswidæ amotis Sanctimonialibus, Canonicos Seculares Regestrum ipsius loci introductos fuisse tradit: Corpus verò, S. Frideswidæ sub H. 2°. translatũ fuisse diximus, in cuius sepulchro posteà Petri Martyris vxoris ossa sunt recondita, cum hac inscriptione, *Hic iacet religio cum superstitione.* Sepulchrum Frideswidæ.

135 Res Oxoniensis, quo statu Frideswidæ temporibus antiquissimis steterit, prȩterquam quod de cænobij fundatione apud Oxoniam dictum est, Censualis Edwardi Cõfessoris vti quidam putant vel Gulielmi Conquisitoris liber, manifestè declarat: *Hæc vrbs* (inquit, dùm de Oxonia loquitur) *reddebat pro theloneo, & gablo, & alijs consuetudinibus per annum Regi quidem viginti libras, & sex sextarios mellis, Comiti vero Algaro decem libras*: hiccinè fuerit Algarus is qui Frideswidam persecutus est (quãquàm eum Leycestrensis prouinciæ subregulum vocet Rossus, non Oxoniensem) fortasse enim liber Cẽsualis de antiquis cõsuetudinibus etiam loquitur, aut is cuius frequenter in sua historia meminit Ingulphus, planè nescirem, nisi certò scirem Edgarum Ethelingiũ Haroldi & Gulielmi Neustriorum ducis temporibus, fuisse Oxoniæ Comitem, non autem Algarũ hunc, cui & Regi scilicet Didaco, Oxoniensis vrbs tributaria fuerat, quemadmodùm ex libro Censuali qui Gulielmi primi temporibus, annis ab- A Rege Edwardo, autore Florentio Wygornensi exlegatus fuit anno. 1058.

abhinc vltra quingentis ſcriptus erat,manifeſtè liquet,veteremq; cenſus multo antè Gulielmum rationem comprehendit,autore Gervaſio Tylberienſi.

Vetus vrbis Oxon cenſus.

136 Quamobrem ſi ex cenſu iudicium ferendum ſit, Oxonienſem vrbem eo tempore admodum floruiſſe credibile eſt:plus enim pendebat quam Exonia,multæq; aliæ vrbes quæ eo tempore florentiſſimæ habebantur autore, libro Cenſuali,cùm eodem ipſo tempore Cantabrigia hodierna,ſi eadem fuerit cum veteri Granta civitas(quod etſi falſiſſimũ Londinenſi tamen vbiq; maximè placere video) immò civitatula ,deſolata quidem fuit autore Beda: nec quicquam Regi pendebat,quantùm ego ex Cenſuali libro colligo:vbi tamen *Burgus de Grentbridge* dicitur,cùm hic in libro Cenſuali,Oxonia vrbs dicatur:qui certè liber & Alphredo tuo,& Huntindonenſi & Ranulfo quorum catologos ſuperiùs vẽditaſti multò antiquior eſt, vt omittam Huntindonenſem, qui Oxoniam,vrbem quoq; vocat mi Londinenſis.

137 Rei autẽ literariæ niſi aliqua in re Frideſwida profuiſſet,equidem non video cur maiores noſtri,ad Cantuarienſem Archiepiſcopum Thomam Arundelium ſic ſcriberent;*aſt ne adhuc tot eminentia pericula ſuper nos eveniant,in maiori præſertim veneratione,mandata tradatis beatam Frideſwidã advocatricam noſtram per veſtram totam quæſumus prouinciam ſpeciali memoria commendetis quo apud altiſſimum gratias vberiores integrum regnum conſequatur.&c.*

Frideſwida Oxonienſium patrona olim.

138 Quin & hiſtoria ipſius loci provt antè diximus, ſtatim poſt obitum Frideſwidæ,Sanctimonialium loco Canonicos ſęculares introductos fuiſſe narrat:qui cum Regis alicuius multo ante Normannos iniuria (loquor ex hiſtoria ipſius loci)monaſterio S. Frideſwidæ Abendoniæ cuidam Abbati dato,introductis monachis expellerentur, etiã iterũ reſtituti ſunt:vt hinc intelligas Canonicos ſæculares in Academijs,Regularibus ipſis,multò vtiliores fuiſſe viſos, atquè hæc πίστις eodem modo incedit quo tertia, eſt enim ex ipſius loci teſtimonio,quod de tertia dixit Aſſerius&proindè fortiſ-

tissima est & validissima. cuiusmodi si pro Cātabrigia tua mi Londinensis à te, vel quopiam alio, ex proprio loci testimonio produci potuisset, mihi quidem facile persuasisses, id quod ego tibi ac tuis iam suasurus sum.

139 Nam si certiorem adhuc fidem desideres, & scire cupias quæ tandem Oxoniensium literarum ratio tum fuerit, ego certè libenter sexto iam tibi loco, ex maioribus nostris, Ioanne de Beverlaco, Beda, atq; Alcuino, qui omnes etiam his ipsis Frideswidæ temporibus aut certè non multò post, Oxoniæ claruerunt, demonstrabo; cùm in superioribus satis ostensum fuerit, Aluredum non authorem Oxoniensis scholæ absolutè primum, sed restitutorem tantùm fuisse habitum. Ideoq; Ioānem de Beverlaco Oxoniæ studuisse imprimis, inscriptio hæc in fenestra quadam Alurediani Collegij (non ita pridem visenda vna cum ipsius Ioannis imagine) confirmat: *Ioannes de Beverley huius Collegij Magister*. Non dico *huius Collegij* ab Aluredo tanquam authore absolutè primo fundati, aut etiam à Gulielmo Dunelmensi multò posteà quasi fundati, quibus vtrisq; Ioannes iste de Beverley multò antiquior est, sed *huius*, hoc est huius Aulæ quondam, vel huius loci ab Aluredo posteà restituti (multò tamē vti dixi ante Aluredianam restitutionem) *Magister*: accedit quoq; altera in fenestra bibliothecæ Sarensis Ecclesiæ inscriptio huiusmodi, *Ioannes de Beverley Oxoniæ Magister*.

Sextū antiquitatis Oxon argumentum.

Io de Beverley Oxoniç studuit.

140 Eccè fidem in vitreis monumentis minimè vitreā; quam Londinensis derideat si velit, quasi Fœciales nostri Nobilium virorum, fundatorum & conditorum & restitutorum insignia ex fenestris (quarū inscriptiones publicum & notorium inducunt vt Iurisperiti loquuntur) præclarè se colligere posse non putent. Nec desunt etiam, qui Ioannē hūc de Beverley, in Ecclesia Sarum sepultum credunt; quibus ego minùs accedo, cum apud Capgrauum & alios in illius vita legerim, hunc Ioannem exactis in sede Eboracensi & Hagulstadensi, 33. annis, in monasterio suo in sylva Deirorum sive Beverlaci, in omni Sanctitate permanentem obijsse

Non erat Sarisburiæ sepultus.

se nonas Maij anno dom. 721, & in Porticu S. Petri eiusdē monasterij tumulatum. De cuius tūba Thomas Gascoigne in opus quoddam Roberti Grosted sic annotavit, *Henricus quartus rex Angliæ qui fuit filius Ioannis Ducis Lancastriæ nati in Galkut intravit in Angliam à suo exilio in crastino Pentecostes, & tumba Marmorea Sancti Ioannis Beuerlacensis emanavit oleū per 21. dies continue & noctes.* hæc in bibliotheca Collegij Lyncolniensis cuius olim bibliothecæ Thomas Gascoigne fuerat custos, & posteà collegij beatæ Mariæ socius, vir doctrinâ & pietate iuxtà clarus.

141 Athelstanus quoq; rex dū per partes boreales Scotiam profecturus erat, ad sacram Ioannis Beverlacensis tumbam visitandam summa devotione divertisse, ibiq; rem divinam fecisse dicitur; autore Simeone Dunelmensi atq; Ranulfo: Ecclesia quoq; Sarum non antè Edwardum Seniorē ab Osmundo Episcopo multò post Ioannem Beverlacensē condita est, vt nisi illuc fuerit translatus (quod mihi nondū liquet) vereor nè non omninò illic sepultus inveniatur.

Ecclesia Sarū.

142 Londinensis verò, quoniam Antiquarium Oxoniensem valdè pedetentim in hanc de Ioanne Beverlacensi sententiā devenisse; immò nescio qua difficultate impeditum reiecisse, & hæc omnia non huic Sancto, sed alteri multò recentiori (sub Henrico tertio) Beverlacensi accomodasse (quod idem Ioanni Beverlacensi, Collegij Dunelmensis Oxoniæ quōdam Priori, æquè accommodasset) intellexit; ideò pro suo vendicat, atq; ex veteri suo Patrono, mendaciorum fæcundissimo parente Herrisono, Ioannem Beverlacensem Cantabrigiæ (cuius vel nomen temporibus tam antiquis commemorare non possum) studuisse contendit ἀλλ' οὔπω μὲν τοῦτ' ἔπος τελέεσθαι οἴω.

Error Londinensis.

143 Nam Hollinshedus in cap. de Anglorum Academijs Ioannem Beverlacensem Oxoniæ studuisse apud vetustos autores se reperisse scribit: errat tamen, quod Ioannē hunc primum Oxoniæ Magistrum sentiat, quo multo priores suprà commemoravimus, Gildam, Nennium &c: ex As-

se-

serio, vt fenestram bibliothecæ olim Collegij Dunelmensis iam verò Sanctæ Trinitatis Oxon omittam, vbi inter reliquorum Oxoniensium Sanctorum imagines, *Ioannes de Beverley* occurrit.

144 Hollinshedo multò antiquior est Gulielmus Worcestrensis quondam Aulæ Cervinæ in Oxonia scholaris, qui in suis collectionibus, doctissimorum Oxoniensium catalogum huiusmodi recenset. *Doctor, Lyncoln, Subtilis, Bacon, Holcot, Walterus Burley, Gorrhã frater, Whethamsted monachus, Sãctus Thomas Cantuariensis in lege civili: Sanctus Edmundus de Pountney, Sanctus Richardus de Chichester Magister Artium, Sanctus Thomas de Herefordia Magister in artibus. Sanctus Ioannes de Beverley Magister artium in Oxonia, Magister Ioannes Shorn, Magister in Oxonia, Magister Richardus Hampole bacchalaureus in artibus, Doctor Rich. Scrope, doctor vtriusq; iuris ibidem, Magister Rich. de Castro S. Theologiæ bacchalaureus, Magister Edmundus Lacy Doctor Theologiæ de collegio Vniversitatis, Thomas Episcopus Herefordensis, Magister Fenton Vicarius de Maudlyns bacchalaureus in artibus. Leyland, Kylwarby, Gaufredus in poetria bacchalaureus.* Fortassè Gaufredum Vinesauf intelligit. Hactenus Gulielmus Worcestrensis (in suo Oxoniensium polyandrio) quem Baleus Botonerum vocat: Ioannem autem de Beverley inter Oxonienses Magistros recenset.

Oxoniensium antiquorum catalogus.

145 Cui consentit Alphredus Beverlacensis, qui in illius vita sic ait: *anno Christi 686. Ioannes de Beverlaco consecratus est Hagulstadensis Episcopus qui Oxoniæ Magister liberaliũ artium fuerat creatus; posteà Eboracensis Archipræsul; trigesimo quarto administrationis anno, officio cessit, ac Beverlacũ se cõtulit, vbi post quatuor annos migravit ad dominũ anno Christi 721. Nonis May, sub Rege Osrico.* Hæc Alphredus.

146 At Folchardus eum doctoratus gradum suscepisse, his verbis scribit, *In prædicta Deira natus est gloriosus Christi cõfessor Ioannes Eboracensis Archiepiscopus in villa dicta Harpun oriundus, in monasterio Sanctæ Hildæ primo literarum traditus est*

 disci-

disciplina, de Angligenis S. Theologiæ Doctoribus, doctor primus; erat autem Doctor eius Theodorus alienigena, in Oxonia vero summum conscendit apicem, hæc Folchardus; qui & Theodorum quoquè Oxoniensem fuisse non obscurè significat, sed non premam, non extorquebo.

147 Miror tamen quod inter tot Oxonienses sanctos, antiquiores, dico Sanctum Germanum S. Gildam, S. Nennium, S. Melkinum, S. Kentigernum, S. Grymbaldum, S. Neotum, S. Io. Erigenam recentiores verò Sanctum Thomam de Becket, S. Rob. Lincoln, S. Edmundum de Pountney, S. Richardum Wygornensem, S. Ioannem de Bridlyngton, S. Thomam Herefordensem Cantilepum scilicet, S. Willielmum ac Sanctum Hybernorum Armachanum; vt, S. Frideswidam omittam; solus vel certè præcipuus Ioannes de Beverlaco apud Oxonienses semper est habitus: Academia Oxoniensis in stativis solennitatibus suis, huius nomen ab omni ætate commemorabat, vti in divinorum officiorũ Rationalibus apparet: idem & Aluredìani alumni in suis: Henricus verò Quintus Oxoniensis Hannibal, cum de Gallis triũphasset Agincourtiæ, annuente Henr: Chichleyo item Oxoniensi, Archiepiscopo Cant. vtrumq; huius Sanctissimi põtificis tum depositionis, tum translationis festum, novis solẽnitatibus auxit quemadmodum in constitutionibus Chichleyanis apud Gulielmum Linwooddum Doctorem Oxoniensem apparet.

Io. de Beverley notissimus Oxoniæ Sanctus.

148 Quæ omnia, vel me tacente satis declarãt, Ioannẽ Beverlacensem non esse tuum mi Londinensis; verùm Oxoniensem, idq, primis Frideswidæ temporibus. quibus non solùm vrbs ipsa Oxoniensis, sed etiã res literaria florebat, quod ex Beda quoq; conijcies. Quem tu non minùs absurdè, studio, quàm Sixtus Senensis vna cum fratre Strabone (cuius in Bedæ Natalibus mentio nulla fit) & Acca quoq; Hagulstadẽsi, i. Exhamensi (vt Thomas Gascoigne in Dictionario Theologico in bibliotheca Collegij Lyncoln interpretatur) Episcopo, patria: Cantabrigiensem fuisse scribis. Licèt quidam

Septimum antiquitatis Oxon argumẽtũ.

quoq;

quoq; Scotum, alij Italum vt Philippus Bergomensis, supplement. 10. & Bernardus Saccus Ticinensis libro historiæ 10. cap. 11. Bedam fuisse tradunt.

149 Romæ porrò docuisse Bedam Londinensis contẽdit: quod præstantissimi autores aut negãt, vt liber Ecclesiæ Dunelmensis, de vita & conversatione Bedę: Ranulfus disertissime, Baleus cent. 2. cap. 1. in appendice atq; Baronius: aut dubitãt vt Malmesburiensis & Io. Anglicus in 2ª parte historiæ Aureæ in ipsius Bedæ vita: & Io. Capgrauus, licet eum à Sergio papa Romam accersitum fuisse tradat: Extractus vero Chronicorum Cisterciensium in bibliotheca Collegij Magdalanensis, Romæ Bedam nunquàm licèt accersitum affuisse pronuntiat. Bedas non fuit Romæ.

150 Cantabrigiæ vero eundèm Bedam docuisse nisi ipse meliùs quam ex Ioannis Eliensis Episcopi constitutione vbi dicitur *de Beda Cantabrigiensi, vt fertur*: aut Sigeberto Gẽblacensi vbi nihil huiusmodi invenio, aut Herritono tuo qui raro aliquid verè affirmat aut ex mãsivnculâ Bedæ in Girwe non Cantabrigiæ (quę Bedæ temporibus si veterem Grantam intelligas desolata, mansiunculis sine dubio carebat) inventa docuisses, profectò non multùm pœnitebit, me à te ista non didicisse.

151 Siquidem ipse Bedas, in historia sua quam Ecclesiasticæ Anglorum historiæ adiecit, sic scribit. *Hæc de historia Britanniarum domino adiuvante digessi Bedas famulus Christi & præsbyter monasterij beatorum Apostolorum Petri & Pauli quod est ad Wiremundam, qui natus in territorio eiusdem monasterij cũ essem septem annorum, cura propinquorum datus sum educandus Reuerendissimo Abbati Benedicto, ac deindè Ceolfrido, cunctumq; ex eo tempus vitæ in eiusdem monasterij habitatione peragens, omnem meditandis scripturis operam dedi, atq; inter obseruantiam disciplinæ regularis & quotidianam cantandi in Ecclesia curam, semper aut discere, aut docere, aut scribere dulce habui: nono decimo autem vitæ meæ anno diaconatum, tricesimo, gradum presbyteratus, vtrumq; per ministerium reverendissimi Episcopi Ioannis, iubente* Valida fides qua probatur Bedam Cantabrigiæ non docuisse.

 Ceolfrido

Ceolfrido Albate suscepi: ex quo tempore accepti presbyteratus vsq; ad annum ætatis meæ quinquagesimum nonum, hæc in scripturam sacram meæ, meorumq; necessitati & opusculis venerabilium patrum breuiter adnotare, siue etiam ad formam sensus & interpretationis eorum superadijcere curaui. Hactenus de seipso Bedas.

152 Cui, liber Dunelmensis de natiuitate & conversatione Bedæ imprimis consentit, dum Bedam cellâ suâ nunquàm egressum fuisse, affirmat. Ideòq; iam de Herrisono tuo quid fiet, planè nescio, tam aperti mendacij reo. Nam si ab anno ætatis septimo vsq; ferè ad Sexagesimum, intra monasterij sui Wiremundensis habitationem (quod ipse Bedas narrat) vixerit, certè aut antè annum septimũ, aut post sexagesimum, Cantabrigiæ Theodori auditor (hoc enim quoq; vult Londiuensis) Bedas extitit: quorum vtrumq; est absurdissimum, nam sexagesimus ætatis Bedæ annus, est annus Dom. 732. at vero Theodorus Cantuariẽsis obijt anno 690 autore Matheo Cantuariensi in illius vita.

153 Non igitur post quinquagesimum aut sexagesimũ ætatis suæ annũ, Bedas Theodori auditor Cantabrigiæ esse potuit. Nec intermedio quoq; tempore, nisi eum morã notabilem è monasterio suo fecisse dicas, quod ipse negat; & si fecerit, Græcoladæ hoc fuit vbi Theodorus docuit, vti antè diximus, non Cantabrigiæ hodiernæ, quæ si Caergrant fuerit certè Bedæ ipsius temporibus desolata fuit quemadmodùm sæpissimè est dictum: si verò nova fuerit Grantebrig vrbs, quamobrem etiam multò antè Sigebertum & Bedam Vniversitatis vetustissimæ in vrbe recentissima in diplomatibus tuis nomen audio.

Bedas Theodorum Cantabrigiæ non audiuit.

154 Neq; Bedas ad Theodorum audiendum monasterio egressus Cantabrigiam venit, sed potiùs Theodorus ad docendum ad monasterium Bedæ accessit, præsertim cũ ipse Bedas scribat Theodorum congregata vbiq; discipulorum caterva Britanniam totam peragrasse; cui consentit de natiuitate & cõversatione Bedæ liber; vt ea ratione Theodorum

rum Oxoniæ quoquè docuisse convincam, vrbi eo tempore florentissimæ (vti ex historia Frideswidæ & libro Censuali firmissimè demonstravimus,) veteri Granta tunc quidem in cineribus; novâ & hodiernâ toto vnius M.P. ab illa disiunctâ, in incunabulis suis squalente. Ex quibus efficitur nec Romæ, nec Cantabrigiæ Bedam docuisse.

155 At hodiè Bedæ domicilium Cantabrigiæ ostēditur inquit Londinensis: & certè Archaiam poetam, autore Cicerone, Gracchus Romanum civem esse negavit, quia Romæ domicilium non habuit.

156 Sed dic mihi Londinensis? Estnè Cantabrigia tua hodierna, cum veteri Grantecestria eadem quod tu magnoperè contendis? Ac Grantecestria vetus, fuitnè ipsius Bedæ temporibus desolata quemadmodùm ipse prodidit? Quomodò igitur accidit vt solius Bedæ (veluti Pindari de cuius domo in medijs incendijs imperator edixit τὴν στέγαν τοῦ Πινδάρου μὴ καίετε) domicilium ex tanta desolatione superesset? Hoc si quis mihi expediverit, certè & Homerum Smyrnęum dicam, quià Smyrnęi in suo oppido delubrū ei dedicaverunt dicam etiam Bedam in agro Richmondiæ studuisse, vbi locus qui Bedall dicitur, hodiè ostenditur. Ridiculum de Bedæ domicilio commentū.

157 Misso igitur domicilio (vnà cum Anaxagoræ ædibus & sepulchro) ad Bedam ipsum redeo, non adeò vti mihi videtur longævum, vt centesimum quintum ætatis suæ annum attigisse dixerim, quod Baronius ferè asseruit (liber verò Dunelmensis circa ea tempora Riggulfum quendā monachum ducentos & decem annos vixisse tradit) nisi epistolam quandā Bedæ nomine de æquinoctio vernali iuxta Anatholium ad Wicthedam meritò quodammodò suspectā habuisset.

158 Certū enim est anno dominicæ incarnationis sexcentesimo septuagesimo septimo, Egfridi quoquè regis septimo, adventus autem Theodori in Britanniam, nono, Bedā fuisse natum quemadmodùm ex libro Dunelmensi constat; Calculatio tēporis Bedæ. Non dico librum *de nativitate et conversatione Bedæ*, sed, *de ex-*

ordio

ordio atq; procursu ecclesiæ Dunelmensis, qui sic incipit, *Gloriosi quondam regis Northanhymbrorum & pretiosi martyris Oswaldi ferventissimâ in Christo fide*, &c: cuius author est sine dubio Turgotus Dunelmensis monasterij Prior & Archidiaconus, qui illius Ecclesiæ Annales ab anno 635. inchoat, & ad annum D.1097. summa fide producit, anno autem ætatis septimo, monasterio fuisse traditũ: nonodecimo verò ætatis suæ anno, diaconatum suscepisse; & demùm tricesimo (vti ipse scribit) presbyteratum.

159 Quo tempore provt idem liber Dunelmensis tradit, *accepto presbiteratu*, *Bedas libros suos incæpit facere* (sunt verba ipsius libri Dunelmensis) *in quibus faciendis per viginti novem annos, id est, ad finem vitæ in lege domini meditans die ac nocte indesinenter laboravit*: hactenùs liber Dunelmensis. Qui tũ statim de obitu ipsius Bedę sic addit. *Anno autem dominicæ incarnationis Septingentesimo tricesimo quinto, imperij autẽ Ceolwolfi septimo, Episcopatus vero Æthelwoldi anno vndecimo, illa Ecclesiæ Catholicæ lucerna ad eam quæ se illuminaverat lucem: illa vena aquæ salientis in vitam æternam ad fontem vivum dominum pervenit; sacrorum scilicet librorum compositor venerabilis presbyter & monachus Beda defunctus anno ætatis suæ quinquagesimo nono: ex quo autem rex Oswaldus & Antistes Aidanus pontificalem cathedram & monachorum habitationem in Lindisfarnensi Insula instituerant anno centesimo primo: à constructione verò monasterij Petri Apostoli in Wiramuthe sexagesimo secundo: porrò à patris Cuthberti transitu quadragesimo nono anno: qui videlicet Beda in extremo quidem mundi angulo vivens latuit, sed post mortem per universas mundi partes omnibus in libris suis vivens innotuit, in quibus terrarum, regionumq; diversarum status, naturas, qualitates subtiliter ac si cuncta ipse peragrasset, plerunq; describit; cùm ab infantia in monasterio nutritus, totam ibidem vsque evocationis suæ diem, vitam transegerit.* Hæc Liber ille Ecclesiæ Dunelmensis.

Bedas non egressus est monasterium.

160 Amplissimum vt mihi videtur de Beda monasterium non egresso, adversùs Londinensem & sui similes testimo-

monium: Nec non certissima & fidelissima Bedę temporis ratio: qui si natus fuerit anno dom. 677. & 59. annis tantum exclusivè vixit, certè anno domini 735. obijsse necesse est. Epistola igitur illa ad Wicrhedam, in qua tanquam anni tum præsentis scilicet septingentesimi septuagesimi sexti fit mẽtio, (unde sequitur Bedam centesimum quintum ætatis suæ annũ attigisse) certè aut est corruptissima, aut alicuius alterius authoris, non ipsius Bedæ, licet inter ipsius opera recenseatur, sed falsissimè. Quasi Bedas inter opera sua, ab anno ætatis suæ tricesimo, vsq; annum ætatis quinquagesimum nonum, qui fuit, annus domini septingentesimus tricesimus quintus, scripta illã epistolam tãquam suam verè recitaret in qua an. dom. 776. tanquam tùm præsens commemoraretur. Atq; hæc de vera Bedæ temporis ratione mihi visa sunt, licet in præcedentibus ex communi autorum supputatione minimè accuratè locutus fuerim, satis tamen (quomodò mihi persuadeo) ad propositum, refellendæ illi sententiæ quæ Bedã Cantabrigiæ Theodori auditorem facit, accõmodatũ. Bedas non est author Epistolæ ad Wicrhedam.

161 Cæterum quià valdè finitima est ipsius Bedæ cùm Alcuino eius discipulo ratio, ideo prius de Alcuino disserendum est, quàm de vtroq; concludendum, non tamen adeò separatim, vt vnus alterum non inferat: Fabianus enim (ni fallor) vel illius continuator Cooperus in parte concordantiæ temporum sexta cap. 162. postquam Athelwolfum reiecisset, Offam Regem, scholas quasdam bonarum artium Oxoniæ vbi paulò post, cum Mercensibus suis adversus Centenses victor autore Rogero Houedeno anno 775. pugnauerat, posuisse scribit, nullam aliam huiusce dicti sui rationem afferens, nisi quià id temporis vir doctissimus Alcuinus floruit, seq; hâc in re veteres autores secutum fuisse testatur Fabianus: qui ob id Alcuinum Oxoniensem fuisse existimauit. Octauum antiquitatis Oxon argumẽtũ. De Alcuino. Rex Offa scholas Oxon restituit vel instituit.

162 Post Fabianum, est Ioannes Baleus cent. 6. cap. 1. vbi dicit: *ab adventu Anglorum in Britanniam, Spiritum Sanctũ ab excitandis viris doctissimis in Ecclesia dei nunquàm cessasse, in qua farragine censentur* (inquit) *in historiarum monumentis,*

Bedas, Alcuinus, Serlo, Ioannes Carnotensis, Gyraldus, Nigellus, Neckamus, Lyncolniensis, Seuallus, Baconthorpius, Ockamus, Hãpolus, & Armachanus cum quibusdam eius scholæ alijs, hæc ille.

163 Qui superius Ioannem Wicleuum Oxoniensem fuisse asseruit; & tum statim hos tanquàm eiusdẽ scholæ cuius fuerat Wicletus, recenset alumnos. Post Baleum est Nicholaus Fierbertus in suo descriptionis Academiæ Oxoniensis libello rarissimo: in cuius fine Brytannicum Polyandrion recenset, & in eo Bedam, Alcuinum, Alexandrum Halensem, Ockamum, præter multos alios, quorum omnium & singulorum antiquissimos atq; præcipuos, Oxonienses fuisse ciues ex alijs historijs asserit. Nec omittã quod in Oxoniensi historiola dicitur, populum Saxonicum, Oxoniam studij locum præelegisse (non Cantabrigiam) mi Londinẽsis: Bedas autem & Alcuinus è Saxonibus erãt & tamen Alcuinus in Cantabrigiensi schola educatus est? quemadmodũ tu asseris, & ex tuis forsitan, Lucas Osiander, lib, epit. Hist. cent. 8-cap. 2.

Alcuinus fuit Oxoniensis

164 Accedit vltimò Epistola Vniversitatis Oxon ad Ioannem vicesimum secundum, pontificem Romanum, vbi sic scribitur. *Intelleximus siquidem, quod nuper ad studium Parisiense misericordes oculos convertistis, & eiusdem studij Doctores tã philosophos quàm Theologos ad Ecclesiastica beneficia promovistis; & alios quidem immensis honoribus sublimastis, alios verò dedistis pastores & doctores in opera ministerij & in ædificationem Corporis Christi & modificationem Sanctorũ. Nos autèm pater Sanctissime, divina institutione formati, audemus dicere, quod nostrum studium Oxoniense, illo Parisiensi studio quamvis excellenter nobili, est quidem antiquius tempore, prius origine, & provt credimus non posterius dignitate. Constat nàmquè Albinum philosophum et Doctorem Catholicum natione Anglum, famosissimi principis Caroli Magni magistrum, et per eundem Carolum de Anglia accersitum, fuisse Parisijs studij fundatorem: quod non Anglicæ, immò Gallicæ atq; Romanæ historiæ contestantur.* Hæc apertè in suis litteris ad sedem Apostolicam vniversitas Oxoniensis Anno Dom. 1322.

Valida πίστις pro Alcuino Oxoniensi.

165 Idem

165 Idem quoquè tacitè rex Edwardus primus in suis ad Ioannem 21. litteris innuit, quas posteà fusiùs recensebo; Oxonienses enim suos in Academica cum Parisiensibus societate concurrere obnixè rogat, quia dubium non est (loquor ex ipsius litteris) *secundum veterum testimonia scripturarum Gallicanum ab Anglicanis nostris, originale traxisse principiũ, &c.* Vbi historiam de Alcuini facto tacitè insinuat, quẽ Oxoniensem quoq; fuisse significat; illiusq; causâ cæteros suos Oxonienses honoribus augeri cupit. Parisienses enim ad dignitates admittuntur; certant cum illis Oxonienses iure primogenituræ: Alcuinus antiquissimæ matris Academiæ Oxoniensis filius producitur: ex quo satis liquet maiores nostros originem suam primam (quod antè diximus) Aluredo tanquam authori primo nõ ascripsisse, cùm hic studiũ suum Oxoniense Parisiensi antiquius affirment. Oxonienses igitur paribus cum Parisiensibus honoribus cumulari debent.

Aluredus à maioribus nostris primus Oxoniẽsis studij author habitus nõ est

166 Licèt quomodò ista Parisiensibus successerint, vix intelligo, cùm Ioannes Gerson suo tempore in propositione sua coram papa Benedicto 13. tantam Parisiensium inopiã fuisse conqueratur, *vt vix pauci ex magistris et doctoribus etiam in Theologia, sine aliquo quæstu, valebant habere alimenta & quibus tegantur.* Alcuinum igitur sivè Albinũ mater Acad. Oxoniensis (*nam Cantabrigia eo tempore nuperrimè vniversitatis titulum consecuta fuerat*) filium suum esse clamat. Quarè vt prudens Solomon, veram pueri matrem ex affectu iudicavit; ita hic nos iudicemus: & ne filius eius dividatur, aut tanquàm Homerus à Smyrnæis, Colophonijs, Chijs & Salaminijs diripiatur iterùm, iterùmq; antiqua pietate mater supplicat.

167 Bedã quoque Oxoniensem fuisse probabiliter demonstravimus, non tamen certò (quemadmodùm Alcuinũ) ob gravissimas rationes quæ impediunt, quibus si meam authoritatem præponderare putarem, certè non possum non esse vel ipso Herrisono impudentior, qui ad nullum vnquam mendacium erubuit. Concludo igitur cum libro Dunelmẽsi de nat. & conversat. Bedæ, vbi hac de re sic lego; *Nec sunt*

Probabilius est Bedam Oxoniæ quãCãtabrigiæ studuisse.

hic(inquit)*admittendæ, sed vt frivolæ refutandæ quorundam opiniones, asserentium ipsum Bedam in Universitate Oxoniæ vel Cantabrigiæ, studio literarum vacasse, & gradum doctoratus suscepisse; cùm in diebus ipsius Bedæ in dictis locis, non fuerunt studia generalia fundata: nec in aliquo scripto authentico reperitur dictum Bedã, moram aliquam notabilem extra habitationem sui monasterij traxisse.* Hęc liber Dunelmensis, cui ego etiam acquiesco: nequè existimo Bedæ temporibus talia fuisse studia generalia vbivis, qualia author hic vt videtur non admodùm antiquus, suis vidit temporibus, attamen literarum studia (quæcunque fuerint in quibus maiores nostri studuerint) Oxoniæ certè viguisse & multò antè & paulò post Bedam, & ipsius quoque temporibus firmissimis rationibus superiùs evincitur.

Interdictum Gregorianum nõ est antiquitatis Oxon impedimentum.

168 Ac licèt Oxonia, eo tempore vti supra diximus, sub interdicto papali fuerat; non tamen ea est interdicti vis atq; potestas, vt nullum liberè respirandi locum relinquat. Fuit Oxonia per legatum pontificiũ Ottonem, vel Octobonum sub Henrico 3. sacris interdicta, non tamen omnis literarũ ratio intermissa, etiam antè Gulielmum Shirewoddum, qui in revocãdis post interdictum scholaribus insignem vti posteà dicemus operam impendit. Vniversa quoq; Anglia sub Ioanne Rege diu interdicta manebat, & tamen 3000. scholarium circa illud tempus Oxoniæ studentium apud Mat. Parisiensem invenimus. Nec secùs de antiquissimo illo interdicto iudicandum est: suprà enim diximus etiam illis ipsis temporibus Didacum Regem aut filiam, monasterium vbi cum vxore Safteda & filia Frideswida etiam sepultus est, Oxoniæ posuisse: at nec sacrorum locorum propagatio, nec sepultura in cœmiterijs multò minùs in Ecclesijs, in locis omninò interdictis & ab omni actu religioso suspensis, permitti solet; quod eo dico quo significarem, non solum scholas ipsas, sed & vrbes quoq; in quibus scholę Britonum constitutæ sunt, Gregorium in terdicto suo subijcere voluisse: interdictum igitur non obstat quo minùs res literaria apud Oxonienses id temporis floreret, (nequè enim interdictum põtificium, sed

Pa-

Paganorum tyrannidem, infrequẽtiæ causam fuisse, veteres, adversus Aluredianos scholares, causam fuisse dixerunt) licèt maxima pars sapientię Oxoniensis in Hyberniam quoqué (vti antè probavimus) transierit, per Aluredũ Regẽ optimũ ad suos reversura, quod mox Nono loco ostendẽdũ est.

169 Si coronidis instar adiecero non esse dubitandum de his, quos Asserius omisit; qui Britannos solummodò in antiquitatis Oxoniæ assertionem, nõ autem Saxones recenset, cuiusmodi sunt hi tres; de quibus in præcedentibus satis dictũ esset, si illi fabulæ de Bedæ domicilio Cantabrigiæ (quod est maneriũ custodis ac sociorũ collegij sivè Aulæ de Merton in Vniversitate Oxon vbi & Mertonenses curiam Baronicam, in prędicto manerio in parochia Sancti Petri in villa Cantabridge de terris illic ac veteri quoquè Granteceſtria sic enim in curialibus rotularijs Mertonenses ipsi distinguunt, quod confirmat id, quod supra diximus, hodiernã Cantabrigiam & Granteceſtriam, eandem nõ esse, adiacentibus, exercent) Londinensis libro historiæ Cant: primo, non addidisset, Bedã quoquè Cantabrigię obijsse. Quare Asserius Io. de Beverley Bedam & Alcuinum omisit.

170 Qua in re ex libro Turgoti Prioris, de Dunelmensis Ecclesiæ exordio: mendacij convincitur, qui de Bedæ transitu sic habet. *Cum ergo hos libros peruigili studio edidisset, obijt vii. Kalendas Iunii in Gyruue, ibiq; sepultus est, sed post multa annorum curricula ossa illius inde translata, & cum incorrupto sanctissimi patris Cuthberti corpore sunt collata, in cuius videlicet* Beda *honorem porticus ad Aquilonalem plagam Ecclesia sancti Pauli in Gyruue consecrata, venerandam fidelibus nominis eius ibidem præstat memoriam: ostenditur etiam hodiè locus vbi de lapide mansiunculam habens, ab omni inquietudine liber sedere, meditari, legere, dictare consueuerat & scribere*: hæc liber Dunelmensis.

171 Qui nõ Cantabrigiæ (vt absurdè Londinẽsis) sed in monasterio suo obijsse Bedam scibit, idq; vii. Kalendas Iunij, non autem vii Idus Maias (aut secundo Calend: Iunij anno dom. 729. vt habet Marianus Scotus lib. Chron. 2°.) v-

ti vitiosum exemplar habet quo Baronius vsus est: etenim cũ ascensionis dominicæ festum (eo enim die Bedas obijt) bis tantùm in toto illo cẽtenario, in 7 Idus Maias cadat, anno scilicet 720. & anno 799. primo tempore Bedas in viuis fuit atq; etiam diu posteà; obijt tamen multò antè secundũ, anno scilicet 735. vti superius diximus; si vii. Kalendas Iunij obiisse dicatur Bedas, hoc quidem cum ratione anni 735. optimè convenit, ac manifestè Baronij exemplar convincit, vbi etiam Saxonica Bedæ morientis sententia omittitur, quæ in nostro exemplari habetur: sed & Bedam nonagenarium obijsse, quod postremò affirmat Londinensis, & rebus ipsis & scriptorum autoritati maximè repugnat: ideoque iam ad Nonum ab Aluredo petitum argumentum deveniam.

Baronius in Bedæ obitu verum exemplar secutus non est.

Nonum antiquitatis Oxon Argumentum.

172 *Iste Rex Aluredus* (inquit Rossus in libro de Regibus) *literatos intimè dilexit quibus virtuosam vitam nouit non deesse, vnde Plegmundum Cantuariensem & Werefrithum Wygornensem anteà præsulẽ Herefordensem & Werenulfum Legecestrẽsem viros literatos ad se vocauit de regno Merciorum: hi ipsũ vt optabat, erudiebant, sanctum etiam Grymbaldum Flandrensem monachum de monasterio sancti Benedictini cum socijs Ioanne & Asserio, & Ioannem Wallensem à monasterio Sancti Davidis sibi accersiuit: quorum doctrina edoctus librorum omnium notitiam habebat, illo tempore non erant Grammatici in toto regno Occidentalium Saxonum. Hic inter laudabilia magnificentiæ suæ opera anno Domini 874. Sancto Neoto instigante scholas publicas variarum artium apud Oxoniam instituit, quam vrbem ad scholarium præcipuum fauorem in multis priuilegiauit articulis, neminem illiteratũ ad quãcũq; dignitatẽ ascẽdere permittẽs &c.* quę partim in hoc lib. partim in 1°. superiùs recitauimus: deinde addit Rossus *In prima dictæ vniuersitatis fũdatione, ipse nobilis Rex Aluredus infra vrbis Oxõ mœnia Doctores in Grãmatica, Artibus & Theologia tribus locis in nomine S. Trinitatis ex suis sũptibus instituit: in quarũ vna in alto vico versus portam Orientalem sita, Viginti sex Grammaticorũ omnibus necessarijs, ipsam Aulam dotavit; & eam propter scientiæ inferioritatem, parvam Aulam Vniversitatis ap-*

Restitutio Oxoniensis studij per Aluredũ.

pel-

pellari decrevit, & sic in diebus meis appellata est. Aliam Aulam versus muros vrbis Boreales, vbi iam dicitur vicus scholarum, in sumptibus necessarijs pro Dialecticis seu Philosophis viginti sex abundanter construxit. Et hanc aulam minorem Vniversitatis appellari precepit. Tertiam in alto vico versus portam Orientalē fundatam primæ Aulæ Occidentaliter contiguam Aulam magnā pro Viginti sex Theologis appellans, sacræ scripturæ studium daturis ordinavit; quibus et expensas sufficientes abundāter exhibuit: Multæ aliæ præter has in brevi Aulæ singularum facultatum à Burgēsibus vrbis & comprovincialium circum iacentium, deindè à remotioribus provincijs sunt exortæ licet non de Regijs expensis, sed Regis gratioso exemplo creverunt: Rex etiam optimates suos ad discēdum literaturam adeò provocavit, vt ipsi filios suos, et si nō filios haberent, saltem servos suos si ingenio pollerent concessā libertate, literis commendarent: senes tunc per totum regnum lamentabantur se eruditione nudos; & beatos prædicabant quos ad sortem discendi ætas illa promoverat; vnde non diu quin videres ex omni parte Regni illuc gratia discendi festinanter accedere; tàm nobilium quàm etiam pauperum innumera multitudo confluxit. Rex etiam Alfredus proprium filium omnibus iuniorem Athelwerdū literariæ disciplinæ illuc transmisit erudiendum, vbi crevit in magnæ probitatis philosophum: Et ad suorum rex magnificus sustentationem, secundum Marianum in Chronicā sua, assignavit octavam partem proventuum suorum annuatim: & vt scribit Thomas Rodban in maiore Chronicā sua Sanctus Grymbaldus Flandrensis & Prior: Cantor optimus, study Parisiensis in Theologia Doctor, vir liberalibus scientijs ad plenum eruditus, persæpè ad dictum Regem Anglorū Alfredum vocatus, egrediensq; de terrā suā & cognatione, studium Oxon adijt, & ibi lecturàm suam reincœpit; crevitq; per filios scholasticos in gentem magnam, cuius matris gremio cū prælatis et magnatibus regni, vt tunc primus Cancellarius & Doctor ordinarius, primitùs lectionem scholasticam legit, exposuit, & declaravit: Et hic considerandum est, quòd studium Parisiense per Anglicos vt supra scribitur traxit ortū; & iterū abundè redijt et refluxit omnibus scientia divina & humana per Sanctū Grymbaldūm antedictum.

Burgensium Aulæ.

Athelwerdus Alfredi filius Oxoniæ studuit.

Deindè

Deindè in sua senili ætate studio relicto adijt Wyntoniam; vbi novo constructo monasterio primus fuit illius loci Abbas, & obiit Octavo Idus Iulii anno domini 903, anno ætatis suæ 88. Hæc ex monasterij Hidensis (est autem Hyda corium bubulum ex cuius in tenues laminas sectione antiqui terras suas dimetiebãtur) Archiuis, vbi verisimile est Alurediana monumenta diligenter fuisse conservata, Io. Rossus.

173 Cui si Oxonienses de restitutione Oxoniæ non institutione prima, titulum præfixerint (quod sceleris instar Londinensis Oxoniensibus meis obijcit) nihil certè à veritate alienum fecerunt; cum ipse Rossus literas Oxoniæ multò antè Aluredum, quod & superiùs ex Asserio quoq; comprobauimus, floruisse scribat.

174 Huic porrò per Aluredum restitutioni, Annales noui monasterii Wintoniæ consentiunt. *Anno Dominicæ incarnationis 886, anno secundo adventus sancti Grymbaldi in Angliam, incepta est Vniuersitas Oxoniæ, primitùs in eadem Regẽtibus, ac in schola Theologia legentibus, Sancto Neoto Abbate nec non in Theologia doctore egregio, & S Grymbaldo sacræ paginæ suauissimæ dulcedinis excellentissimo professore; in Grammatica verò & Rhetorica regente Asserio monacho & in arte literatoria viro eruditissimo: In dialectica vero & Musica & Arithmetica legẽte Ioanne monacho Meneuensis ecclesiæ, in Geometria & Astronomia docente Ioanne Monacho & Collega Sancti Grymbaldi viro acutissimi ingenij & vndecunq; doctissimo, præsente gloriosissimo & invictissimo Rege Alfredo cujus in omni ore, quasi mel indulcabitur memoria.* hæc Hydenses commentarii: licèt in ratione temporis à Rosso dissentiant, atq; etiam vtriq; ab Asserio, qui contentionem illam inter veteres scholasticos & Aluredianos anno domini 886. accidisse scribit, illudq; statim subiungit *per tres annos haud magnam fuisse inter illos dissentionem* vndè apertè liquet, Aluredum hanc Oxoniæ restitutionem anno domini 883. aut 882. incepisse.

175 Sanctum quoq; Neotum vsq; ad annum 884. in vi-

vivis extitisse, ex Asserio sub anno dom. 884. manifestissimè colligitur; vt nō solùm in scholis Oxoniensibus legere, quod Hydenses commentarij affirmarunt, sed etiam Aluredo hāc restitutionem suadere, (quod Lōdinensis strenuè negat) & Annales Aluredi vsquè ad annum regni decimum quartum (licet Baleus illius operis Neoti non meminit, Dando verò Carmelita S. Neotum non Annales sed vitam Aluredi scripsisse dicit autore Hookero) persequi, & pro gymnasij scilicet Oxoniensis confirmatione ad Martinū pontificem Romanum, sicut & exhortationem ea fortassè de re ad Aluredū (sive fratrem, sivè consanguineum) teste Baleo, scripsisse petuerit.

Eiusdem restitutionis confirmatio.

176 Consentit etiàm Ranulfus Higdenus libro sexto: *Aluredus* (inquit) *scholas variarū artium apud Oxoniam primus instituit, quā vrbem etiam in multis privilegiavit.* Et Nicholaus Harpelfeildus, *omnium igitur bonarum disciplinarum quasi officinam quandam apud vadum Isidis (1) Oxoniense oppidum constituit.* Et antiquus Anonymus in Oxoniensi bibliotheca, cui titulus est *de Britannia olim dicta Britannia Maior*, qui Aluredum *scholas publicas apud Oxoniam instituisse, ac multis privilegijs communivisse* scribit: ac de Grymbaldo Anonymi cuiusdam in Ranulfum Higdenum nota, *Iste Grymbaldus vt primò Cācellarius & doctor ordinarius præsente Rege Victoriosissimo Aluredo cæterisq; regni Magnatibus in Vniversitate Oxon legit primò lectionem scholasticam, qui paulò antè fuit Parisiensis Cācellarius:* monachus tamen, vti ego ex Rosso addam.

Londinensis calumnia.

177 Nam quòd Londinensis monachos indoctos fuisse asserat, idquè ob monachos Bangorenses, quorum exemplo quicquid rusticè ac parùm concinnè factum est, Anglicè Būgarly fieri, dici solet; certè & suis meliùs cōsuluisset, qui à monachis Croylandensibus sunt oriundi, & his ipsis etiam Oxoniæ authoribus qui doctissimi sunt habiti, (licet Bangorenses exceptis ijs quos Asserius supra commemoravit inter veteres Oxonienses, indocti) atque etiam rei ipsę, quam non adeò temerè asseruisset, si illud in mentem venisset, tres maio-

rum nostrorũ memoria fuisse in Ecclesia Anglicana precandi ritus, Sarisburiensem, Eboracensem, ac Bannochorensem.

Bangorensis ritus.

178 Quorũ vltimus cùm à paucioribus reciperetur, prominùs probato habebatur: itaq; qui Bannochorensem orandi consuetudinem sequebantur, cùm à legitimo precandi ritu discederent, illi Bangorizare dicebantur. Etenim licèt de iure communi, singulæ Ecclesiæ ad formam suæ Metropolitanæ teneantur, Sarisburiensis tamen forma (quoniã in choro Episcoporum Sarensis Episcopus de iure antiquo Pręcẽtor esse solet, sicut Londinensis Missidicus, & Roffensis Crucifer,) adeò placuit, vt & vsu communissima & diuturnitate antiquissima fieret.

179 Postremò consentit Gulielmus Malmesburiensis, qui sic ait: *Rex Aluredus Dei servus Neotum sapiùs adijt, suisq; nonnunquàm vtebatur consilijs: consilio namq; Neoti Abbatis scholas publicas variarum artium apud Oxoniam primus instituit Aluredus, Romamquè legatos misit, obsecrans dominum Martinum secundum, vt Anglorum scholis eandem libertatem, quã Roma habent dignitatem, concederent, & quod à Sãctissimo patre petiit, absq; vlla cunctatione impetravit: & in multis articulis privilegiari procuravit*: hæc Gulielmus Malmesburiensis in suo de Glastoniensis cœnobij antiquitate libello, ad Henricum Blesensem Winton: Episcopum, Theobaldi Comitis Blesensis fratrem, Henrici primi & fratris Regis Stephani nepotem; initium verò libelli est, *Post dominica resurrectionis gloriam, &c.*

Londinensis artificium in Malmesburiẽsi eleuando.

180 Quod libentiùs annotãdum putavi, ob insigne artificium Londinensis, qui libro Antiquit. Cantabr: secundo, admodum in respondendo fluctuans, ac nullam aliam evadendi rationem sibi relictam cernens, nè nihil ficti, nihil ludicri occurrere videretur, quod veritati tam apertæ opponeret, hanc de Aluredi facto sententiam non Gulielmo Malmesburiensi, quem ipse summa fide de rebus Glastoniensis cœnobij scripsisse fatetur, (illud veritus nè accedente tanti

au-

autoris nomine ac testimonio, res nimis aperta foret) sed incerto Historico Glastoniensi nescio cui, qui Neoti Abbatis sui nimiùm gloria affectus, omnia corrupit ex Simeone Dunelmensi, Ranulfo, atq; Capgrauo sententiam colligens, malitiosissimè profectò, ac vti mihi videtur imprudentissimè, ascribit; dumq; veritati derogaret, in Malmesburiensem iniuriosissimus existeret (atq; etiam in Oxonienses) quasi ille tã recentis memoriç scriptor esset, vt ex Ranulfo, Simeone Dunelmensi atq; Capgravo suam illam sententiã mutuatus fuisset, ac non illi potiùs ab ipso, quibus addo Rogerum de Cestria, multosq; alios eiusdem sententiæ autores.

181 Nequè verò Londinensis adeò sui dissimilis reperiri voluit, vt eodem artificio quo Malmesburiensem, omnẽ quoquè posteritatem non falleret atq; egregiè deluderet, dũ quæcunquè de Oxoniensibus, & Aluredianis scholis, ab autoribus optimis, memoriæ prodita sunt, non ipsis Oxoniensibus profectò scholis, sed Anglo-saxonũ apud Romam scholæ, de cuius origine libro primo à nobis dictum est, absurdissimè accommodat, atquè ita Oxonienses ipsos lęsæ antiquitatis reos arguit, illud sibi vendicantes, quod non apud ipsos, sed Romanos Aluredus gesserit. Ista verò Oxoniæ Aluredũ gessisse minimè potuisse Londinensis arbitratur, quià Merciorum fuit Oxonia, Aluredus verò occidentalium Saxonum rex; faceret igitur in regno non suo Aluredus, quod Londinensis nimis alienum existimat, qui tamen Romæ hæc egisse Aluredum putat.

Alia insignis calumnia Londinensis.

182 Burghredum quidem olim Merciorum sceptra tenuisse apud omnes in cõfesso est: verùm circa annum domini 870. *Dani* (loquor ex Ranulfo libro 6. cap. 1.) *expulso Burdredo Rege Merciorum, regnum illud tradiderunt cuidam Ceolwulfo Burdredi ministro ex pacto, vt cum vellent, illud reaciperẽt; triennio autem elapso partem regni illius inter se diuiserunt, partẽ Ceolwulfo reliquerũt, qui & vltimus Regum Merciorum fuit, post cuius mortẽ rex Aluredus primo London & posteà partẽ Ceolwulfi suo anexuit regno:* hæc Ranulfus, ex Asserio vti videtur, cui

Merciorum Regnum.

consentit Polydorus: vt hinc Oxoniam Merciorum in Aluredi ditione fuisse intelligas.

183 Quod verò ad Roman: scholas attinet, quis ignororat S: Neotum apud Io: Capgravum, Aluredum pro libertate Anglorum Romæ studentium impetranda fuisse hortatum? Canutum quoq; Regem ex Mattheo Cāt: idem fecisse non ignoro; quod ex Thoma Triuetho quoq; in Gallico suo Chronico, multisq; alijs si opus esset, confirmarem: atq; etiā ex Ranulfo (Malmesburiensem enim superius hac de re loquentem audiuimus) qui libro 6. cap. 2. sic ait, *Martinus papa post Ioannem sedit anno vno, qui scholam Saxonum prece Regis Aluredi ab omni tributo relaxauit*: cui consentit etiam Rogerus Hovendenus: & tamen idem Ranulfus Aluredum Oxonienses scholas aut vrbem si vis (licèt in aliquibus exemplaribus non quam vrbem, sed quamobrem legatur) scholarum gratia in multis privilegiasse scripsit. Vt si Aluredus vtrūq; fecerit, & tam Oxonienses quàm Romanos scholas (vt veteri verbo vtar) privilegiauerit, non video quo minùs Aluredus noster de vniversa Anglorum gente optimè mereri potuerit.

Aluredianarū Aularum numerus

184 Nam quòd possessionibus, ac annuis reditibus etiam suas Oxoniæ scholas dotauerit in sequentibus ostendā; postquam pauca de Aluredianarum scholarum siue Aularū quas Oxoniæ cōstruxerat numero, dixerim. Fabianus enim, Aluredum scholas tantùm grammaticales Oxoniæ posuisse scribit; cui consentit etiam Lanquetus; qui tamen seipsum euertit, dùm eas Aluredum privilegijs Enfranchizasse (sic enim loquitur) scribit; quasi Aluredus solis grammaticalibus, tanta priuilegia procuraret. Ac Paulinam quidem Aulam multò ante Aluredum Oxoniæ extitisse superiùs vidimus: Aluredianis quoq; Aulis, Burgenses Oxoniæ alias de suis sūptibus Aulas condidisse, Rossus asserit, è quibus ni fallor vna fuerit, quæ à fundatorum nomine, vrbana (vti in vetustis scriptis legimùs) dici consueverat.

Aula S. Neoti.

185 Aulam quoq; S. Neoti nomine insignitam, haud pro-

procul à fano Divi Petri in Oriẽte, quod Grymbaldus extruxerat (vbi solennes ex antiquissima institutione & fortassè à Grymbaldo ipso, ab Aluredianis alũnis, pręter quadragesimales, quæ antiquitùs solẽni quoque more sicut & hodiè in registris Vniversitatis reponebantur, conciones habentur) in loco vbi iam est Collegij Wickamici hortus, apud veteres redituum Indices reperio: quæ occasionẽ Ioanni Foxo præbuit, vt Collegium Oxoniæ Wickamicum vulgò Novum, similitudine vocis νέον deceptus, à Neoto primitùs incepisse existimaret. Fieri quidem potuit, vt à Sancti Neoti monachis Oxoniæ studentibus, à quibus etiam Collegij Regij Cãtabrigiæ alumni rebus suis afflictis autore Stoveo sustentati sunt, Aula Neoti diceretur; qui siue vivus, sive mortuus & per spectrum (quod Londinensis ex Polydoro vbi nihil huiusmodi est, probat) Aluredo hanc institutionem suaserit, ni nihil refert, dum modò persuasisse constat.

186 Ac licèt Rossus, tres Aluredum tantùm Aulas Oxoniæ posuisse scribat: Antiquarius tamen Oxoniensis, vnius tantùm trium professionum triplicem Collegij distinctionem fuisse asserit, idq; ex antiquis ipsius Collegij Vniversitatis monumentis liquet. Nam, cùm temporibus Henrici sexti inter Gulielmum Abbatem de Osney, & Richardum Witton illius Collegij Magistrum, esset controversia; & eo non comparente vt in antiquo scripto legitur, *prædictus Richardus in propria sua persona protestando dicit, quòd vbi prædictus Abbas breue suum prædictum tulit, ipsum Richardum per idem breue per nomen Custodis Magnæ Aulæ Vniversitatis Oxon nominando, dicit quòd ipse est Magister eiusdem Aulæ & per nomen Magistri Aulæ prædictæ cognitus, ac non per nomẽ Custodis Magnæ Aulæ prædictæ: & quod ipse & omnes prædicti sui Magistri eiusdem Aulæ per nomen Magistrorum eiusdem Aulæ cogniti, ac per nomen Magistrorum Magnæ Aulæ prædictæ implacitati extiterint: quia dicit quòd magna Aula prædicta, est quoddam antiquũ Collegium ex fundatione & patronatu prædicti Domini Regis nunc & progenitorum suorum quondam Regum Angliæ, videlicet ex fũda-*

datione quondam Domini Alfredi, quondam Regis progenitoris domini Regis nunc prædicti antè tempus à toto tempore, cuius contrarij memoria hominum non existit; & ad Magistrum & septuaginta scholares, videlicet ad viginti sex scholares Philosophos: & viginti sex scholares Theologos ibidem erudiendos & edocendos & ad fidem domini nostri Iesu Christi Sancta quoq; Ecclesia, ac Iura, leges & consuetudines regni supportandum, manutenendum & sustentandum, ac per nomen Magistri & scholarium magna Aula prædicta habiles facti & incorporati ad quacunq; terras seu tenementa sibi perquisita & in posterum perquirenda &c..

187 Habes iam ex Collegij monumentis fidem; cuius fortassè ea ratio est, quòd tres aulæ Aluredianæ unius tantùm Præfecti imperijs parebant: secùs enim, nullam huiusce assertionis rationem comperio, cùm non solùm apud Rossum (quod ille ex alijs habet) Baleum, qui Aluredum professores suos in tria pulcherrima Collegia distribuisse scribit, aliosq; complures excepto Antiquario Oxoniensi, cum monumentis Collegij ac Graftono, qui eiusdem est cum Antiquario Oxoniensi sententiæ; sed etiam in antiquissimis Oxoniēsis Academiæ Regestris ac statutis, vbi magnæ Aulæ Vniversitatis alibi minoris, alibi vero illius quæ parua Vniversitatis Aula dicebatur, grammaticorum scilicet iuxta Rossum Collegium, in qua schola vtriusq; linguæ libri latinæ scilicet ac Saxonicæ (loquor iam ex Asserio qui hisce verbis tacitam facit scholæ grammaticalis apud vadum Isidis fundatæ teste Lelando mentionem) assiduè legebantur, ac vbi Ethelwerdus iunior Aluredi filius teste Rosso cum cæteris regni nobilibus infantibus studebat autore Asserio, luce clarius est, Aluredum tria Collegia distincta apud Oxoniam fundasse & Aularum Vniversitatis titulo nuncupasse, vt iam Vniversitatis nomen ad Acad. denotandum frequentiùs vsurpatum fuisse crediderim: & quanquam Asserius vnius tantùm scholæ mentionem fecerit in qua grammaticæ præcepta tradebantur, tamē ex professorū varietate quos vndiq; sibi Aluredus comparaverat, certissimū est, plures ab eo scholas fuisse institutas.

Aluredū tres Aulas numero distinctas condidisse.

Scatura Collegij Vniuersitatis

188 Por-

188 Porrò illius quod iam Vniversitatis Collegij nomine floret huiusmodi inter alia statutum est *quod omnes socij de illa domo audiant Theologiam continuè, ita quod aliam facultatem audiendo non admisceant nisi in magna vacatione, et tunc liceat ijs audire Decretales si voluerint vel Decretalia*: hæc sunt ipsius verba statuti antiquissimi: non dico ab Aluredo lati, cuius temporibus Decretales aut Decretalia non extiterunt; sed ab Vniverso Magistrorum Vniversitatis Oxon cœtu reverendissimo, circà Gulielmi Dunelmensis optimi restitutoris illius Magnæ Aulæ (vti posteà dicemus) tempora, aut paulò infrà, quandò (vti videtur) reformationis aliqua ratio ineunda erat: atq; hoc certè vnicū est antiquitatis illius Collegij quod Aluredus rex inclytus Theologicæ rei studentibus posuisse dicitur, vestigium.

189 Etenim si de dotatione horum Collegiorum sivè ex annuis provētibus, sivè etiam quod malunt alij ex Regio Scaccario dubitandum censeas, Asserium Menevensem imprimís proferam, qui secundam annui census partem, quadrifariàm Aluredum divisisse scribit: prima pars pauperibus vniuscuiusque gentis qui ad eum veniebant, erogata est: secūda monasterijs ab ipso constructis: tertiam scholæ quam ex multis suæ propriæ gentis nobilibus & ignobilibus studiosissimè congregaverat, dedit: monasterijs verò finitimis quartam: hæc Asserius Menevensis: quē nihil omninò causæ nostræ prodesse Londinensis existimat, eo quòd Oxonienses scholas expressè non nominat: quarum tamen superiùs (vti Lelandus asseruit) tacitam fecisset mentionem: quæ si minùs sufficiat, si Londinensi non placeat, nec monasterio Wyntoniensi, nec Schaftoniensi, &c: immò nec Anglo-saxonum apud Romam scholæ, cui Londinēsis hæc omnia accommodari cupit, Aluredus de bonis aliquid distribuerit, quòd illorum expressè non meminerit Asserius.

Dotatio Aularum Aluredianarum.

190 At Marianus Scotus cuius (loquor ex Manuscripto antiquissimo, impressum enim quis editum diceret? qui multo plura occultat quàm edit) eadem sunt cū Asserianis verba

ba interprete vti vides Rosso, Oxonienses scholas subintelligit: licet in ipsa distributionis ratione ab Asserio nonnihil dissentiat; nequè verò illud refert, si modò aliquam partem saltem Oxoniensibus scholaribus Aluredum distribuisse cõstiterit: quod etiàm ex duobus incertis authoribus in Oxoniensi bibliotheca confirmo: primus sic dicit, *Iste rex devotus* (Aluredus) *monasteriorum fundator, census suos sextifarie divisit: scilicet primam partem pauperibus: secundam fundationibus Ecclesiarum, tertiam scholaribus apud Oxoniam: quartam luminaribus Ecclesia: quintam bellatoribus, sextam operarijs & artificibus*: secundus sic: *munera militibus suis, servis, scholasticis Oxoniensibus, sacris aedibus reparandis restituendisq; distribuit Aluredus.*

Aluredum fortunas suas scholaribus Oxon distribuisse.

191 Idẽ Nicholaus Montacutius sive Tho. Graius de Regibus & Põtificibus Angliæ: idẽ Io. Rocheforth in floribus historiarũ author satis rarus, in biblioth: Col. omniũ animarũ fidelium defunctorum Oxoniæ. & Io. Anglicus historiæ aureæ lib. 18. c. 28, idem Hydenses cõmẽtarij aqud quos sic habes: *secundam partem principalem proventuum suorum in quatuor partes divisit rex Alfredus: quarum primam pauperibus: secundam monasterijs fundandis: tertiam scholaribus Oxonia congregatis, quartam ecclesiis reparandis assignabat.* Referente quoquè Baleo (quod ferè omiseram) Asseriũ Menevensem hortatum fuisse Regem Aluredum, vt scholas suas, quas? Non Romanas, sed Oxonienses, *proventibus ac stipendijs foveret*: vt hinc liquere potuerit, quã scholam Asserius in superioribus intellexerat.

192 Idem Bailiolensis bibliothecæ Polichronicõ, cuius principium est *Ab historico namq; contextu &c*: vbi de Aluredo sic lego, *Universitatẽ Oxonia primus fundavit, vndè & scholaribus indigentibus multa assignavit*: nam Ranulfus in suo Polychronico lib. 6. scribit. *Secundam partem principalem proventuum suorum adhuc in quatuor partes divisit: quarum primã pauperibus: secundam monasterijs fundandis: tertiã scholaribus Oxon congregatis & congregandis, quartam Ecclesiis reparandis assignabat.* Hæc Ranulfus.

193 In quem tanquàm primum huiuscè sententiæ autorem, (quasi aliquot illorum quos suprà commemoravimus autores, Ranulfo superiores non essent, aut etiàm Gulielmus Malmesburiensis, quē Ranulfus sententiæ suæ præfixit) Lōdinensis maximè invehitur. Nos tamen his Florilegum, incertum in Oxoniensi biblioth: Historicum, cuius initium est *Anglo-saxones Mariani Principis ductu, &c.* Polydorum libro 5. qui hoc ipsum etiam ex testamento ipsius Alfredi probat: Ingulphum Croylandensem, historicū Normannorū primis temporibus florentem: Vincentium tomo. 4. c. 24. ex quodam Helinando, Volateranum libro Geograph. 3. Carionē, ac Georgium Lilium in Chronico Regum Angliæ, addamus.

Vindicatur Ranulfus à calumnia Londinensis.

194 Quæri hic potest, an etiam veteribus illis scholasticis quos Oxoniæ reperit Aluredus, autore Asserio, aliquid emolumenti, ex fortunarum Regiarum distributione accesserit. Hi enim Aluredum scholæ quam ex suis congregaverat, immò qui suos vix ferrent, quemadmodùm ex Asserio vidimus, & Britannos antiquitatis suæ testes adversùs Aluredianos produxerint, cum tamen ipsi Saxones essent, & Ioannē de Beverlaco, ac Alcuinum item Saxones maioresq; suos omiserint. Credibile autem est vtrosquè Aluredum in vnum quasi Vniversitatis corpus, communis vitę consuetudine cōiunxisse, atque ita pariter (quanquàm antiquioribus potiùs, præmia deferenda essent) Aluredianorum beneficiorū fuisse participes.

Quæstio.

Solutio

195 Hæc inclytus rex quasi de cœlo lapsus, immò quasi divino munere ad Musarum exulantium provt suprá accepimus adyta restituenda, (vt loquitur Camdenus) Oxoniensibus concessus Aluredus.

196 Etenim vt Rossum quoquè diù iam silentem audiamus, *Iste rex Aluredus longè antè* (1) *A. ch. 855. fuit Romæ, vbi per Papam Sanctum Leonem illius nominis quartum (cuius festum celebratur xvii Calend. Augusti) vnctus est in Regem annuente & præsente patre suo Rege Adulfo: & per omne scrutandum*

 non

non legitur regem Angliæ vnctum antè eum, sed ipse erat omnium Regum Angliæ vnctorum primus, & ratione vnctionis suæ maior cum eo semper gratia erat annexa: vnde non solùm vicit finaliter suos hostes, sed & condidit Deo placitas & Regno proficuas vtilissimasq; leges. hæc Rossus.

197 Cui quoàd vnctionem à Leone pontifice, consentit Alredus Abbas Rhievallensis in vita S. Eduardi Regis Angl: & in suo Chrõico Rich: Cluniacensis, & incertus author Marginalis in Ranulfum Higdenum, in hæc verba, *Atulfus Alfredi progenitor, cum nutritio suo olim extiterat Swythuno; & dum in sede pontificali hospitaretur in sopore audivit, Atulphe rex dilecte Dei quid moraris? Mitte filium post-genitum ad Rom. pontificem vt ab ipso inungatur in Regem Anglorum, & sic ab ipso procedat vnctio Regalis ad cæteros reges ipsius regni in perpetuum duratura. Omnipotens dominus filium tuum elegit in principem supèr Anglos, quià regnum Angliæ est regnum Dei in illo: et dic Swythuno quod ipse vadat cum filio tuo ad Rom. pontificem, quòd ipse homo iustus est in conspectu Domini. & hic angelus loquens disparuit: Rex vt iusserat fecit; & veniens Swythunus cum alijs Regalibus nuntiis Romam Leonem adivit & gratuito animo recipiuntur, qui Swythunus in hanc vocem prorupit, Universalis Ecclesiæ sanctissime pater quem altissimus ad profectuosum cumulum in virtutum germen vt florescat in suæ sponsæ horto incolumem contineat: Dominus meus Anglorum Rex, divino admonitus oraculo, filium sũ postgenitum, tibi celsissimo vngendum in primum Anglorum Monarcham repræsentat: at summus pontifex assensum gratanter adhibuit; hæc in vita Sancti Alfredi quam scripsit Sanctus Neotus*, inquit Marginalis ille author.

Visio Adulfi, si vera.

Aluredus puer Romam diuinitùs missus

198 Quin & Baleus cent. 2. cap. 26. cũ ex Capgravo ad sensum huius de Aluredi vnctione historiæ retulisset, statim infert, *illi igitur primo ab eius Ecclesiæ patribus est permissum, vt literarum fundaret Academiam tanquam ei cui ex ipsa vnctione fiderent.* hæc Baleus: qui cum Aluredum primum fuisse Academiæ fundatorem scribit, Sigebertum manifestissimè excludit. Interdictum ei quoq; relaxatum fuisse, in quo cum

Ros-

Rosso convenit, satis apertè significat: privilegiorum quoq; rationem non obscurè innuit, dum à Romanæ Ecclesiæ patribus, Aluredo permissum hoc fuisse scribit; quæ omnia in præcedentibus vberiùs dicta sunt.

199 Vt iam tandem iterum ad Hydenses commentarios redeam, qui inter Oxonienses sub Aluredo professores, duorum meminerunt qui Ioannis nomine dicebātur. Vnius quidem monachi Menevensis, alteriùs verò Collegę Sancti Grymbaldi, quemadmodum Ioannes Rossus, atq; etiā Asserius Menevensis. Vter autem horū Io. Erigena fuerit, haud magna est controuersia; Londinensi tamen nonnulla, qui Ioannem hunc Erigenam, Ealdsaxonum genere & Ethelingensis monasterij primum Cœnobiarcham, ex Asserio, Malmesburiensi atq; Ingulfo fuisse contendit: Hector tamē Boethius libro Scotorum historiæ x. Alex. Essebiensis in historiarum epitome, Thomas Abbas Vitiliacensis in prologo ad commentationes in Dionysij Hierarchiam, Scotū fuisse cōtendunt, quod etiā ex litteris Nicholai pontificis apud Malmesburiensem & Houēdenum, vbi Ioannes natione Scotus dicitur, satis apertè colligitur.

Io. Scotus Erigena cuias, & vnde fuit.

200 Licet his omnibus Londinensis ipse respondeat, Ioannem nostrum Erigenā non à natione Scotica, sicut Hector Boethius & alij existimarunt, sed ab Hybernia vbi versatus est, cum Hiberni olim dicti sint Scoti (ideoq; Aluredum vbicunq; apud Orosium occurrebat *Hybernus* quæ dictio apud Paulum Orosium nusquam occurrit, vertisse ait Scot, quasi antiquissimi Saxones pro Vectigali vsi sunt) Scotū dictum fuisse asserens.

Error Londinensis.

201 At quorsùm Scotus diceretur inquit, Londinensis, si Scotus non esset? respondeo fuisse familiæ nomen, etiam hodiè apud Boreales florentis: Erigena quidem agnomen fuit quasi ἠριγινόμενος mane genitus epitheti loco, quòd litterarum fulgore quasi matutinus sol coruscaverit: *hoc enim viro tanquam geniali sydere* vt loquitur Lelandus, *Aluredus Academiam suam adornauit*. VVallensem porrò fuisse, idem Lelan-

Erigena vnde

dus apud Baleum confirmat, vt iam constet, quem Hydenses commentarij ac Rossus & Asserius, per Ioannem Wallēsem & Sancti Davidis monachum sive Meneuensem, intelligunt.

202 Meminit enim fateor Asserius Ioannis cuiusdam genere Ealdsaxonis, Ethelingensisq; monasterij Cœnobiarchæ primi; sed idem tamen Asserius nusquam eundem Ioannem Scotum appellat: Malmesburiensis verò in Alfredi vita hæc prodidit: *monasteria, vbi opportunū videbatur, cōstruxit, vnum in Athelingia vbi eum latuisse superior relatio asserit, ibiq; Abbatem Ioannem constituit ex antiqua Saxonia oriundū &c.* Hęc Malmesburiensis, qui adhuc Scoti nomen non adiecit: verū proximo post capite, cū de ipso loquitur hęc scribit, *hoc tempore creditur fuisse Io. Scotus vir perspicacis ingenij & multæ facundiæ, qui dudùm concrepantibus vndiq; bellorum fragoribus in Franciam ad Carolum Calvum transierat:* certè si his duobus in locis de vno eodemq; homine Malmesburiensem locutū censes, non possum equidem in te mi Londinensis iudicium non desiderare. Hic igitur Ioannes Erigena Scotus, Sancti Grymbaldi collega fuerat: Alter verò Ioannes quem propriè Menevensem monachum vocant, an is Ealdsaxo tuus fuerit, aut deniquè quis fuerit, nondùm mihi liquet, cùm inter vtrumquè Ioannem, historia satis sit perplexa.

Io. Monachus Meneuensis, idem nō est cū Io. Scoto.

Io Erigena non fuit Cantabrigiensis.

203 Hunc Ioannem Scotum Erigenam, Cantabrigiensem si placet fuisse, suo more Londinensis arguit; potissimū verò quòd Bedæ fuerit discipulus: quod non de hoc, sed altero scilicet Ioanne Mailrosio natione Scoto, intelligendum esse, observavit in Ioanne Erigena, Baleus his verbis: *falluntur* (inquit) *historiarum scriptores ferè omnes, dum istum* (scilicet Io. Erigenam) *& Ioannem Scotum Mailrosium vnum faciunt: temporum affinitate fortassis ac doctrinarū vtriusquè parilitate occæcati: videbit vigilans Argus non satis congruere quòd legentem Bedam audiverit, & hùc vsquè vixerit, nisi centum & septuaginta annos saltem illi concesserint.*

204 De Ioanne item Mailrosio inquit cū Alcuini doctis-

ctissimi olim socium & sub præceptore Beda, dũ adhuc puer esset, condiscipulum, dum Weremuthæ (non Cantabrigiæ) bonas artes profiteretur. Hæc Baleus. Erigenam verò Oxoniensem non fuisse quia Malmesburiæ obijt (sic enim Lōdinensis pulcherrimè argumentatur) idem est, ac si ex Herrisono tuo Anaxagoram tuum Cantabrigiæ obijsse diceres, & inde Anaxagoram Athenis non studuisse concluderes, aut è contra, id quod ipse ex Cantilepinis, Bowlianis & Lydgaticis nescio quibus fabulis ac delirijs affirmas. Sanctū quoquè Grymbaldum ab Oxoniensibus extorqueres, quia Wintoniæ obijt. Pulchra Londinensis argumentatio.

205 Neque verò vanum censeri debet, id quod de Ioanne Erigena fertur, eum vsquè adeò reconditissimarum rerum studijs fuisse deditum, vt Aristotelis Secreta Secretorum sivè de Regimine principum librum apud Ægyptios atquè Græcos perquireret (quemadmodùm & ipse in sua ad illum librum prefatione testatur Erigena) perquisitum verò ad petitionem Regis illustrissimi (hoc est Aluredi vt interpretatur Baleus) in linguam Latinā transtulisse de lingua Græca, tùm Chaldæa, tùm Arabica. Io Erigenæ eruditio.

206 In illo libro ita monet Alexandrum suum Aristoteles. *Præpara gymnasia tua & studia in civitatibus regni tui, permitte & præcipe hominibus tuis vt suos doceant filios scientias literarum; & faciant eos studere in liberalibus & nobilibus scientijs: & tua debet esse providentia ijs in necessariis subvenire; fac aliquam prærogativam bene studentibus & proficientibus, vt per hoc præstes alijs scholaribus exemplum & materiam vigilandi: exaudi petitiones eorum, Epistolas recipe & attende, collauda laudādos & remunera remunerandos, &c.* Hæc sive Aristoteles, sive quis alius Philosophus antiquissimus; nihil enim refert, modò ad rationem huius precepti autore Alfredo Rhievallensi, Aluredus rex tale apud suos decretum promulgasse dicitur.

207 *Universis liberis hominibus totius regni nostri prædicti, qui ad minus duas hidas terræ possident, firmiter præcipimus, vt liberos suos vsque ad spatium 15. annorum ætatis suæ habeant & te-*

neant literarum eruditionem, ipsosq; interim diligenter instruat vt Deum agnoscant & deinceps sapientiores sint, & melius ijs sit: verum liberum hominem illiteratum pro bruto & cephalo & stulto reputamus. hæc sunt Aluerediani decreti verba.

208 Cuius etiam in vita Edwardi Senioris Lelandus meminit, & ob id eum ex præscripto patris strenuam operā literis dedisse scribit: vbi obsecro nisi in schola quam pater suus congregauerat? vt author est Asserius; hoc est Oxoniæ, vt interpretatur Rossus & Lelandus; Saxones enim Oxoniam, studij locum præeligerunt, vt meminit historiola Oxoniensis. Etenim de scientia politica qua inclytus Aluredus in ferendis legibus pollebat, nihil amplius dicā quàm quod Lambertus (qui tamen in Aluredianis edictis hoc decretū omittit) in sua Archaionomia existimauit, mirabiles Aluredi consilium reip. vtilitatis allaturum fructus, si solidas Aluredianarum legum imagines teneremus, nec amplius vmbrâ vteremur: vt eruditionem eius taceam, quæ certè multò maior est quàm vt meritò à Londinensi contemnatur, quod luculentissimè si quicquam ad propositum spectaret, ex antiquissimis autoribus demonstrare potui, & si opus sit, demōstrabo.

Edwardus Senior Oxoniæ studuit quod ex Rosso etiā supra liquere potest.

209 Hæc si vera sunt: an credibile est Aluredum suos ad hæreticum audiendum invitasse? Ioannem enim Erigenam Oxoniensem hæreticum fuisse, Londinensis vt aliquid semper Oxoniensibus obijciat, ex Gulielmo Malmesburiensi probat, cuius hæc verba sunt: *Ioannes cōposuit librum περὶ φυσικῶν διαιρέσεων, in quo plurima nisi diligenter discutiantur à fide catholicorum abhorrentia videantur: huius opinionis particeps fuisse cognoscitur Nicholaus Papa qui in Epistola ad Carolum dicit, Ioannem olim non sanè sapere in frequenti rumore dicitur, propter hanc ergo infamiam credo tæduit eum Franciæ, venitq; ad regem Alphredum, cuius munificentia & magisterio vsus vt ex scriptis Regis intellexi, sublimis Melduni resedit vbi post aliquot annos, à pueris quos docebat graphijs perforatus, animam exuit:* hæc Malmesburiensis libro de pontificibus quinto, quem alij quartū in duas partes divisum esse existimant.

Iniqua Londinensis calūnia.

210 Di-

210 Distinctum tamen esse à cæteris librum (extat enim in bibliotheca Collegij Bennet Cantabrigiæ, vtinamq; Domino Henrico Savill, viro omni literarum genere, historiâ imprimis florentissimo, dum cætera Malmesburiensis in manibus habebat, occurrisset) ex secundo de gestis pontificum liquet, vbi cùm de Aldelmo Shireburnensi Episcopo loquendum esset, Malmesburiensis de eo pollicetur se tractaturum in extremo opusculi sui de pontificibus libro, hoc est, in quinto (nam in quarto illud non præstat) qui à laude Aldelmi orditur. apparet quidem, Malmesburiensem ex prologo in primum de Pontificibus librum; sex de Pontificibus libros scripsisse: sic enim ait, *primus liber continebit gesta Archiepiscoporum Cant: & Episcoporum Roff. cæteri quinque suo ordine sequentur*: si ita sit, quod quomodo quintus eius liber, extremus opusculi sui liber, dicatur non video in secundo verò de Gestis pontificum, non solù nullius περὶ φύσεων μερισμοῦ, sed etiam Dionysij hierarchię translationis Latinæ meminit in qua hæreticũ se gessit Erigena, quod idẽ affirmat Rog. Hovẽdenus Annalium parte priore, recitatâ etiam Nicholai pontificis ad Carolum epistolâ, atquè etiam Florilegus; licèt Abbas Vitiliacensis Thomas, qui Ioannis Erigenæ versioni paratheses & scholia quædam adiecit, nihil tale commemoret. Nam quod ad alterum, scilicet περὶ φύσεων μερισμοῦ librũ, Baleus quidem ex Bostono Buriensi, non huic Ioanni Erigenæ, sed Ioanni Mailrosio, eum librum ascribit (vt omittam non Nicholaum, sed Martinum eo tempore pontificem Romanum sedisse) vndè nihil est quod hæresin hic metuas mi Londinensis.

Sex libros de Angl. Pontificum Gestis scripsit Malmesburiensis.

Ioannes Erigena hæreticus non fuit.

211 Aluredus enim cui ex ipsa vnctione pontifices Romani fidebãt, nequaquã penes se hæreticos susciperet: aut ijs faveret, nec quisquam de eo ausus esset dicere, *Clauditur in tumulo Sanctus Joannes Sophista, Qui ditatus erat iam vivens dogmate miro; Martyrio tandem Christi conscendere regnum, &c.* apud Malmesburiensem (vbi & Sanctus & Martyr dicitur) si hæreticum eum ac temeratæ religionis piaculũ vulgò habuissent.

212 Ego

212 Ego verò hæc habui, quæ de Aluredi facto aduersùs Londinensem proferrē. Cætera quæ ad illus laudē præcipuè spectare videntur, ex Florentio Wygornensi, Alfredo Abbate, Ethelwerdo, Ingulfo Croilandensi omissurus, atq; etiam ex Tritemio; qui si diutius Oxoniensibus suis superfuisset, nescio quid magni sine dubio præstitisset Oxoniæ, ex cuius iam monumentis (licèt fortè pleraq; perierunt) Holinshedus libro descriptionis Angliæ secundo, cap. 3°. multo certius argumentum pro antiquitate Oxoniensis Academię afferre potuisset, quàm quod ex ijs quæ iam supersunt monumentorum reliquijs, planè asserat Oxoniam multo antiquiorem Cantabrigiâ videri: ideoq; in principio illius capitis Cantabrigiam comparando planè recentiorem statuit.

Hollinshedi iudicium de Antiquitate Oxon.

Obiectio ex Lelando.

213 At vnicū obstat quo minus hæc omnia de Aluredi facto vera esse possint, quoniam in historia Oxoniensi (vti obseruauit Lelandus) nulla fit ipsius Aluredi mentio: quâ neq; opus est si benè consideres; illic enim tantum de translatione Vniversitatis de loco in locum, & de primordijs à Græcolada derivatis agitur: licèt illud mihi dicendum videatur, tacitam Aluredi illic fieri mentionem, qui Academiam Oxoniensem ita instruxit, vt Saxonibus, accommodatissimus studij locus esse potuerit: Collegij quoq; Vniversitatis alumni, Aluredum vti in superioribus ex Collegij ipsius monumentis diximus, fundatorem agnoscunt: pro quo etiam anniversaria celebrare antiquis statutis suis tenētur, quēadmodum ex Rationalibus suis & benefactorum catalogo sane magno & antiquo instar tabulæ pensilis cornuâ superficie (vt antiquitùs) munitę, quem Magister Tho. Allanus sæpè olim se vidisse meminit, luculenrer constat.

Solutio

Historia de Alurediana restitutione Oxoniensibus receptissima.

214 Sacellum quoq; illius Collegij Sancto Cutberto dedicatur, quem summum fuisse Aluredi Patronum author ęst Turgotus de exordio Ecclesiæ Dunelmensis.

215 Fundatoris quoq; Aluredi insignia gerunt, & in illius quoq; Collegij Aula publicâ cum hac inscriptione visenda *Nobilis Alfredi sunt hac insignia, cuius, Primum cōstructa est hac pie-*

pietate domus: blazonantur autem (vtar enim verbo fæcialiũ) in scuto cæruleo, in quo flava crux florida extenditur: vnicuique verò crucis extremo, Sancti Martini avis imago affigitur atq; adiungitur, quæ occidentalium Saxonum Regum insignia fuisse, ex fæcialium libris atq; etiam ex Hieronymo Henninges in theatro genealogico constat; vt nihil hic reprehendat Londinensis si & Edmundi, qui ferreum latus dicitur, atq; etiam Sancti Edwardi eadem fuerint insignia.

Aluredi Regis insignia.

216 Honoraria verò ipsius Vniversitatis Oxon insignia, sunt sacra in scuto cæruleo Biblia, septem sigillis ornata, non tamen clausa, sed ad Evangelium Sancti Iohannis aperta, cum hac inscriptione Evangelica, *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum*: tres verò coronæ aureæ vel S. Trinitatis maiestatem vel triplicem. S. scripturæ sensum representantes, quemadmodùm in antiquissimis armorum delineationibus memini, adiunguntur; quæ insignia admodũ antiqua esse vel illud convincit quod in turri in fano. S. Sãpsonis Greekladæ antiquissimo opere saxo insculpta reperiãtur, à tempore translationis Græcladensium schol. Oxoniæ vsurpata.

Vniuersitatis Oxō. insignia.

217 Cantabrigiensis autem Vniversitatis insignia, in quibus quendam codicem clausum 4. Leonis hinc illinc defendunt H.6. temporibus excogitata, nec non illa alia, Chẽbrigiæ vti opinor imago, quid sibi velint, haud scio. Nã Estanglorum (quorũ fuit Sigibertus Cãtabrigiæ, si placet, suppositius author) Reges, campum rubrum vel nudum, vel tribus vt alij volunt coronis aureis, vel tribus potius gladiatorũ sicis, vt Versteganus ait, vel etiam equo exultante adornatũ in suis insignibus gesserunt.

Vniuersitatis Cantab. insignia.

218 Præter hæc omnia, Academia Oxoniensis sæpissimè hoc suum singulare beneficium Aluredo acceptũ refert: illud in litteris Academiæ ad capitulum Benedictinorum apud Northamptoniam videbis, vbi nigris monachis restitutionem hanc sub Aluredo (illius enim ordinis monachi fuere, quorum ope in sua restitutione vsus est Aluredus) ascribit.

Oxonienses Aluredum fũdatorem agnoscunt.

Deindè in litteris ad Richardum secundum, hoc modo, *de illustrissimo olim Aluredo reliquisq; progenitoribus vestris serenissimis, licèt è vitâ hac miserabili ad Sanctorum ades excesserint, semper loqui compellimur tacereque nõ possumus.* Et in litteris ad Hũphredum ducem Glocestriæ, dicitur, *quod citrà fœlicissimæ memoriæ Aluredum Regem huius Almæ vniuersitatis fundatorem, nemo vnquàm tantum beneficium contulerit.*

219 Tertiò, & in antiquis Bedellorum libris, vbi dicitur quod *ex antiqua consuetudine huius Almæ Vniversitatis in Vigilia Sancti Martini orandum est in scholis pro benefactoribus tam vivis, quam defunctis, et pro animabus omnium benefactorum, præsertim pro anima Aluredi Regis huius Almæ Vniversitatis primi fundatoris*: quod quo sensu intelligendum est, ex superioribus liquere tibi potest.

Quo sensu Aluredus interdum primus fundator dicitur.

220 Tanta enim in Academiam Oxoniensem Aluredi beneficia extiterunt, vt licèt alibi Maiores nostri, studium suum Oxoniense Aluredo nostro, immò & ipso Parisiensi studio multò antiquius extitisse pronuntiarunt, etiam à tempore cuius principij memoria non extaret (nam de Græcoladensibus scholis quoàd tempus & alias circumstantias, non quoàd rem ipsam, incerti fuerant) hic tamẽ fundatoris primi titulum Aluredo ipsi retulerint, non secùs quam Humpredo Glocestriæ duci fundatoris bibliothecæ Oxoniensis primi titulum obtulerunt, quæ tamen fundationis suæ exordium multò anteà acceperat.

221 Postremo in fano D. Mariȩ semper Virginis Deiparæ, fuit olim speciosissima sita ad occidentem fenestra, vbi Vniuersa hæc de Aluredi facto historia, ac omnes Academicæ vrbanitatis antiquissimæ consuetudines, pulcherrimis imaginibus ad formam rerum ipsarum effictis, latinis versibus explicatæ visebantur; nunc vel hominum (sed pessimorum) vel temporum (antiquissimorum) iniuria tanquam quercus multis ictibus ferè deiecta, hos tantùm picturis subscriptos versiculos suppeditat: quos eccè.

Rex Danos pellit sedibus Angligenum

An-

Angelus hic studium iussit vt incipiat.
Vt studium incipiat nuntius hic properat.
Lex sacra nobilium dictaq; turba venit.
Rex iubet vt studeant, ædificatq; domos.
Et schola iam leges libera Regis habet.
Eduet doctos sic pia villa viros.
Vt discant artes plurima turba venit.
Audit Grammaticam concio prima suam.
Imbuit hic iuuenes discipulos logica.
Demonstratoris est schola dicta tui.
Post schola sic notis fulget Arithmeticis.
Mensuris rerum imbuit iste suos.
His institutis sydera quaque scies.
Naturæ causas quæritis? Ista docet.
Infirmi causas medicus ecce notat.
Ob transgressores hæc data pœna fuit.
Scripturam exponit hæc schola facta Dei.
Virtutes mittit desuper omnipotens.
Dona Dei lato suscipiunt animo.
Pastorem studij littera missa petit.
Scripturas princeps suscipit in manibus.
Rex Cancellarium mittit ad Oxonium.
Iura petit summo litera pontifice.
Nuntius & missa littera suscipitur.
Cuncta animo grato iure petita dedit.
Grammaticis gradum lictor hic esse notat.
Hæc schola Parisijs nomine dicta fuit.
Arte Bachalaureis hæc data forma fuit.
Sic pro sumendo deposuere gradum.
Ordine quisque suo vendicat ipse locum.
Artibus inceptor disputat in cathedra.

222 In quadam verò columna eminenti loco instar omnium, versiculus ille collocatus est, *Oxonij flores Alured fert iste priores.* Quem Oxonienses illis apud Asserium & Hericum Huntindonensem, *Nobilitas innata tibi probitatis hono-*

rem, &c. Londinensis (licet falsissimè) adiunxisse scribit: Vniversam nihilominùs in pictura, Aluredianę restitutionis rationem atq; historiam vides.

223 Primò scilicet Aluredum, Danos è Britannia immo & Oxoniâ secundum Reynulphum expulisse: monitum deindè à Neoto, siuè eius angelo (nihil enim refert) vt studium Oxoniæ inciperet, quod certè nō potuit nisi pulsis prius hostibus, concilium suorum de propagandis literis convocasse: domos. i. Aulas & collegia excitasse, demùm privilegia procurasse; vndè multi præclari literis imbuti ex illa schola prodierunt: hæc & alia (vt scholas quoquè scientiarum singularum omittam) complura in illa fenestra tanquam in historia quadam vivâ, olim visenda erant: ea verò quibus vetustas pepercit, produximus, vt quid maiores nostri hac de re censuerint, ad historiæ fidem illustrandam, palam faceremus.

Decimum antiquitatis Oxon. argumentum quod lōgi temporis successionem complectitur.

224 Productâ igitur ad Aluredum Oxoniensis Academiæ antiquitate, ad posteriora tempora veniamus, quibus post Aluredum, vrbs & Academia Oxoniensis, nonnullam status sui rationem nobis aperire posset. Edwardum enim seniorem Aluredi filium, quod iterùm repetendum est, Edredo Merciorum duce defuncto, Londoniam & Oxenfordiam *in suas manus saisiuisse* (Huntingdonensis est) supra legimus; cui consentit Ranulfus & Florilegus.

Alfwerdus Oxoniæ studuit.

225 Alfwerdum quoq; iuniorem suum filium ad bonas literas in schola Oxoniēsi vbi pater Aluredus omnes infantes nobiles congregauerat (nec tamen erat Sigebertinum ea schola pædagogium) addiscendas, misisse, qui Oxoniæ quoquè haud multò post patrem obijt, autore eodem Florilego, & Mariano, Scoto, & Caradoco Lācarnauensi cuius historiam è Brit. in Anglicum vertit H. Lhwyd. Ealfledam porrò sororem, eo tempore quo Edwardus frater Hartfordiam condidit, Oxoniam (fortasse nonnihil vetustate aut bellis collapsam) restituisse author est Raph. Hollinshedus, libro descriptionis Angliæ primo cap. 11, quanquam statim

pa-

patris, suiq; delitias Oxoniam & Londoniam è muliebri sororis suæ imperio vendicasse, propriæq; custodiæ commisisse, idem Edwardus dicitur, autore in suo Chronico Mariano.

226 Atheldredus vero rex omnium infælicissimus, Anglorum ille Priamus, novæ vxoris suæ Emmæ Normannorum Consulis Richardi filiæ nuptijs elatus, siue potius Hunç militiæ principis consilijs vsus, anno domini millesimo secũdo autore Huntingdonensi, quem Rossus secutus est, at anno millesimo duodecimo (nisi aliquod in numeris mendum fuerit) secundum Florilegum, *missis ad singulas suas vrbes occultis litteris, omnes Danos Angliæ commorantes vno eodemq; die vel nocte potius, festo scilicet Sancti Bricij, incautos, repentino impetu occidi iussit*; cuius edicti euentus cuiusmodi Oxoniæ acciderit, ex antiquissimo fani Frideswidæ Regestro dicam. Ealfleda Oxoniũ restituit. Danorum cædes.

227 *Anno gratiæ millesimo quarto* (inquit Regestrum cuius ego supputationi maxime adhęreo) *Athelredus rex cum omnes Danos interfici iussisset, ijq; in hoc asylum confugerint, Ecclesia, & omnia ornamenta cum libris conflagrarunt propter odiũ quo prosecuti sunt Danos Vrbani Oxonienses.* hæc Regestrum Frideswidę, sed multò aliter Gul. Malmesburiensis, & histor. qui primo Ethelredum magnum Anglorum & Danorum concilium Oxoniæ coegisse scribit: quod vtcunq; verissimũ esse potest, cum videam plurimas Ethelredi Regis leges, in illo fortè concilio latas apud Archaionomiã Gul. Lamberti Saxonico & Latino eloquio extare (amplum satis mihi crede cùm antiquitatis tùm dignitatis & eruditionis Oxoniensis Scholæ argumentum) tamen dum non illud regium de perimendis Danis edictum, sed priuatam scilicet Eadrici Oxoniensis Satrapæ cum principibus Danorum Sigferdo & Morcardo & eorum clientibus qui aderant, cõtentionẽ, illius quidem euentus apud Oxoniam, causam & rationem assignat, certe ab ipso regio scripto dissentit, quod in Frideswidę Ecclesiæ Archiuo se vidisse testatur: ipsum igitur Athelredum siue Ethelredum in suo diplomate ad frideswidæ Religiosos loquentem audiamus. Frideswidæ fanum incẽsum. Gulielmi Malmesbur. lapsus

228 *Anno Dominicæ incarnationis millesimo quarto indictione secunda, anno vero imperij mei vicesimo quinto Dei disponente prouidentia, ego Adelredus totius Albionis monarchiam gubernans monasterium quoddam situm in vrbe quæ Oxenford appellatur, vbi beata sūma requiescit Frideswida libertate priuilegij autoritate scilicet regali pro cunctipatrantis amore stabiliui, & territoria quæ ipsi adiacent Christi Archisterio noui restauratione libelli recuperaui; cunctisq; hanc paginulā intuētibus quæ ratione actū sit paucis verborū signis retexā: omnibus enim in hac patria degētibus sat constat fore notissimū, quondā decretū à me cū cōsilio optimatū sapientumq; meorū extulit vt cuncti Dani qui in hac insula velut inter triticum pullulando emerserunt, iustissima examinatione necarentur: hocquè decretum morte tenùs ad effectum perduceretur ipsi qui in præfata vrbe morabantur Dani, mortem evadere nitentes hoc Christi sacrarium fractis per vim valuis ac pessulis intrantes, asylum sibi repugnaculumquè contra Vrbanos suburbanosquè inibi fieri decreverant: sed cùm populus omnis insequens necessitate compulsus eos ejicere niteretur nec valeret, igne tabulis iniectio hāc ecclesiam vt liquet cum ornamentis ac libris combusserunt: postquè Dei adiutorio à me & amicis constat renovata & vt præfatus sum retentis privilegij dignitate cū adiacentibus sibi territorijs in Christi onomate roborata & omni libertate donata tàm in Regalibus exactionibus, quàm in Ecclesiasticis omninò consuetudinibus: si autem fortuitu aliquo contigerit tempore aliquem nefariæ mentis (quod absit) irritum desidia huiusce donationis nostræ munus defraudare satagentem, anathema Sanctæ Dei ecclesiæ accipiat æternum mortis, nisi antè exitum quæstionem tam calumniferam ad satisfactionē perducat exoptabilem.* Hæc Ethelredus, qui eo etiam tempore Oxenfordiam vrbem vocat.

Fani Frideswidę restitutio

229 Post cuius monasterij Frideswidæ restitutionem, antè tamen quàm Deus Normannorū aquilis Angliam subdidisset, *Abendoniæ cuidam Abbati* (loquor ex libro Frideswidæ) *Ecclesia illa cum possessionibus suis à quodam Rege donata fuit: spoliati igitur bonis suis, & sedibus expulsi Canonici seculares memorantur, & monachis res addicta per aliquot annos eorum dispo-*

Frideswidæ Prioratus Abbati Abingdoniæ datur.

positioni servivit: posteà sicut se habent res mortales Regis cuiusdam beneficio Canonicis præfatis sua sunt restituta & vsquè ad annum incarnationis dominicæ millesimum cĕtesimum vicesimum secundũ eidem ecclesiæ præfuerunt: inquit sani Frideswidæ liber.

230 Cui quidem historiæ lucem aliquam affert in cēt. 2. cap. 54. in appendice, & in votariorum Anglicorum actis, (si saluâ modestiâ eum librũ nominare liceat) Baleus: inquit enim *anno domino millesimo sexagesimo sanctum Edwardum Regem Nicholai pontificis rogatu, in peregrinationis suæ quam vouit non autem præstitit, recompensationem, expulsis secularibus quod vxores haberent, monasterium S. Frideswidæ monachis concessisse: secularibus tamen iterum restitutum ab Haraldo Edwardi successore; quæ res eum de medio sustulit, & monasterium igne concrematum est*, inquit Baleus, cui historia ipsa Frideswidæ adversatur, quæ monasterium illud, vsq; ad annum domini 1122. sub Canonicis secularibus remansisse dicit.

231 Sed redeo ad Ethelredum Danicæ cladis authorem, cuius vniversa fere Anglia postea grauissimas pænas luebat. Siquidem anno gratiæ post millesimum decimo, autore Huntingdonēsi, Hovendeno, & Forilego, Danorum exercitus, duce Vlfketello, per saltum qui Ciltern dicitur, Oxoniensem vrbem & agrum misera depopulatione cōtriuit; nec non Est-Angliam vnà cũ Grantebrigia tuaj, autore Florilego eodem anno, Gippeswicum veniens, rapinis & incēdijs deuastauit.

Dani cædem suorum vindicant.

232 Maxime vero paulò post, anno scilicet domini millesimo decimo tertio; quo tempore Swanus Danorum rex Vindictæ cupidus, postquam omnia in hoc misero regno, crudelissimis suis imperijs subiecisset, Oxoniam quæ in Hovendeno corruptè *Hornefordia* dicitur peruenit. Qua ciuitate, leui conamine multò citiùs quàm speraũit subiugatâ vt ait Florilegus, & Bailiolensis Polychronici author, combusta vero vt ait Huntindonensis, ac qui eum sequitur Rossus obsides accepit, ac eodē animo, Wyntoniam profectus est: ablatis igitur clericorum bonis, scholæ inquit Rossus cessa-

Oxonia Danicis furoribus pene deleta.

uerunt durante Danorum furore: vndè vsq; ad id temporis Oxonienses scholas floruisse credendum est.

233 Neq; interim vlla est inter Historicos, si bene animadvertas repugnantia. Qui enim hanc cladem anno domini 1032. contigisse scribunt, vt Marianus Scotus, & Florent. Wygornensis, illi, Evangelij computum sequuntur: qui vero citius, scilicet, anno 1010. de eadem locuti sunt vt fere Huntingdonensis, Hovendenus, & Florilegus, ij Dionysij Abbatis computum, secuti sunt. Inter quę computa, tantum fere interest, respectu annorum, quantum inter Calendariũ Gregorianum & nostrum respectu dierũ: ex eo enim quod nos, tercentum, sexaginta quinq; dies & sex horas, vnius anni reuolutioni concedimus, quo fit vt singulis quaternis annis, dies vnus supersit, Pontificij, nimium nos vnius anni spacio allocasse sentientes, Calendarium suum correxerunt, & quod nimium anni veteris esse putaverant, detrahentes; novum annum sive Gregorianum constituerunt, qui annum nostrum, decem dierum intervallo superat. Nec secus hic quidem: nam evangelium à Christi nativitate, sive quod alij volunt à circumcisione, Dionysius verò à conceptione principium annorum Christi exorditur, Atq; hinc illud inter vtrumq; computum discrimen.

Computum Euangelij & Dionysij.

Calendarium Gregor. in quo differt à nostro seu veteri.

234 Ethelredo successit is, qui ferreum latus dicitur, Edmundus, qui ab Eadrici proditoris filio, miserando fato (non naturali vt vult Simeon Dunelmensis) anno domini millesimo decimo sexto, autore Forilego, Oxoniæ occubuit: cui Cnuto illius nominis Anglorum atq; Danorum rex primus, suæ tamen gentis secundus successit eximius literatorũ Mecænas. Non solum enim Anglorum scholas, Romæ, omni tributo liberandas curavit, sed etiam apud Oxoniam satis bonis literis id temporis florentem, concilium suorum ad Anglorum atq; Danorum concordiam anno domini millesimo vicesimo secundo, iuxta Florilegum, at anno millesimo vicesimo sexto apud Baleum cent. 2. cap 45. convocavit: in quo, iubente Rege, Edwardi primi atq; etiam Edgari

le-

leges quæ reverà Aluredianæ sunt, ab Anglica lingua (autore sine dubio aliquo Oxoniensi, nam Ingulphi Croylandensis tēpus, qui Oxoniæ studuit, huc vsq; penè extenditur, quod fusiùs dicā) in Lat: linguā, ob summam earum æquitatem, tam Anglis quàm Danis commendandas trāslatę sunt, easq; ego esse opinor quæ in Lambarti Achaionomia extāt, quanquam in illarum initio illud non obscurè significatur illas videlicet in wintoniensi concilio, quod nusquam alibi lego, fuisse latas.

235 *Defuncto autem Cnutone* inquit Florilegus, atq; etiā Ranulfus libro sexto cap. 20. *conuenerunt apud Oxoniam ad colloquium, proceres regni, vt de nouo Rege creando tractarent: vbi Consul Leofricus & omnes Danorum principes cum Londinensibus, elegerunt Haraldum filium Cnutonis ex concubina Algiua generatum: sed Godwinus Comes Cantiæ cum principibus Westsaxoniæ contradicentes, maluerunt Hardecnutum filium Cnutonis ex Emma Regina, vel vnum ex filijs Regis Æthelredi &c.* Certamen de imperio apud Oxoniam.

236 Haraldus tamen obtinuit; qui quarto aut quinto regni anno, autore eodem Florilego, Oxonię defunctus est. quid verò Danieli Rogersio in epigrammate ad Academiam Oxoniensem in mentem venerit, vt ab Haraldo Oxoniam euersam fuisse scriberet, inquit enim de Oxonia *Mœnibus vrbs quondam quorum vestigia seruat, Firma sed Haraldi diruta Marte Daci*; nondum certè intelligo: Haraldianos enim illos qui in tumultu quodam apud Oxoniam interfecti fuisse à nonnullis perhibentur, pro illis qui sub Ethelredo in fano Frideswidæ perierunt accipi video. Sub Edwardo verò Confessore, hoc totum est quod de Oxoniensibus reperio, Oxonienses nempè ad Honorem Swani Godwini Comitis primogeniti pertinuisse, autore Florilego: Tostiumq; quendam Comitem anno 1087. Oxenfordiæ de iniurijs à Northumbrensibus postulatum, exulasse, autore incerto qui adiungitur Mariano Scoto Manuscripto: & illius tempore, Ingulphum Oxoniæ studuisse, vti mox infrà dicam. Haraldus. Edwardus cōfessor.

237 Atq; ita ad Gulielmum Neustriorum ducem de-

venio. Cuius tempore, quo statu res Oxoniensis, vrbis dico, steterat, censualis illius liber individuus scaccarij comes autore Gervasio Tylberiensi, pro me dicet: *Hæc vrbs* (inquit) *reddebat pro theloneo* (est autem Saxonicum Tol certa vectigalis pro libertate emendi ac vendendi erogatio, autore in legibus Edouardi Rosso, ac Lamberto) *& gablo* (quod ex gleba fortasse vectigal erat) *& alijs consuetudinibus per annum Regi quidem viginti libras, & sex Sextarios mellis, Comiti vero Algaro decē libras*: vti superiore libro diximus. Ex quo frequentē tū Oxoniæ vrbem, ac libertatibus vsam si negaveris, validam tibi texam rationem, & ex charta Telariorum Oxon: ab Edwardo tertio Instrumenti more (quod Inspeximus dicitur,) profecta, in hæc verba.

Charta Telariorum Oxon.

238 *Edwardus Dei gratia Rex Angliæ et Dominus Hyberniæ, omnibus ad quos præsentes literæ perveniunt salutem. Constat nobis per inspectionem Rotulorum Cancellariæ celebris memoriæ domini Edwardi nuper Regis Angliæ avi nostri, quod idem avus noster fecit literas suas patentes in hac verba; Edwardus Dei gratia Rex Angliæ, dominus Hyberniæ, dux Aquitaniæ, omnibus ad quos præsentes litteræ perveniunt salutem: Cum celebris memoriæ dominus Ioannes quondam Rex Angliæ avus noster per chartam suam quam inspeximus concessisset Telarijs de Oxon gildam suam et omnes libertates & consuetudines suas quas habuerunt tempore Henrici regis avi prædicti Regis Ioannis, & tempore patris sui, ita quod singulis annis eidem Regi Ioanni inde donarent vnam marcam auri, & quod nemo operaretur de ministerio eorum infra quinque leucas circa burgum Oxon de sicut hanc consuetudinem solebant habere tempore Henrici Regis avi dicti Regis Ioannis, et tempore patris sui: & eo tempore quo promissionem dictæ Marcæ auri fecerant Telarij prædicti erant numero sexaginta & plures in villa prædicta, qui iam ad tantam inopiam devenerūt, quod vix sunt numero quindecim, ita quod de firmâ prædictæ Marcæ annuæ multo tempore minimè respondent, nec habent his diebus vnde respondeant; nos ipsorū egestati piè compatientes pardonavimus ijs reditum dictæ marcæ auri annuæ & omnia arreragia einsdem de gratia nostra speciali: & ijs*

Gilda Telariorum Oxon.

ijs concessimus quod reddant nobis de caetero per annum per manus Maiorum & Balliuorum nostrorum Oxon qui pro tempore fuerint quadraginta duos solidos, videlicet vnam medietatem ad festum Sancti Michaelis & aliam medietatem ad festum Pascæ quemadmodum nobis placuerit eodem modo & eadem occasione quibus prædictam Marcam auri nobis reddere consueverunt. In cuius rei testimonium has litteras nostras fieri fecimus patentes teste meipso apud Wodstocke, duodecimo die Augusti, anno regni nostri tricesimo: nos autem tenorem litterarum prædictarum ad requisitionem nunc Telariorum de Oxon, tenore præsentium duximus exemplificandũ: in cuius rei testimonium has litteras nostras fieri fecimus patentes, teste meipso apud Westmonasterium decimo quinto die Octobris anno regni nostri Angliæ vicesimo sexto, regni vero nostri Franciæ vndecimo. L. Grymsby.

239 Regnante verò Edwardo quinto non obstante ista concessione, duo tantum Telarij (ex eius charta loquor) Oxoniæ fuerunt; ideoq; etiam Telariorũ gildæ, fullones ascripsit primus. Telariorum quoquè charta antiquissima est: ad patrem enim vti vides Henrici primi, hoc est ad Gulielmum primum pertinet. In qua vnam auri marcam multò maioris fuisse duobus & quadraginta solidis æstimationis, id temporis apparet. Antiquitatis huius chartæ.

240 De his æstimationibus Londinensis libro Antiquitat. Cantab. 2. quædã affert, sed nimis antiqua: & quod gravius est parùm sibi cohærentia. Scribit enim apud Hidenses commentarios Mancussam, marcam dici quę quatuordecim solidorum & denariorum quatuor valoris est: quorum commentariorum autorem Aelfricum Abbatem fuisse dicit, ex cuius Saxonica tamen grammaticâ paulò anteà, vnam mancussam triginta denariorum valoris fuisse dixerat. Pannorũ quoquè conficiendorum artificium, quod Oxonienses etiã cives agnoscunt, id temporis Oxonię admodùm floruisse, ex hac Telariorum charta colligitur. Marca auri.

241 Præter hæc omnia non est omittendum, id quod in libro monasterij Osneyensis de castello Oxon: (quem li-

brum Gulielmus de Quittona Abbas summa diligentia cõposuit) occurrit. *Memorandum siquidem,* (omnia enim verbatim quoàd possum nè vllus sit errori locus repetam) *quod Robertus de Olleyo & Rogerus de Iuereyo fratres iurati & per fidem & sacramentum confœderati venerunt ad conquestum Angliæ cum Rege Willielmo Bastard, qui dicto Roberto duas Baronias dedit, quæ modò vocantur Baronia Doylivorum & Sancti Wallerici: Anno autem ab Incarnatione domini millesimo septuagesimo primo ædificatum est castellum Oxon* (licèt, quo autore incertum, nisi aliqui hunc eundẽ Robertũ de Oyleyo probabiliter statuissẽt) *tempore regis Gulielmi prædicti: iste Robertus de Olleyo, dedit fratri suo Rogero, Baroniam quam modo vocant Sancti Wallerici: sed anno domini millesimo septuagesimo quarto, fundata est Ecclesia Sãcti Georgij in Castello Oxon. à Roberto de Olleyo primo & Rogero de Iuereyo tempore Regis Gulielmi Bastard; qui in dicta ecclesia Canonicos seculares* (eos enim diximus Academijs aptissimos) *instituerunt & certos reditus de duabus Baronijs prædictis ijsdem assignaverunt de Ecclesijs, terris, decimis & possessinibus & rebus alijs*, quemadmodum ex charta Roberti de Olleyo primi constat, hoc modo.

Castrum Oxoniæ conditũ

Fundatio Ecclesię S. Georgij in castro Oxon.

Charta Roberti de Olleyo.

242 *Notum sit fidelibus sanctæ Ecclesiæ tàm præsentibus quã futuris: quod ego Robertus de Olleyo Volentibus & concedentibus Aldithâ vxore mea, & fratribus meis Nigello & Gilberto dedi et concessi & hac præsenti charta mea confirmavi in puram & perpetuam eleemosynam Deo & Ecclesiæ Sancti Georgij in castello Oxenford & Canonicis in ea deo seruientibus & eorum successoribus (quam Ecclesiam ego fundaui) pro salute Regis Henrici & incolumitate totius regni, nec non & pro mea ac Vxoris & fratrum, parentum, & amicorum nostrorum salute omnes res, tenementa, decimas & possessiones subscriptas videlicet ecclesiam Sanctæ Mariæ Magdalenæ quæ sita est in suburbio Oxenford, cũ tribus hidis terræ in Walton & pratis & decimis eidem Ecclesiæ pertinentibus, & c.* hæc Robertus.

243 Eodem verò tempore, Scholares Oxoniæ fuisse, (quod Londinensis strenuè negat) ex ipsius capellæ sive

Col.

Collegij Sancti Georgij in castro Oxon statutis antiquissimis (quæ penès me in exemplaribus habeo) apertissimè constat: vbi & Sociorū & Tutorum, & scholarium, Commensalium, & Comminariorum frequentissima fit mentio, idquè sub Gulielmi primi (quod ostensurus erā temporibus) quod hinc liquet, quoniam in ijsdem statutis ipsis, Canonicorum fit mentio (statuto enim cavetur quod *in præsentia Canonici, omnes clerici cænare & potare debent*) qui Canonici illic erant, nisi ad Stephani Regis tempora, quandò vt in sequenti libro dicetur, ad monasterium Osneyense (non antea) translati fuerunt, ex ea Sancti Georgij capella, quæ in castro Oxon condita est, eodem fortassè tempore, quo ipsum castum, eodemq; autore, Roberto scilicet vt ferunt de Olleyo primo: quem etiam Oxoniæ muros reparasse author est Tilleyus.

244 Oxoniā enim multò antè id temporis vrbē fuisse muratam, non solum ex historia Fridesvvidæ didici; Algarus enim Fridesvvidæ hostis ad muros vrbis portamq; Aquilonarem venisse dicitur, sed etiam ex Rosso qui Aluredum Aulas suas intra muros Oxoniæ collocasse, & Daniele Rogersio, qui Oxoniensem vrbem, Haraldi quoquè Levipedis tempore mœnibus (non tamen ab eo eversis) cinctam fuisse, nō obscurè significat.

245 Eiusdē quoquè cū castro Oxoniensi temporis, est Cantabrigiæ hodiernæ castrum, autore in hæc verba libro Censuali: *Burgus de Grentbridge in decem custodias dividitur & 387. mansiones habet* (Oxonia vero eodem tempore ædes plus minus 750. præter 24. mansiones murales, loquor etiā ex eodem libro ex quibus muralibus mansionibus, Oxoniā multò antè Gulielmum, muratam fuisse colligitur) *sed pro castro destructæ fuerunt domus octodecem* quæ de hodierna inquā vrbe, non de veteri Grantecestria intelligo, cuius nec tot custodiæ nec mansiones erant, tametsi Anaxagoræ ac Bedæ quoquè mansiunculam si placet addideris.

246 Tibi verò si mea fides suspecta fuerit, Ioannē Stoveum, virum olim in Londinensis castris militantem consu-

le;qui castrum Cantabrigiense, eo quo diximus tempore in suis Annalibus conditum fuisse cōtendit. Nā quod à Cnoudis & Florentijs, Regibus nescio quibus, Regiæ instar sedis (quod Londinensis libro historiæ Cantabrigiæ primo affirmat) conderetur, & ab illis inhabitaretur illi certè credidissē nisi idem Stoveus aliter prodidisset, qui suis in Annalibus Edwardum post conquestum Angliæ primum (Oxoniensem quidem hominem, & Cantabrigiensis scholæ tum nascentis egregium Mecenatem) anno regni sui vicesimo primo in castro Cantabrigiensi, quod nūquàm de aliquo ante eum Rege, commemorari potest (inquit Stoveus) per biduum fuisse commoratum scribit.

Error Londinensis in castro Cantabr.

247 Sed à castro & vrbe ipsa, ad scholares redeo Aluredianos, qui Gulielmi etiam primi temporibus quemadmodum partim paulò supra demonstrauimus, Oxoniæ studuerunt; licet apud Bostonum Buriensem, Haraldum primū Oxonienses scholas subvertisse (erant ergo Haraldi etiam temporibus) non antè verò Robertum Pullenum sub rege Stephano easdem restitutas, Londinensis se legisse scribit: ex quo antiquarium Oxoniensem, qui vel quod civium partes adversùs regem Oxoniam tunc (si placet) obsidentem secuti fuerint, vel Anglicanæ linguæ conservatæ (quam rex extinctam cupiebat) causâ, Gulielmum primum scholarium pensiones ac cēsus grauiter imminuisse, immò eiecisse, prodidit, se abundè refutasse existimat.

Iniusta Londinēsis in Oxoniensem Antiquarium calumnia

248 A me verò non est vt rationem expectes omnium quæ Antiquarius Oxoniensis aut dixerit aut tacuerit. Illud scio (vt in illa obsidione Exoniā pro Oxonia trito errore accipi quod & Londinēsis & Camdenus & alij observarunt, omittam, quemadmodùm & in Gorbomanno, Grantham, in agro Lincoln. pro Granta tua accipi Stoveus tradit) Ingulphum Croylandensem prodidisse, Gulielmum primum, Anglicanæ linguæ vsum (quem postea tamen autore Rosso Hēricus primus restituit) interdixisse; tametsi non ignorem, nō solùm apud Stoueum sed & alibi Gulielmum primum, char-

tas

tas suas Anglicanâ linguâ exarasse: *Normannorum porro guerris, scholarium possessiones ablatas fuisse* autòr est Ioannes Rossus.

249 Ex monumentis quoq; Collegij Vniversitatis Aluredianæ hominem convincam: vbi sic lego: *Memorandum quod circà annum domini octingentesimum, Rex Aluredus aliàs Alfredus, fundauit collegium istud: cuius exhibitio sumebatur à scaccario Regio continuè vsq; ad conquestum saltem exclusiuè: tūc Willielmus conquestor pro viribus nitens destruere linguam Anglicanam, dictam exhibitionem retraxit, nolens vlterius nutrire clericos ad prædicandum fidem in nostro vulgari idiomate: & tum vixere scholares Collegij diu ex sola devotione diligentium linguam nostram quousq; vt sequitur indotabatur &c.* A'uredianorū Scholarium census a Gul. primo imminuti sunt.

250 Quis hæc crederet, qui monasterij Cadomensis historiæ fragmentum autore Gulielmo Pictavensi Luxouiorum Archidiacono legeret? vbi, non solùm Aluredum ipsū egregiè laudat, sed etiam quæcunq; aut Sanctæ Ecclesiæ aut pietatis causa gesserit, vnà cum cæterorum Regum gestis se confirmasse Gulielmus dicit? hanc quoq;. inter Edvardi boni leges, quæ reverà Aluredianę sunt, *Omnis clericus & etiam scholares, & omnes eorum res & possessiones vbicunq; fuerint, pacē dei & sanctæ Ecclesiæ habeant*, autore in Archaionomia Lamberto, Gulielmus primus confirmavit & tamen hic Aluredianos scholares suis bonis spoliavit? non sic Henricus quintus, Normāniæ subactor, qui bonarum literarum studium ab Oxoniensibus vti diximus derivatum Cadomi primus instituit, vt quos Normannus ipse in Anglia summis iniurjs vexavit, eosdem ipsos suorum iam præceptores haberet. Atq; ita Oxoniensis antiquitas ad Gulielmum, interrupta tamen fortassis temporum iniquitate serie, perducta est.

251 Cæterùm quoniam literariæ rei series atq; ordo ex literatorum hominum successione perquam optimè colligi posse videtur, duodecem istius successionis tam ex parte Oxoniæ quàm Cantabrigiæ ab hisce temporibus repetitos, testes religiosos proferamus: vt vel hoc vnico experimento Duodecim. antiquit. Oxon. argument. validissimum.

atq;

atq;argumento,quid de vtriusq; antiquitate ac literis sentiendum sit,solidissimè constare nobis posset.

252 Etenim,vt antiquissimos illos nō solū Britānos apud Asserium,sed etiam Saxones de quibus diximus,propter interruptam inquam eorum seriem,nec perpetuâ satis memoriâ continuatam & confirmatam,omittam,& ad recentiores aliquantò deveniam,quorum series multò clarior & illustrior existit,Oxonienses,primum antiquitatis suæ testē in hoc ordine,Croylandensem Historicum habent Ingulphū.Oxoniensem verò eum fuisse,ipse in historia sua author est, dùm sic scribit.*Ego Ingulfus constitutus primùm Westmonasterio,postmodùm Oxoniensi studio traditus, cùm in Aristotele arripiendo suprà multos coætaneos profecissem,&c.*

Duodecem antiquitatis Oxon testes.

253 Illud verò prætereundum non est,hunc Ingulphū Gulielmo Neustriorū duci anno regni 8.Domini vero 1052 adeòcharum extitisse vt ad EdwardūConfessorem in Angliam venienti, scriba statim fieret ,ætatem tunc virilē agens, ex quo sequitur eum primis saltem Eduardi confessoris aut fortasse Cnutonis temporibus Oxoniæ studuisse: siquidem ipse in dicta: historia sua puerilium oppositionum ac velitationum,quæ ei optimæ indolis puero cū Edgitha Edwardi Confessoris vxore,fœmina laudatissima intercesserāt,meminerit.Quod vero multorum suorum coætaneorum simul Oxoniæ studentium meminerit , illud quidem præclarum non antiquitatis est tantùm , sed & celebritatis argumentum.

Ingulphus quo tempore Oxoniæ studuit.

254 Secundus eiusdem antiquitatis testis est,celeberrimi,iuxta'ac antiquissimi nominis Astronomus,qui tabulas Oxonienses conscripsit,& à quo vniversa familia Oxoniensium Mathematicorum (ob summam calculandi peritiam, *Magistri probationum* à veteribus dicuntur)originis suæ rationem traxerunt,Ioannes Manduith.

255 Hunc Mertcnensium Regestra sub Edwardo secūdo,illius Collegij socium commemorasse penè dixissem,nisi ex antiquitatibus ecclesiæ Dunelmensis alium eiusdem nomi,

2 Manduith,

minis circa Edwardi secundi ac tertij, tempora, Mathematicum, & Richardi Buriensis posteà Capellanum ibidem floruisse, didicissem.

256 Illius enim superioris, Richardus Wallingford sivè de Sancto Albano Mathematicus talis, *qualis à suo tempore vsquè in præsens apud Anglos non surrexit*, vt loquitur Ioannes de Granario in parte operis sui de historijs & historiographis prima, in verbo Invenire (Albeonā enim fecit quasi *all by one.* i. omnium aliorum instrumentorum commoditates, ad vocabulum Albani quoquè alludens, Mertonensis sub Edwardo primo alumnus, in opere suo quod *Exafrenon prognosticationis temporum vocat*, vereor tamen nè Exafrenon pro Exameron legatur quod de Lyncolniensis Examero sæpè apud veteres vsuvenit, quod sic incipit, *Ad perfectam notitiam iudiciorū artis Astrologiæ quæ non regulata ex effectibus planetarum oriuntur, &c*: quod initium nō Exafreno, sed libello de iudicijs Astronomicis, ascribit Baleus) disertam his verbis facit mentionē cap. 2. *Verumtamen* (inquit) *si habueris tabulas calculatas pro ascensionibus villæ tuæ, cuiusmodi sunt tabulæ Manduith calculatæ ad latitudinem Oxon, certissimè poteris scire ascensionem hoc modo, &c*: hæc incertus ille author quicunque fuerit; non enim (vt iam quòd sentio dicam) eum, Richardum Wallingford esse posse existimo, si vel solam temporis rationem respicias.

Mathematicū instrumētum All by on.

Tabulæ Oxonienses.

257 Autor enim Exafreni quo tempore floruerit, ex calculatione sui temporis intelligitur: *quæsivi* (inquit) *locum planetarū anno Arabū 646. completo qui est annus Christi, 1249, mense quarto, die eiusdem mensis 15. hoc est decimo septimo Cal. Maij &c.* Arabici anni completi mensis vltimus est Dilhaga: ex quo colligitur eum circa annum domini 1249. floruisse: At Richardus Wallingford, Rectangulum suum sic inchoat, *Rectangulum in remedium tediosi & difficilis operis armillarū eodem tempore quo composuimus Albion, hoc est, anno Christi* 1326 *concepimus, &c*: autor igitur Exafreni, Richardo Wallingford S. Albani Abbate, annis ferè octoginta antiquior est: vt illud omittam Mertonense collegium non ante annum domini,

Rich Walling ford non est author Exafreni.

1274 (vt vulgo creditur) fuisse fundatum:

258 Ioannis Manduith quoq; meminit in loco prædicto Ioannes de Grannario: atq; ex eo, & Radulpho de Longo campo, Ptolomæum Astrolabium planum invenisse scribit. Ptolomæum enim & Arzachelem in suis, Ioannē Manduith fuisse secutum, author est Gualtherus Odyngton monachus de Evesham in suo de planetarum domibus libello: *vbi* (inquit) *tabulam suam æquationis* 12. *domorum ad latitudinē* 50. *grad. &* 50. *min. sicut* (inquit) *est Oxonia, non per se sufficere absq; prioribus tabulis Arzachelis & Ptolomæi qui tradunt modum calculandi tabulas ascensionum signorum certissimas fundatū de æquatione, per quorum doctrinam Magister Io. Manduith de arcu recto & arcubus versis & eorum cardinibus tabulas subtiles & vtiles compilauit.*

259 Hæc ille de tabulis Oxoniensibus Ioannis Manduith, ad similitudinem Toletanarum secundum Arzachelem, (non secundum Alfonsum, cuius posteriores scilicet tabulas vt certiores & suis tunc temporibus aptiores quia recentiores, Thomas VVerkworth Mathematicus itē Oxoniensis in suo de sphæra tractatu anno domini 1350. & recentiores Mathematici, Arzachelis præposuerūt, licet & hæ quoq; Alfonsinæ processu temporis, indies obsolescent) vti enim ex tabulis Gulielmi Rede patet, Oxoniæ meridies præcedit meridiem Toleti nisi per quatuor gr: æquinoctialis circuli, quibus 16 minuta vnius horæ correspondent, ac proinde horæ coniunctionis veræ ad meridiem Toleti, vertuntur in Horas civitatis Oxoniæ per additionem 16 minutorum, cùm Toletum distet ab Oxonia per 15. minuta, 43 scrupulos & dimid: minuti horæ vnius.

Meridianus Oxon.

260 Quo autem tempore Ioannes Manduith Oxoniensis Mathematicus floruit, ex ratione Astronomicæ calculationis, & temporis in quo Arzachel Hispanus & Rogerus Herefordensis Anglus, floruerit, constabit: scribit enim Erasmus Reynholds, anno domini 980; Copernicus vero & Tycho Brahæ (quibus magis accedo) anno domini millesimo.

Calculatio tēporis Ioannis Manduith.

mo ſeptuageſimo, Arzachelem floruiſſe.

261 Augem verò ſolarem quo loco Arzachel ſuo tempore invenerit, ex eius in ſuas tabulas Canonibus, ſatis conſtat. *Cùm volueris* (inquit) *æquare ſolem, extrahe mediū curſum eius ſicut prædictum eſt & ſcribe eum in duobus locis & ex vno eorum minue augem ſolis, ſc. duo ſigna & ſeptendecim Gr. & l. minuta, &c.* hæc ille: nam ſi duo ſigna, ſcilicet Arietem ac Taurū, de curſu ſolis minueris, habebis eum in Geminis.

262 Herefordenſis verò quo in loco ſuo tempore augem deprehenderit, ipſe pro me dicet in cap. x. Theoricæ Planetarum. *Sit ergo circulus* (inquit) *ſignorum Q. B. K. in cuius centrum, C. ſit B, caput Arietis, & M. caput Libræ & circinetur intra iſtum circulum Eccentricus ſolis cuius centrum ſit. E. & fiat diameter, Q E. C. K. tranſiens per augem ſolis & per augis oppoſitum ſcilicet per decimum octavum gradum Geminorū et Sagittarij, & c.* Herefordenſis igitur augem ſolis in xviii, Arzachel vero in xvii (interiectis aliquot minutis) gradu Geminorum, ſuo tempore invenit; adeò finitima eſt vtriuſque tēporis ratio, quinquaginta enim minuta de decimo octavo gradu tēpore Arzachelis confecta fuerunt: Herefordenſis igitur, annis non multò pluribus, quàm ſunt minuta inter vtramquè augem, Arzachele ipſo inferior eſſe poteſt. Aux Solis.

263 Nam ſi vel integri gradus inter vtramquè augem diſcrimen eſſet, nulli certè Aſtronomi vnius gradus periodo vltra 60. aut 70. annos aſſignādos cenſuerunt; excepto Ptolomæo; qui quoniam ſuo tempore, motū Apogęi valdè tardum deprehendebat, ideò centum annos integræ vnius gradus revolutioni conceſſit, quā allocationem recentiores Mathematici meritò correxerunt. Apogæi motus tempore Ptolomæi.

264 Cui profectò negotio (vti videtur) floruit quondā Oxoniæ, Mathematicorum quoddam quaſi collegium, qui iſta omnia obſervabant, & fideli calculatione in tabulas ad poſteritatis memoriam reponebant: nam Thomas Werkeworth Oxonienſis Mathematicus octavā ſphæram per motum verſus orientem, à tempore Ptolomæi vſq; ad præſentē Mathematicū Collegiū Oxonæ.

annũ quo ipſe hæc obſervabat atq; ſcribebat, h.e. anno dom. 1350. ſexdecim gr: & 10. minuta, acquiſiviſſe dicit; *ſicut expertum erat:* (inquit) *Oxoniæ per multos valentes*; quos ideò ait Almageſto Ptolomæi ſexdecim gradus & minuta decem addidiſſe, quia octava ſphæra à tempore Ptolomæi tantũ proceſſiſſet, cuius motum Simon Bredon Mertonenſis, ſumma diligentia illo tempore calculavit & æquavit; adeò vt Oxonienſes Mathematici cæteris omnibus id temporis fere Mathematicis lucem prætuliſſe videantur.

Oxonienſium Mathematicorum præſtãtia

265 Etenim Paulus de Middleburgo Epiſcopus Forofempronienſis in ſua adverſùs ſuperſtitioſum quendam Sortilegum Invectiva, ſe ex Albumazar, Henrico, Meſchalâ, Alkindo, tabulis Alfonſi Toletanis, & Oxonienſibus, calculũ ſuum exaraſſe, probaſſe & confirmaſſe ſcribit: quod idem in iudiciali de Accidentibus mundi tractatu fecit Ioannes de Eſchendon, Mertonenſis quoquè Mathematicus, qui inter ſummos Mathematicos, Ptolomæum, Dorotheũ, Meſchalam, Alkindum & Hermetem vtrumque, Lyncolnienſem, Oxonienſem certè Mathematicum enumerat, (quod & Iac: Chriſtmannus in Alfraganum fecit) & ex illorum dictis ſua ſe confirmaturum ſcribit. quin & ex antiquis Oxonienſium tabulis Camdenus noſter, Longitudinem & Latitud: civitatum Britannicarum exquirit, vt in Iſca ſeu Exonia & alijs nonnullis apud eum videre licet.

Lelandi error

266 Iam, ſi Herefordenſis (quem Lelãdus etſi nullo iure, Cantabrigienſem fuiſſe colligit quià fortè in illius opera Cantabrigiæ incidit, quæ Oxoniæ quoquè ſunt, quaſi id temporis Cantabrigia per Croylandenſes fuerat incæpta) tantæ antiquitatis fuerit, longè ante Henricum ſecũdum, ſub quo tamen floruiſſe author eſt ex Lelando Baleus, profectò Ioannes Manduith erit antiquior, immò & ipſi Arzacheli par, quem Herefordenſis autorem ſe ipſo ſuperiorem citat, dum caput decimum ſeptimum Theoricæ planetarum ſic inchochoat; *Tabulæ autem aſcenſionis ſignorum in circulis obliquis diverſæ ſunt in regionibus diverſarum latitudinum: ſi autem habueris*

ris tabulam de ascensionibus factam secundum latitudinem tua regionis sicut est tabula Magistri Ioannis Manduith facta Oxon de ascensionibus signorum per illam operaberis sicut dicam tibi, &c.

267 Vndè perspicuum est Ioannem Manduith eodem tempore quo Arzachel Toleti, Oxoniæ vna cum Ingulpho aut eius coætaneis circa annum Dom. 1070. floruisse, hoc est paulò antè conquisitionem Angliæ, vel ipso quidem cóquisitionis tempore: vt hinc intelligas quo loco antiquissimis illis temporibus res literaria Oxoniæ steterit. Nequè deest huic supputationi Magistri Thomæ Allani viri de Mathematicis optimè meriti authoritas; ex cuius bibliothecâ hæc hausimus.

Io Manduith. quando Oxoniæ floruit.

Gul. Herbert.

268 Gulielmus Herbertus, plurimarum vir literarum, Oxoniæ natus (autore ex Alexandri Nevilli perlustratione Norwici, Godwino) & educatus, cognomento Losenga (lusingare Italis est adulari) à Gulielmo Rufo Cathedralis Ecclesiæ Norwicensis Episcopus anno domini 1085. constitutus, de cuius moribus nihil hoc in loco dicẽdum, tertius esse potest eiusdem antiquitatis testis.

269 Cui quartum adiungo Henricum primum, eruditionis nomine Belloclericum. Hunc Londinensis suum esse vehementèr contendit; non solùm ex monacho Wyntoniensi Thoma Rudburn qui Henricum istum in liberalibus artibus in *Universitate Cantabrigiensi primum suum tyrociniũ protrivisse* scribit, cũ autores eius quos teste Baleo in sua Chronicâ Rudburnus adhibuit, Rudburnum dico seniorem, Io. Langdenum, H. Huntindonensem, Mat. Parisiensem &c. nihil huiusmodi habeant, & Henricus primus 12. aut 13. annos regnaverat, ante studij Cantabrigiensis per Croylandẽses monachos inceptionem (nam Ieoffridus ipse qui monachos emisit, vndecimo regni Henrici primi vt in appendice dicitur, factus est Abbas Croylandensis) sed etiàm ex Lelando ipso qui in Cygnea cantione hæc habet

Quid? quod Granta novem dicata Musis
Henrici pietate literati

Tersis prænitet erudita linguis.

Londinẽsis iniuria in Lelandum.

270 Quæ verba licèt ad Henricum Belloclericum Londinensis fraudulẽter suo more detorqueat, sunt tamẽ de Hẽrico octavo non primo, intelligenda; cuius opera adhibitis linguarum professoribus Checum, Smithium & alios Lelãdus nominat,(in Oxonia verò Sheprævum, Hocherũ, Cheadsegum, Caium &c.)Granta tersis tùm linguis prænitebat autore Lelando, cui in suo in Henricum octavum Panegyrico consentit Thomas Chalonerus.

Aula Regia H. primi Oxoniæ.

271 Ego verò ex Ioanne Rosso Henricum Belloclericum(si non in tyrocinio at saltem aliquandò)Oxonię literis incubuisse convincam. *Rex* (inquit) *Henricus novam Aulam Regia mansioni congruam Oxonia incæpit, in qua anno domini* 1130 *Pascha Regaliter tenuit, & ibi modò est domus fratrum Carmelitarum: & quoniam pro illo nobili palatio & respiratione cleri, & novo parco cum novo in Woodstocke, ipse nobilis rex & vir magna literatura in ipso comitatu Oxon dulce habuit morari.* hæc Rossus, qui cleri Oxoniensis meminit sub Henrico primo, eumquè cleri causa, hoc est literarum causâ, Oxoniæ fuisse commoratum scribit.

H. primus Oxoniæ studuit,

272 Quo tempore, Capella SanctiGeorgij intra castrũ Oxon à Roberto de Olleyo primo sub Gulielmo primo fũdata, ab eodem dotata est. *Mortuo vero Roberto illo primo sinè corporis sui herede, frater eius carnalis* (loquor ex libro Olneyensi) *ei in hæreditatem successit, ac Robertum de Olleyo secundum genuit, Henrici regis primi Constabularium,* qui ad Vxoris Edithæ, super augurio quodam de Picarum(vt aiunt) cantu, admonitæ, petitionem, monasterium quoddam in Insula Osney, Sanctæ Mariæ Deiparæ nomini consecratum, anno domini 1120. regnante Henrico primo, condidit: cui Radulphum fani Frideswidæ Canonicum & S. Theologiæ Bacchalaureum, illius operis suasorem in primum Abbatem constituit: cui post nouem annos & sex menses, Magister Wigodus etiam eiusdem fani Canonicus & S. Theologiæ bacchalaureus successit. duos hic habemus S. Theologiæ

Cænobij Osneyensis fundatio.

Oxo-

Oxoniæ sub H. primo bacchalaureos, Radulphum & VVygodum quos hic inter testes non commemorabo.

273 Sed ne de vera ac visibili Academiæ Oxoniensis forma etiam primis Henrici primi temporibus dubitandum censeas, referam tibi profecto ac vt res gesta est ex Regestris enarrabo, quod cum ni fallor anno D. 1558. inter D. White Academiæ Procancellarium ac Doctorem Tresham Ædis Christi Canonicum de iurisdictione in monasterij Osneyensis finibus exercenda, quam Procancellarius ad se spectare voluit, lis ingens oriretur. venerabilis vir Dominus Doctor Tresham Decani ac totius Capituli nomine, chartam quandam Roberti de Olleyo secundi, illius scilicet monasterij fũdatoris, produxisse, ostendisse, ex eaq; plenam & absolutam à iurisdictione Cancellarij exemptionem probasse atq; cõfirmasse dicitur, quo successu haud scio. interim illud cõstat, Cancellarium Academiæ tunc extitisse quemadmodum res ipsa loquitur, ac tantorum virorum iudicio liquet, siquidem ab eo quod non est, exemptio esse non potest: quod si tunc temporis Cancellarij nomen & autoritas non extitisset, illa certe exemptio quam Rob. de Olleyo pro suis comparauerat, nouæ & recẽti Cãcellarij iurisdictioni nõ præiudicasset.

274 Ad quintum testem deveniam Henrici primi Capellanum, Guymundum. *Hic enim anno domini* 1122. *Henrici vero Regis* 22°. *videns quod rex clericos suos fere illiteratos in Episcopos promoueret, alijs dignitates, alijs reditus non modicos conferens sibi (literatus cùm esset) & integræ opinionis, nihil præter victum & vestitum à rege donari, indignans super hoc, die Rogationum cùm Rex Missam audiret, ipse lectionem propheticam in qua scriptum est non pluet super terram annos* III, *& mẽses* VI. *sic pronuntiando legit, non pluet super terram* I. I. I. *annos & mẽses* V. I, *distinguẽdo notas, clericis omnibus super hoc admirantibus ipsumq; deridendo subsannantibus: increpatus igitur post missam à Rege & interrogatus quarè sic fecisset, subridendo respondit, quia vos sic legentibus Episcopatus & Ecclesiastica beneficia confertis: ideoq; sciatis me de cætero soli Christo Regi Regum summo seruiturum, qui* Guymundus.

sibi

sibi seruientibus non solum temporalia beneficia largiri nouit, sed & æterna: ex qua confusus responsione rex Ecclesiam Sanctæ Fridesuuidæ Oxon ad capellam suam spectantem cum omnibus pertinētijs suis ei dedit, qui mox eiectis inde Canonicis secularibus qui vsq; ad id tempus eidem Ecclesiæ præfuerunt, Regulares sibi Canonicos congregauit, quorum ipse primus Prior extitit, dictam Ecclesiam feliciter regens annis decem & novem: hæc liber Fridesuuidæ.

275 Post Gwymundum, sextus testis est circa eadem tempora Theobaldus Stampensis. Hic (vt videtur) Oxoniæ magnam cum Thurstano (quem alij Thurstinum & Trustinum vocant) Eboracensi posteà Archiepiscopo familiaritatem contraxit: incæpit per ea tempora Oxoniæ & Parisijs teste Baleo cent. 2. cap. 72. in appendice, gravissima quæstio inter Seculares & Religiosos de professionis suæ præstantia agitari: de qua Thurstanum ad Magistrum Theobaldū Stāpensem familiarem olim suum tumq; Oxoniæ agentē scripsisse constat, eius hac de re sententiā implorantem, vel quod ipse Fontanensis monasterij fundationem moliretur ab Eboracensibus monachis incæptam, vel quòd deposito Archiepiscopatu, religionem ingressurus erat autore Gulielmo Neubricensi libro primo cap. 14.

Theobaldus Stampensis.

276 Theobaldus verò, vt ipse Secularis, ita Secularium adversus monachos partes secutus, Thurstano, in quodam libello quem Improperiū in monachos vocat (estquè in Oxoniensi bibliotheca) respondit: libellus sic incipit: *Thurstano Dei gratia laudabili Eboracensium Archiepiscopo, Theobaldus Stampensis Magister Oxenfordiæ, sic Christi summi Pontificis vicem gerere, vt inter eiusdem Vicarios sedem mereatur obtinere, &c:* vbi cùm multa alia adversùs monachos, tùm Clericorū paucitatem deplorat cui alter qui adversùs eum scripsit incertus quidem autor, hoc modo respondet, *Tu quoque nescio quis nonnè Magistri vice Sexagenos aut Centenos plusuè minusvè clericos regere diceris?* Ex quo Theobaldum alicuius tum aulæ aut collegij Oxoniæ præfectum apparet.

277 Theobaldi Stampensis sivè Theobaldi Anglici

ex Panvinio Grammaticastro qui sub Henrico octavo floruit, meminit Baleus cent. 10. cap. 66. & cent. 13. cap. 85. ac Stampensem suum, opus ad Robertum Capitonem composuisse dicit, ac anno 1250. claruisse: sed omninò extra locũ: non enim ad Capitonem sive Robertũ Grosted, sed ad Thurstinum scripsit, qui anno domini 1115. floruit autore Neubricensi, ac magnas cum Cantuariensi Archiepiscopo de sua professione lites exercuit, autore Malmesburiensi, Matheo Cant. & Gulielmo Rede in vitis Cantuariensium, & Gulielmo Boolde.

278 Septimus est Gualterus Calenius Archidiaconus Oxon, qui sub Henrico primo etiam apud Baleum anno domini 1120. floruisse legitur. Gualterus Calenius.

279 Robertus Pullenus sivè Pullus, octavus est, de quo suprà in libro primo ex Rosso diximus, testis: de eo hæc iam sufficiant, quòd Oxoniensium studia penè neglecta resuscitaverit: autore Bostono Buriensi, Lelando atq; Baleo; de civitate Exoniæ, Oxoniam veniens, ibiquè per quinquenniũ publicè legerit, autore incerto qui sic incipit, *Anglosaxones Marciani principis, &c.* idquè in S. Theologiæ scholis, vt testatur Chronica Osneyensis; ac bonas literas ab interitu vindicavit; autore Ioanne Sarisburiensi primo Metalogici, capite quinto, qui discipulus eius fuerat: (inquit enim secundo Metalogici capite decimo se *Robertum Pullum & Simonem Pexiacensem, in rebus Theologicis, per aliquot annos præceptores habuisse*) vt is iam Nonus accedat testis; floruisse vero sub finẽ Henrici primi, ac initio Stephani Regis anno dom. 1134. vt author est ex Chronico Osneyensi, Ioannes Rossus. Rob. Pullenus Io. Sarisburiẽsis.

280 Eiusdem temporis est testis Decimus qui autore Baleo anno dom. 1128. Oxoniæ floruit, vir vndiquaque doctissimus Celsus Armachanus.

281 Iam vero pro duobus vltimis, vndecimo quidem teste ac Duodecimo, ego certè octo meorũ nominabo, quorum tu quęsvis si velis accipias, ea tamen conditione, vt si minùs de vno persuaderi potueris, alterũm illius loco, certioris Octo testes pro duobus.

 fidei

fidei teſtem, ſumere non dedigneris.
282 Primus eſt Robertus de Bertune, de quo, in Chro-
nico incerti authoris, ad finem Mariani Scoti, MS. in publica
Robertus Bertune — Bibliotheca Oxon ſic lego: *anno 1153. Robertus Reverendus*
Prior Lantonienſis Eccleſiæ, ad Herefordenſem præſulatum electus,
à Willielmo Doroberniæ Archiepiſcopo, 3. Cal. July, Epiſcopus con-
ſecratur Oxenfordiæ. Quem ego etiam Oxenfordiæ ſtuduiſſe
exiſtimabo, donec tu aliter docueris. Secundus eſt inſignis
ille Hiſtoriographus Gul. Malmeſburienſis, qui anno Dom.
2. Gul. Malmeſ. — 1142. obijt. Sane ipſius viri eruditio, ſatis indicat, vbi educatus
edoctuſq; fuerit: & quanquam in neminem inciderim, qui
eùm Oxonienſem fuiſſe diſertè affirmare velit, Oxoniæ ta-
men eum rei hiſtoricæ incumbentem affuiſſe, ex ipſius ver-
bis auſim dicere; nam de reſtituta ab Ethelredo, Frideſwidæ
Eccleſia, in Oxonia, ſic ſcribit. *Legi ego ſcriptum quod in Archi-*
vo eiuſdem Eccleſiæ continetur, index facti. At Archiva illius ec-
cleſiæ, niſi ipſe ad fuiſſet, perluſtrare nullo modo potuit: hoc
ergo mihi crede indicat, non minus Malmeſburienſem ipſū
Oxoniæ, rei antiquariæ operam dediſſe, quam illud ſcriptū
indicavit, Ethelredum, illius reſtitutionis fuiſſe authorem.
3 Gualt. de Conſtantijs. — Tertius eſt Gualterus de Conſtantijs: quem anno D. 1181. Ox
oniæ Archidiaconum extitiſſe, & poſtea Lyncoln: Eccleſiæ
Præſulem, teſtatur Florilegus, Lelandus, atq; Baleus. Quar-
tus eſt eiuſdē pene temporis paulò tamē antea, Robertus ſci-
4. Ro. Canutus — licet Canutus, anno D. 1170. initio Henrici ſecundi, S. Frideſ-
widæ in Oxonia Prior, quemadmodum ex monumentis
hodie liquet; idem affirmat Lelandus ac Baleus. Inter cætera
ſcripſit hic libros tres de connubio Iacob, ad Laurentiū fra-
trem, qui in bibliotheca Collegij Bailliolenſis. MS. extant:
præfationem vero ſic orditur: *Dum adhuc ſcholaris, ſcholarum*
5. Rog. Houeden. — *inſiſterem regimini &c.* vnde eum olim Oxonienſibus Recto-
rem, aut Lectorem extitiſſe credendum eſt. Quintus eſt præ-
clarus hiſtoriæ author, Hovendenus, qui anno D. 1204. au-
thore Baleo claruit. Quem ſi Oxonienſem fuiſſe neſcis, audi
Robertum Parſons, authorem hac in re (vtinam quoq; in cæ-

te-

teris) satis idoneum, qui in sua ad D Franciscum Hastinge Admonitione, controuersia, 2. cap. 10. ad hunc sensum, Anglicè verbatim, quem ego latinè reddam sic scribit. *Sub Richardo primo, Henrici secundi filio, Rogerus Houendenus, Doctor & primarius Theologiæ lector in Oxonia, totam S. Thomæ vitã scripsit, quemadmodum in illius extat historia*, hæc ille. Sextus verò est ipse Thomas Becket; Cantuariẽsis sub Henr. 2. Archiepiscopus; quem Gul. Worcestrensis, superius in catalogo Oxoniensium his verbis repetit. *Sanctus Thomas Cantuariensis, in lege ciuili*, scilicet, *Oxoniensis Doctor*. Septimus est Rob. Foliot Archidiaconus olim Oxõ. & posteà scilicet an. D. 1174. Herefordensis Episcopus vt Baleus & Godwinus. Octavus est Io. Malborne Theologus Oxoniensis, provt incertus quidã author duas litteras *T. E.* nominis sui præ se ferens, in Epistola sua Anglicè scripta ad Reginaldum Scot. asserit; quam quidem Epistolam, in libro eiusdem Reginaldi de *Veneficij Detectione*, in medium prolatam, leges. equidem aliquando putavi, Io. Malborne eo in loco, pro Io. Mylvertono occurrisse. Sed illam hæsitationem, vtriusq; authoris temporis collatio sustulit: siquidem Ioannem Malborne ante annos tercentũ à suo tempore (circiter 20. abhinc annos) Oxoniæ floruisse, idem author T. E. affirmat: at Milvertonus, centum & aliquot annis (nisi valde fallor) eo recentior est, vti apud Baleum constat: librorum quoq; & operum ratio satis distinguit: scripsit enim Malbornus adversus Magiam artificialẽ librum, vti idem author habet, eximium, cuius quidem inter opera Mylvertoni nulla mentio occurrit. Qui quidem liber, quoniam in veteri Saxonica lingua scribebatur, quẽadmodum *T. E.* asserit, ideo ego certè existimo vel Malbornum nostrum, Saxonica ætate, vel paulo post, & longè ante trecentos annos Oxoniæ floruisse: siquidem annis abhinc circiter 300. immo & multò ante id tẽporis, Saxonicũ idioma desuetudine neglectũ & à paucissimis intellectũ iacuit: ille vero adversus Magiã & Veneficia liber, ad cõmunẽ & vulgarem vsum scriptus fuisse videtur. Atq; ita octo pro duobus

6. Tho. Becket

7. Rob. Foliot.

8. I. Malborne.

testes habes, quorum tempora, eodem quo nobis occurrerũt modo, apposuimus: sed dubitandum non est, eos multo antea in minore ætate (quod præcipuè obseruari velim) prima bonarum artium rudimenta, Oxoniæ imbibisse: ac posteà, Henrici primi, Henrici secundi, & Stephani regis tẽporibus claruisse.

283 Iste Stephanus, ius coronæ Angliæ invadens, concilium suorum Oxoniæ tenuit autore Polydoro libro xij: vbi multos ad vtilitatem cleri articulos stabilivit, ac confirmavit, quos tamen ipse magno suo incommodo neglexit; non solũ enim Oxonienses, sed & Vniversos penè Anglos malè in se animatos habuit, idq; alia quoq; de causa, quam hic non omittam.

284 Nam Edgarus Ethelingius Edwardi Exulis filius, Edwardo autem Confessori affinis & hæres destinatus, ab Haraldo de suo iure deiectus tamen Oxoniensis prouinciæ Comes creatus est; quam dignitatem etiam Normannis ingressis tenuit: mortuus vero postea in Scotia ἄπαις, sororem Margaretam (Malcolmo Scotorum Regi nuptam) hæredem reliquit: cuius filia Matilda Henrico primo postea desponsata, in persona Matildę Imperatricis Hẽrici Regis Angliæ secundi matris, Saxonicum sanguinem coronæ Anglię iterùm restituit, eaq; de causa de Anglis optimè merebatur: nequè Stephanus regnum obtinuisset, nisi Hugo Bigotus octauus, Henricum primum morientem, Matildæ, Stephanum præposuisse iuramento suo confirmasset, quam ob causam Norwici Comes à Stephano creatus est.

Stephanus quomodo imperium adeptus est.

285 Matilda verò Imperatrix, cum in castro Oxon à festo Michaelis, vsq; ad Natale Domini, à Stephano Rege fuisset obsessa, candidis induta vestibus, noctu per nivem effugit, & Wallingfordiã se contulit: *Verum quia durante castri Oxoniensis à Stephano obsidione, Parochiani capellam Sancti Georgij in castro ipso ingredi non potuerunt, ideo super fœdum Sancti Walterici* (loquor ex libro Osneyensi) *super medietatem decem & septem acrarum terræ quas Osneyensibus* [x] *Bernardus de sancto Wal-*

[x] Alias dicitur Wernardus.

Wallerico dederat, capella Sancti Thomæ Apostoli haud procul à castro iuxta Northosneyam constructa est, atq; ob id capella Sancti Georgij in castro Oxon. à Roberto de Olleyo secundo cum omnibus suis pertinentibus Canonicis Osneyensibus Regularibus, data, & à Galfredo Iuereyo confirmata fuit.

286 Quo tempore Rogerus Sarū Episcopus, possessiones quas antea per iniuriam, *Bishopsmore scilicet molendinum, terras de Ara Fridesuida, pratum quod præstoit dicitur, Binseyam, ac quæcunq; ad Hydam de Walton pertinebant*, abstulerat, Priori & conventui. S. Fridesvidæ restituit, *cum ipsa feria, rebus omnibus & dignitatibus, quæ ad prædictos Canonicos infra vniuersitatem Oxenfordiæ* (loquor ex ipsius charta) *iure pertinebant*

287 Intereà rem eccè: eccè (inquam) antiquitatis Normannicę duodecim (hunc enim iudiciorum morem Normāni ipsi voluerunt) ex parte Oxoniæ fidelissimos testes: tanta integritate & gravitate in vnum consentientes, vt neminē eorum reijcias: accede igitur ad horū tribunal, animadverte quid loquūtur nisi in causa Cātabrigiæ tuæ, antiquiores tibi adsint sine quæstionibus atq; torturis in subsellia prodeuntes, quorum cum nominibus, tempora libenter ediscerem.

288 Etenim post Cantabrigiæ per Croylandenses incæptionem, ab Alfredo Beverlaci Thesaurario qui sub Stephano floruit, seriem Cantabrigiensium incæpissem, nisi Lelandus dixisset eum Cantabrigiensem fuisse, vti fertur: non igitur certò affirmat, sed quemadmodum Virgilius, Fama est Enceladi semivstum fulmine corpus, vrgeri hâc mole &c: Cui Rogerum Herefordensem, Lelandi quoq; coniecturâ Cantabrigiensem, nisi id fieri non posse, (superiùs demonstratum esset (floruit enim aliquanto ante Croylandenses) adiunxissem.

289 Primus igitur Cantabrigiensis successionis testis, erit, qui anno dom. 1251. floruit, Vincentius Coventrianus: secundus Humphredus Neckton, anno 1259. Tertius Elias Rubeus sub Edwardo primo Cantabrigiensis (vti fertur) inquit Baleus, concedamus tamen, ne omnino omnia adversa-

rio præsidia subduxisse videremur. Reliqui sunt, Thomas de Illeya anno Dom. 1290. Thomas Langforde sub Edwardo secundo: Hugo de Sancto Neoto sub Edwardo 3°. Simon Burnestonus Cantabrigiensis quoq; (vt fertur) inquit Baleus sub Edwardo item 3. Rogerus Glactonus, anno dom. 1340, Galfredus Graundefeld, eiusdem temporis, ac Ioannes Folsham: accedunt Io. Repingale, & Richardus Wetherset aliàs Cantabrigiensis, qui eodem tempore anno videlicet 1350. sub Edwardo 3. floruerunt.

Comparatio testium Oxon cum testibus Cantabrigiésibus.

290 Hi sunt apud Lelandum ac Baleum, Cantabrigiensis studij post incæptioné per Croylandenses, antiquissimi omnium testes: quibus si constiteris, necesse est vt Oxoniam longè antiquiorem fateare, quod ex horum temporum cõparatione facile intelliges. Nam Ingulphus in serie Oxoniẽsium primus, quiq; puer Oxoniæ studuerat, Gul. Neustriorũ ducis, circa annum domini millesimum quinquagesimũ primum, anno vero Edwardi Confessoris octauo aut nono (eo enim tempore Gulielmus venit in Angliam primùm) factus est scriba.

291 Allocatis vero annis viginti aut circiter, quibus puer Oxonię studuerat, annum millesimum tricesimum habebimus, sub Cnutone primo; atq; hactenus Ingulphi tempus protenditur: adeoq; inter primum Oxoniensem & primum Cantabrigiensem, in hac serie testem, iuxta computationem Florilegi, sunt anni 221. inter vltimum vero Oxoniensem ac vltimum Cantabrigiensem sunt anni centum & duodecim: & tamẽ vltimus in serie Oxoniensiũ, demptis duodecim annis, penè par est cum primo in serie Cantabrigiensium. Atq; hæc de antiquitate Normannica.

292 Nam si de antiquitate Britannica agatur, multò maius discrimen inter vtriusq; Academię originem futurum est. Licet enim maiores nostri, Academiam suam Oxoniensem, adeò antiquam censuerint, *vt nullam certam illius originis ac principij memoriam existere* dixerint (Parisiensi enim multo antiquiorem, etiam apud summum pontificem Romanum

contenderunt) nos tamen ex Asserio vsq; à temporibus sācti Germanni (vtcunq; ante id tempus res se habuerit) Oxoniæ antiquitatem, licet interruptâ serie, iure optimo, repetere possumus.

293 A cuius tempore, vsq; ad Cantabrigiæ per Croylandenses monachos inceptionem, circa annum domini 1113 aut 1114. sub Henrico primo (cùm S. Germanus anno dom. autore Florilego 446. in Britanniā venit) sunt anni fere Octingenti, ad nostra vero tempora, hoc est ad annum domini 1608. sunt anni mille ac ferè ducenti; ab Aluerdiana vero Oxoniæ restitutione ad Croylandenses Cantabrigiæ autores sunt anni plus minusuè trecenti; ad nostra vero tempora, circiter 730. à tempore autem incæptionis studij Cantabrigiensis, per Croylandenses, ad præsentem dominicæ incarnationis annum, sunt anni circiter quingenti. à tempore verò quo Oxonia, Vniversitatis privilegia ac iura accepit, ad tēpus quo Cantabrigia de studio facta est Vniversitas sicut Oxonium per curiam Rom: sunt anni plus minùs 456.

Latum discrimen inter antiquitatem Oxon & Cantab.

294 S. enim Neotus anno dom. 882. aut 883, Oxoniēsis gymnasij confirmationem obtinuit provt supra declaratum est, à pontifice Rom, Martino secundo. Cantabrigia vero, non idem obtinuit ante an. dom. 1318. aut 1319, quemadmodum ex Bulla Ioannis Vicesimi primi dicti Vicesimi secundi in superiori libro ostensum est. Sicut enim Aluredus non simpliciter Oxoniæ aut illius scholæ, sed Vniversitatis Oxoniæ primus fundator extitit teste autore etiam incerto qui sic incipit, *Tractatus iste compendiose extractus de diversorū historiographorum libris* &c. Floruit vero anno dom. 1462, sic Edwardus eius nominis post conquestum secundus, Cantabrigiæ: eo enim autore, Cantabrigiensis Academia non solū Oxoniensium privilegijs ornata, sed etiam pontificijs immunitatibus primùm aucta, ac Vniversitatis nomine insignita publicè (cùm anteà privatæ tantùm institutionis censeretur) ac declarata fuit.

295 Sed pergo ad Henricum secundum; cuius tempora

Decimum Tertium Antiquitatis Oxon. Argumentum

ra Thomam de Becker, Oxoniensem vti paulò superiùs dictum est, in iure ciuili Doctorem, autore Gulielmo Worcestrensi, Archiepiscopum Cant. ex Anglorum gente post conquestum primum, nobis suppeditant, licet dubium non sit eum multò anteà, tenerâ ætate, strenuam Oxoniæ literis ediscendis operam navasse.

S. Thomas Cantuariēsis Oxoniensis.

296 Oxoniensis fuit hic primus post conquestum (vti diximus) Archiepiscopus Cantuariensis; illam sedem Normannis (*ô domus antiqua, quàm dispartibus dominis dispar* licet nec Anselmum nec Lanfrancum iusta laude priuari vellem) vsq; id temporis obtinentibus: cui non pauci Oxonienses in eadem dignitate successerunt, Sanctus Edmundus, Stephanus Langtonus, Robertus de Kilwarby, Ioan. Peckham &c. etiam antequam Cantabrigia de studio, facta Vniversitas per curiam Rom. fuerat: vt illud taceam, non ante Tho. Crāmerum, quenquam alterius illius Academiæ alumnum, illā Metropoliticæ dignitatis sedem obtinuisse: quanquam ab eo tempore, multos illius Academiæ, literis & pietate insignissimos, maiores nostri illic sedisse meminerint, iamq; hodie Reverendissimum & Amplissimum in Christo patrem, Oxoniensis Academiæ Cancellarium dignissimum, illic fæliciter, ad maximum Ecclesiæ nostræ profectum, Ἀρχιεπισκοπεύοντα videmus. Sunt tamem qui Ioannem Vfforde anno Dom 1348. ad illam sedem nominatum Cantabrigiensem fuisse scribunt : quod vtcunq; illis darem (quanquam paulo ante illud tempus quendam Ioannem Offorde in iure Canonico Oxoniæ incæpisse non ignorem) tamen Archiepiscopum fuisse nego, siquidem quia Canonice electus non erat is, sed Tho. Bradwardinus Oxoniensis, ideo nec pallium vnquam nec consecrationem obtinuit.

Non fuit Archiepiscopus Cant. ex Cantabrigiensibus ante Cranmerum.

297 Neq; verò Vnicum est Thomę Becketi, doctrinę Oxoniensis sub Henrico secundo testimonium: est quoq; vti diximus Walterus de Cōstantijs, Archidiaconus Oxoniensis, & postea anno dom: 1181. autore Florilego, Lyncolniensis Ecclesiæ Præsul, qui idem loquitur ac profitetur. Adhuc quoq;

Walterus de Constantijs.

quoq, Hæretici Gerardini, qui postquàm Galliam ac Germaniam, pestiferis suis institutis imbuissent, ac iam tùm Ecclesiam Anglicanam, Thomæ Cantuariensis iniurijs vexatã atq; iactatam vidissent, summa innovandi spe huc convolarunt, *duce quodam Gerardo, in quem omnes tanquam principẽ respiciebant.*

298 Verum Angliæ scutum illud septemplicis formæ Oxonium, hæreticorum machinas facile dissipavit; vbi Rex Henricus discutiendæ hæreseos causâ, Episcopale conciliũ congregaverat; vbi à clero Oxoniensi convicti, non solum in cute, verberibus, sed etiam stigmatibus in fronte notati, hæreticæ pravitatis infamiam ex vrbe & Academia reportabant, *edictoq; Regio cautum, vt quos clerus Oxoniensis hæreseos damnasset, eos nemo hospitio aut solatio confoueret.* hæc Neubrigensis lib. 2. cap. 13. Hæretici Gerardini ab Oxoniensibus cõuicti.

299 Nec dissimile est quod apud Matheum Cant. legimus, à Stephano Cantuariensi sub H. 3. concilium Oxoniæ in Ecclesia de Osney fuisse celebratum, *in quo iuvenis quidam hæreticus qui se Iesum Christum nominavit, duæq; cum eo mulieres vtriusque Maria, Deipara, ac Magdalenæ nomina vsurpantes, damnabantur, & crucifigebantur:* Diaconus quoq; alter, in eodem concilio Apostasiæ convictus, clericali gradu privatus, flammis consumptus est; cuius rei meminit Io. Stoveus in H. 3. sed paulò fusius Math. Parisiensis, Trivethus, Baleus, &c. sed & Hæreticorum dux sub H. quinto, Ioannes Sharpe, textor Abindonensis, vt referunt Annales Londonenses, Oxoniæ quoquè convictus, meritas luebat hæreseos pænas. Pseudochristus Oxoniæ convictus. Io. Sharpe.

300 Præter hæc, ad rem facit quod Henricus secundus rex ipse, an. dom. 1180, translationi corporis Sanctæ Frideswidæ apud Oxoniam, personaliter adfuit, *quo tempore morabatur apud Oxenfordiam studiorum causâ clericus quidam, Stephanus nomine, de Eboracensi regione oriundus*, vt inquit Philippus S. Frideswidæ Prior, in libro suo de miraculis, S. Frideswidæ, qui sic incipit, *Domini saluatoris nostri virtus & sapientia, &c.*

301 Richardum verò primum, Angliæ Regem, anno dom. 1157. Oxoniæ natum quid commemorem? Qui ad ornādam Academiam Oxoniensem, cùm in exteras partes discessurus, regnum suum firmo regimine stabiliret, nō Londini solùm, sed & Oxoniæ imprimis, vbi natale solum fuerat, nec non & alijs celeberrimis locis, Maioris & duorum, (nam Henricus tertius, duos alios addidit) Aldermannorum societatem instituit; cives Oxonienses in Londinensium civium iura ac libertates ascribi, & Maiorem civitatis Oxon, in festo coronationis suæ, de Botelaria sibi inservire voluit, quas dignitates multi qui secuti sunt eum Reges, confirmarunt.

Richardus primus quomodo Oxoniæ profuit..

302 Quàm verò res Academica sub eo floruerit etsi satis constet ex eo quod H. tertius, Maiorem civitatis Oxon ad scholarium imprimis pacem institutum fuisse sæpè scribat, ex initio tamen regni Ioannis luculenter patebit; quis enim crederet illis præsertim temporibus, Seculares clericos quicquā in Religiosos potuisse, quibus omnes tùm studebant, quos omnes tuebantur ac diligebant, nisi maxima autoritate, magnisq; privilegijs muniti fuissent? quod Frideswidæ Religiosi satis tùm experti sunt, qui Academiæ iugum non antè excutere potuerunt, quàm summis votis, precibusq; talem chirographum Academiæ nomine à Cancellario, totoq; Oxoniensium Magistrorum cœtu, impetrarunt.

Chirographus Oxoniensium scholarium de Canonicis Frideswidę nō vexandis.

303 *Sciant Vniversi per præsentes nos Cancellarium Universitatis Oxon cum toto cœtu Magistrorū eiusdem, teneri & per præsens scriptum firmiter obligari Priori & conventui Sanctæ Frideswidæ Oxon & eorum successoribus in ducentis libris moneta Anglicanæ soluendis eisdem, aut eorum certo Attornato, hoc præsens scriptum obligatorium ostendenti, cum conditionibus subscriptis: Videlicet, quòd si contingat nos præfatum Cancellarium, ac cœtum Magistrorum Universitatis prædictæ, seu aliquem vel aliquos ministrorum nostrorum per se, vel alios, præfatos Priorem & conventum, seù aliquos vel aliquas infra septa monasterij Sanctæ Frideswidæ prædictæ inhabitantes vel habitantes, inquietare, molestare in aliquo seu gravare per aliquam citationem, monitionem aut arrestationem fa-*

ctam seu in futurum vel perpetuo faciendã, tunc benè licebit dictis Priori & conventui & eorum successoribus vel eorum certo Attornato præfatam summam ducentarum librarum de nobis & successoribus nostris recuperare, & in suos vsus proprios recipere, toties, quoties deliquerint vt prædictum est, sine dilatione aliquali: et ad istã obligationem cum conditionibus supradictis bene & fideliter faciendis, obligamus nos & successores nostros & vnumquenquè nostrum per se solùm & in solidum in omnibus bonis nostris mobilibus & immobilibus vbicunquè fuerint inventa. In cuius rei testimonium, sigillum nostrum commune præsentibus est appositum. Datum Oxoniæ in domo nostræ congregationis in festo S. Iacobi Apostoli, anno dom: millesimo ducentesimo primo. Hoc est secundum computationem Florilegi, anno Regis Ioannis. 3°.

304 Quod antiquissimum esse fateor scriptum, quod de Oxoniensium rebus, salvum, illæsum, & authentico Vniversitatis Oxon sigillo quo iã vtimur munitũ, vidi licèt fortè nõ eodem sigillo numero; Nam Petrus Anglicus aliàs Payne; sigillum commune Vniversitatis Oxon, sub quo Pragẽsibus suis scripsit, *Oxoniam & Vniversam Angliam, Pragensis fidei fuisse, furto surripuit* autore Tho: Gascoigne in DictionarioTheologico, in verbo Episcopus.

Sigillum Vniuersitatis Oxõ furto sublatũ.

305 Præter hoc vberrimum testimoniũ, occurrit apud Florilegũ, Gulielmus de Oxonia, Prior de Southwerke: multiquè apud Lelandum id temporis, scriptores Oxonienses, præclariq; literarum proceres. Accedit colloquium Regis Ioannis & Magnatũ suorum apud Oxoniam, anno regni sexto: & dominicę nativitatis celebratio apud Oxoniam, anno regni septimo: & contempta illa scholarium Vniversitatis Oxoniæ reverentia, quâ ob duorum clericorum suspensionem minùs iustè à Rege commissam, tota Vniversitas dispersa est, qua de re suo loco fusiùs dicemus.

306 Desijsset hic oratio, maximè cùm Vniversitatis Oxon Archiva, ac Memorabilia ab Henrico tertio repetita, satis plenam huiusmodi rerum memoriam contineant; nisi absurda Londinensis de re quâdam magni certè momenti

Decimũ quartum & vltimũ antiquitatis Oxon argumentum.

oratio, & communis error malè sentientium, me ad refutandum propulisset. Scriptũ reliquit Oxoniensis Antiquarius, Aluredianam Theologorum Aulam magnam, à tempore Gulielmi primi, vsq; ad Henrici istius tempora, minùs secunda fortuna olim fuisse vsam: tum verò Archidiaconum Dunelmensem Gulielmum nomine, eximium literarum & literatorum Mecęnatem, virtutibus tamen quàm opibus ditiorem, manus in eo miserabili Collegij statu pro virili sua parte adiutrices porrexisse: & certam pecuniarum summam ad Regij operis instaurationem ex testamento legasse; qua prædia empta sunt, adeò tamẽ pauca, vt eorum reditus vix quatuor alendis collegis essent satis, &c.

Londinensis error, & calũnia in Oxoniensem Antiquarium.

307 In quo Londinensis, Oxoniensem graviter accusat, quasi veteratoris subdoli more, Ioannis Balei sive Lelandi verba, cent. 5. cap. *69*. de Richardo Aungeruyle, sive Buriensi, Episcopo Dunelmensi, ad Gulielmum hunc Dunelmi Archidiaconum & de Aluredianis alumnis optimè meritũ, detorsisset.

308 Causa erroris fuit, eo quod Baleus Richardũ hunc Episcopum Dunelmensem, Oxoniæ olim studuisse ex Rosso (apud quem in libro de Regibus nihil huiusmodi est) literarũ ac literatorũ Mecęnatẽ suâ ætate maximũ fuisse, quod & de Gulielmo Archidiacono Dunelm: Antiquarius prodidit, & eximiam publico studiosorum commodo, bibliothecam Oxoniæ instituisse scribit; quam bibliothecam, nec non & Aulã ab eodem, si Londinensi credimus, Oxoniæ Vniversitatis nomine dictam, institutam, pro Magna Aula Vniversitatis, sivè Alurediani Theologorum Collegij, per Gulielmum Archidiaconum Dunelmensem restitutâ, vti prædictum est, iniquissima ratione accipit Londinensis; ac blandiente ipsi tùm hominum, tùm fortassè rerum ipsarum similitudine, omnia miscet confunditquè, vt si possit omnem illius antiquissimæ restitutionis memoriam, si non tollere, at saltem de loco suo deijcere, ac multò quàm res patitur, recentiorem facere videretur.

309 Illud autem se facturum putavit, si antiquissimi restitutoris factum, Gulielmi scilicet Archidiaconi Dunelmensis, sub Henrico tertio, Richardo Aungeruyle, qui Edwardi tertij tempora non excessit, ascriberet.

310 Imprimis enim ijs omnibus Antiquariolis adversatur, qui collegium sive Aulam Vniversitatis in Oxonia per Gulielmum Archidiaconum Dunelmensem vel sub Aluredo Rege, vel saltem per Gulielmum Episcopum Dunelmensem sub Gulielmo primo, anno scilicet regni duodecimo cœpisse tradunt, quemadmodum in Episcoporum Dunelmensium gestis Io. Stoveus se legisse dicit. Quorum illos vt Londinensis non aliter quam proprio suo errore refutavit, dum Gulielmi & Archidiaconi nomen illis tẽporibus inauditũ fuisse affirmat, de quo à nobis alibi dictum est, ita nos quidem paulo rectius Stoveũ, dum anno Gulielmi primi duodecimo, nullum Gulielmi profecto nomine Episcopum Dunelmi sedisse dicimus.

311 Quem enim Gulielmum intelligit? Sine dubio, Gulielmum de Kairlipho, à monasterio Sancti Carilefi sic dictũ de cuius ad sedem Dunelm. electione, Turgotus eodem tempore Prior fidelissimè sic tradit; *Transactis post occisionem Walcheri Episcopi sex mensibus, & decem diebus, anno imperij Willielmi quinto decimo, Abbas monasterij S. Martyris Vincentij, Willielmus ab ipso rege electus, Episcopatum Dunhelmensis Ecclesiæ, quinta Idus Novembris suscepit regendum; ordinatio verò illius, aliquanto post, id est, tertia nonas Januarij, videlicet in octavis S. Ioannis Evangelistæ, die Dominica; præsente rege & Episcopis totius Anglicæ astantibus, ab Archiepiscopo Eboracensi Thoma, solenniter est adimpleta, &c.* hæc ille, ex quo quis est qui Io. Stoveum, ab eo qui Gulielmum hunc anno Gulielmi regis primi duodecimo Episcopum Dunelmensem sedisse prodidit, insigniter deceptum fuisse non videt?

Gul Kairlipho Episcopus Dunelmensis.

312 Londinensem quoq; totam causam in tantas angustias, inani quadam gloriatione coniecisse, vt poetam Oxoniẽsem, Hugonem scilicet Coriatum, Chronographicæ de-

ſcriptionis collegiorum Oxon autorem, Collegium Vniverſitatis ſub Aluredo per Dom. Gulielmum Archidiaconum anno 873. cæpiſſe affirmantem, non aliter refutaverit, quam totum ei concedendo, ea conditione, ſi is vel vnum Epiſcopum, Abbatem Archidiaconum, Ducem aut Equitem, Gulielmi nomine dictum ante S. Edwardum proferre potuerit; *Nam diligenter* (inquit) *obſervavi & in ſerie Epiſcoporum omniũ ſeu catalogis, in teſtimonijs Epiſcoporum, Abbatum, Ducum atq; Militum, in chartis regum antiquorum, nullum nominatum Gulielmum; Robertum, Thomam aut Ioannem ante Edwardum Sanctum, &c.* hæc Londinenſis lib. Antiquit. Cantabrig. 2.

313 Ego verò, quanquam non neceſſe habeo, Coriato noſtro in omnibus adhærere, quis tamen eſt qui tantum cõcedente libenter adverſario beneficium negligeret? pro Coriato igitur, varie illud nomẽ apud antiquos ſcribi ſolere, reſpondeo: interdum enim Gulielmus, interdum Willielmus, Wilhelmus, Wolfhelmus, & Quichelmus ſive Quicelmus dicitur, idq; ex vſu aliorũm intelliges: ſiquidem pro Alfredo, hic Ælfredum, illic Alfricũm, ſæpe Aluredum habes: & Piers deflexum eſſe à Petro nomen non dubito: Wulfhelmi igitur nomine duo occurrunt Epiſcopi; alter Bathonienſis, Herefordenſis alter, vterq; ni fallor circa annum Dom. 900. & ante Edwardum Sanctum: Quichelmus, vero ſive Quicelmus, à Theodoro anno Dom. 677. conſecratus eſt Epiſcopus Roffenſis vti ex Beda lib. 4. hiſtor. cap. 11. apertè conſtat. Quicelmum vero eſſe Willielmum ex impreſſis exemplaribus cognoſces, in quorum pulcherrimis & accuratiſſimis, ſic lego, *Theodorus in civitate Roffi Wilhelmum conſecravit Epiſcopum.* Cui lectioni favet Tho. Stapletonus qui in verſione Anglica Willielmum quoq; in eo loco legit, & Godwinus in ſuo catalogo, dicit Bedam Quichelmum, VVillielmum appellare; nec in Manuſcriptis & Impreſſis exemplaribus alicuius eſt momenti diſcrimen, ſi idem nomen ſit, vt iſti exiſtimant, Quicelmus & VVillielmus.

Gulielmi nomen an in vſu fuerit apud maiores ante tempus Ed. S.

314 Iam vero, quoties de Ioanne Mailroſio, Ioanne

Scoto

Scoto Erigena, & Ioanne de Beverley Archiepiscopo Eboracensi & alio Ioanne apud Asserum multo ante Edwardū Sanctum cogito, toties profectò tanti me pudet erroris Lōdinensis, quo is Ioannis nomen suum quoq; ac proprium, non ante Sanctum Edwardum maioribus nostris innotuisse scribit: Concede igitur mi Londinensis, poetæ nostro quod affirmavit ille ac tu promiseras, Gulielmum scilicet sub Aluredo rege Archidiaconum Dunelmensem, Collegium Vniversitatis fundasse, anno 873. ac profectò videbis quàm iniquum te geris arbitrum, qui Gulielmi illius antiquissimi factum, ad Richardum Aungervile, multis Sæculis recentiorē, detorquere conatus es.

Ioannis nomē Vsitatum apud Anglos ante tempus Eduardi. S.

315 Deindè ex Baleo ipso hominem convincam. Baleus enim cum Lelando, hunc Gulielmum, à, sivè de Dunelmo cum Gulielmo Shirwode eundem fuisse existimat, aut quod idem est, Gulielmum Shirwode non alium ab illo Gulielmo fuisse: at Gulielmum Shirwode nō solùm tempore à Richarchardo Aungeruyle (toto enim centenario & magis absunt) verùm etiam rebus gestis seiungit: hunc enim institutæ bibliothecæ, illum revocationis scholarium Oxoniensium nomine, post interdictum legati (idque ex Io. Rosso) extollit: satis enim aptè Gulielmus Dunelmensis (supposito quod sit idē cum Gulielmo Shirewood) Oxonienses scholares reduxisse dicetur, si collapsas eorum res suis beneficijs auxerit post tantas prę sertim iniurias à Legato illatas. Ideò Rossus sic scribit: *Demùm supervenit quidam bonæ memoriæ Doctor Theologiæ, Magister Willielmus de Deorrham, quondam socius magnæ aulæ Theologorum Oxon; qui 300. libras pecuniæ Vniversitati Oxon contulit pro 13, 12, vel, 10. Theologis in eadem aula in futuro sustinendis; & erat ipse Archidiaconus Dunelmensis, & secundùm Matheum Parisiensem in Chronicâ suâ obijt anno domini 1249. rediens à Romana curiâ eminentissimè literatus*; hæc Rossus.

Restitutio Aulæ Theologorum Oxon per Gul. Dunelm. aliàs Shirwode.

317 Infirmam tamen esse Lelandi atq; cum eo Balei existimantis, Gulielmum de Dunelmo, eundem esse cum Gulielmo Shirewoddo coniecturam hinc apertè liquet, si

qui-

quidem autore Matheo Parisiensi, Gulielmus de Dunelmo anno Dom. 1249. diem obijt: at Gulielmum de Shirewoode anno 1267. in vivis extitisse, ex præfatione Rogeri Baconi, operi minori ad Clemētem quartū, qui ex Onuphrio historiæ pontificiæ principe, anno Dom. 1265. sedere cæpit, præfixa, luculenter patebit; vbi dùm tarditatis suæ in scribendo veniam deprecatur (nonagenarius enim tunc fuit) sic scribit. *Quod adijcio probare potestis per sapientes famosiores inter Christianos tempore præsenti, quorum vnus est frater Albertus de ordine prædicatorum, alius est Magister Gulielmus de Shirewoode Thesaurarius Lyncolniensis Ecclesiæ, longe sapientior Alberto, nam in philosophia communi nullus maior est eo.* hæc Baconus.

318 Quem idem opus Anno 1267. scriptum ad Clementem pontificem transmisisse, alibi ex eodem opere vbi de Kalendarij correctione agit, satis quoq; apparet dum sic inquit. *Ab anno probationis Ptolomei sunt nunc de annis Domini 1127. eo quod nunc sit annus Domini 1267, à quibus si demantur, 140. qui fluxerant ab incarnatione vsq; ad probationem Ptolomei, remanebunt 1127.* hæc ille. ex quibus efficitur eū quem Baconus Gulielmum Shirewooddum vocat, longe diversum ab eo esse de quo nunc agitur Gulielmo Dunelmensi, quod Lelandum præterijsse sane nō miror, cum & Matheum Parisiensem & Rossum ipsum in alijs huius argumenti circumstantijs (ne quid tantis nominibus derogetur) non parùm aberrasse video: id quod ex instrumento quod mentiri nescit, in Archivis, in Aluredianı Collegij publico Vniversitatis Oxon sigillo corroborato iudicabis, cuius magnam quæ ad præsentem rem spectat, partem transcribam.

Lelādi lapsus.

319 *Omnibus Christi fidelibus ad quos præsens scriptum pervenerit, Magister Lodovicus de Chapyrnay doctor. S. Theologiæ Cancellarius Vniversitatis Oxon, Doctores S. Theologiæ, & Procuratores eiusdem per Vniuersitatem deputati, salutem in domino sēpiternam: Cùm ad laudem dei & augmentum cleri, Magister Gulielmus Byrkley, Adomarus de Chewingham, Radulphus Senewne executores bonæ memoriæ Magistri Willielmi de Dunelme Archi-*

chi-

* chidiaconi de Dunelme, nobis & Vniuersitati deliberauerint quadringentas marcas bonæ monetæ Angliæ ad acquirendum & emendum certos reditus, terras & tenemẽta, disponenda pro exhibitione sex Magistrorum in facultate artium magis propinquorum partibus Dunelm: in perpetuum, prout in testamento dicti Magistri Wilhelmi plenius continetur, Sciatur igitur, nos Magistrum Lodovicũ de Chapyrnay, Doctorem, S. Theologiæ & Cancellarium Universitatis Oxon, doctores, S. Theologiæ & Procuratores eiusdem habentes autoritatem totius Vniversitatis nobis deputatam, ad honorem Dei stabilimentumque nostræ Vniversitatis, dedisse, concessisse, & hac præsenti charta nostra confirmasse Magistro Rogero Caldwel, custodi, ac socio seniori Magnæ Aulæ Universitatis Oxon, & scholaribus eiusdem, octo messuagia cum gardinis, &c.* (& in fine eiusdem) *Et nos Magister Lodovicus de Chapyrnay Cancellarius de Oxon, Doctores. S. Theologiæ & Procuratores eiusdem, habentes autoritatem à totâ Vniversitate nobis deputatam & concessam, ad dand. tenementa, terras, prædictis custodi seu seniori socio aulæ prædictæ & socijs eiusdem & eorum successoribus contra omnes gentes Warrantizabimus, acquietabimus, & defendemus in perpetuũ. Pro quâ quidem Warrantizatione, acquietantia, & defensione, dedimus soluimus & deliberavimus trecentas marcas bonæ monetæ Angliæ præmanibus, pro dictis octo messuagijs libero reditu & quatuor cottagijs, de pecunijs antedictis. In cuius rei testimonium, sigillum nostræ Vniversitatis apposuimus. Datum Oxoniæ x°. die mensis Iulij, Anno regni Regis Henrici tertij post conquestum Angliæ quarto.* Hoc est anno domini secundum Florilegum, 1219.

Validissima ... pro restitutione Aulæ Vniuersitatis per Gu: Dunelm.

320 Lapsus igitur est sinè dubio Matheus Parisiensis, qui Gulielmum hunc Dunelmensem, non antè annum domini 1249 (qui iuxta eum est regni Henriciani tricesimus) diem obijsse scribit, cùm hîc testamenti & executorum eiusdem multò anteà fiat mentio. Illis quoquè temporibus, quẽ iam Magistrum dicimus (dixitq; superiùs Richardus Wittõ) Custodem magnæ Aulæ Vniversitatis fuisse dictum, non secùs quàm nos Cancellarium dicimus, quem superiores Cõmissarium dixere.

Mathei Parisiensis lapsus.

321 Accesserunt statim statuta, quæ sic incipiunt: *Hæc est copia ordinationum congregationis Regentium & non Regentiũ ex procuratione venerabilis Magistri Willielmi Dunelm: ad honestatem suorum scholarium, quæ fuerunt indentatæ inter Vniversitatem & dictos scholares, & ex vtrâquè parte alteri eodem tempore sigillatæ*, ex quibus liquet, socijs illius collegij, vnius tantùm marcæ dimidium (maioris erat marca valoris tunc dierum quam hodiè) Custodi verò, Magistro seu socio maximè quidem seniori, dimidium vnius marcę plusquam vlli è socijs annuatim allocationis loco cessisse; Quas ordinationes non ità multò post, anno scilicet domini 1311, non solùm totius Vniversitatis Oxon, sed & Decani Christianitatis (cuiusmodi officium illud fuerat nondùm nobis constat, nisi fortè Archidiaconus vel religionis censor aliquis ad arcendas hæreses in gymnasio constitutus) sigillo communitas, & confirmatas vidimus.

Decanus Christianitatis Oxoniæ.

322 Quis interim antiquitatis domus Sancti Petri in Cantabrigia tua, mi Londinensis obsecro locus? Quam tu adeò magni facis, vt anno domini 1280. fundatam fuisse glorieris, ideoquè Mertonensi Aula antiquiorem (quod posteà videbimus) cùm Oxonienses habeāt, non dico collegium, ab Aluredi tempore fundatum, sed multò antè primum Cantabrigiæ collegium, anno domini 1219. restitutum, idquè ab eo qui multo anteà (immò fortè antè natum domus, S. Petri fũdatorem) è socijs illius collegij fuerat vnus.

323 Hic igitur concede mi Londinensis: & si quis adhuc veritati locus, tantæ tuæ fraudis in Oxonienses iniuriæque pæniteat, doleat: redi quoque cũ Oxoniensibus meis in gratiam, quos læsisti, quos violasti, & à quibus tam charum, tãq; dignum antiquitatis suæ monumentum, extorquere omnino & vi eripere conatus es. Et quoniam de primo Collegij sive Aulæ Dunelmensis in Candytche fundatore, parùm certè aut nihil, quo pleniùs tibi satisfieri posset; de restitutoribus vero pauca quædam nobis occurrerunt; crede potius illud Collegium, in illo loco, multò antè Richardum Aungervile

per

per monachos Dunelmẽses, ad Neotericos optimarũ artium disciplinis imbuendos extitisse, quam Gulielmi Dunelmẽsis opus, longè quidem eo antiquius, & prius, Richardo Aungeruile, multò recentiori ac posteriori, ascribendũ esse: quod vt facias, diligenter moneo vt attendas.

324 Nam de Richardo Aungeruyle antiquitates Ecclesiæ Dunelmensis tradunt, eum in quadam villula propè Edmundi buriam patre Richardo Aungeruyle milite fuisse natum, posteà Regis Coferarium (cum Oxoniam reliquisset) tum Thesaurarium de Warderobe; tum privati sigilli clericũ ac vltimo Cancellarium Angliæ provt etiam refert Fr. Petrarcha qui in Gallijs de Insula Thule cum eo disputavit: *ita promotus fuit ab beneficia Ecclesiastica vt potuit expendere ad valorem* 500 *marcarum annuatim: factus fuit postea Episcopus Dunelmensis anno* 1334 *in præsentia Regis Edwardi & Reginæ, & Edwardi Regis Scotiæ, duorum Archiepiscoporum & quinq; Episcoporum, & septem comitum, cum vxoribus suis, & omnium Magnatum citra Trentam: dictum erat de eo quòd haberet plures libros quam omnes pontifices Angliæ, obijt Aukelandiæ* (vbi Philobiblon insigne illud opus perfecit) *anno* 1345, 14 *Aprilis*. hæc Dunelmenses antiquitates. Rich. Aungeruyle.

325 Sed ante obitum suum, apud Collegium Dunelmense in Candytch Oxoniæ, pulcherrimam bibliothecam publico totius Vniversitatis commodo instituerat: de qua ipsum religiosum testem in Philobiblo suo sic loquentem cap. 9. excitabo. *Imprimis enim, libros omnes & singulos, de quibus catalogum fecimus specialem, concedimus & donavimus intuitu charitatis communitati scholarium in Aula Oxoniensi degentium in perpetuam eleemosynam pro anima nostra & parentum nostrorum, nec non pro anima illustrissimi Regis Angliæ Edwardi tertij post conquestum & devotissimæ dominæ reginæ Philippæ consortis eiusdem, vt ijdem libri, omnibus & singulis Universitatis dictæ villæ scholaribus & Magistris, tam Regularibus quam secularibus commodentur pro tempore ad profectum & vsum studentium iuxta modũ quẽ immediatè subiũgimus &c*: hæc Richardus ipse. Bibliotheca Rich. Aungeruyle Oxoniæ posita.

326 Vanissimè verò argumentatur Londinensis, dum non bibliothecam solùm sed & Aulam ab eo Oxoniæ institutam supponit primò, (quod non est supponendum, cum hic Aulæ Oxoniensis i Aulæ Dunelmensis, non Aulæ Vniversitatis ad depravatum Londinensis sensum quæ Oxoniæ constituta erat, tanquam præexistentis meminerit) ac tum arguit, illam aulam quam Richardus Aungervyle posuit, non fuisse Collegium Dunelmense, quoniam extra muros vrbis in Candytche Collegium illud situm fuerat; ergo fuit Aula Vniversitatis ac proindè Aula illa ab Aluredo nec est condita, nec à Gulielmo Dunelmensi antiquitùs restituta.

Ridicula Londinensis adversus Aulam Vniversitatis argumentatio.

327 Cum tamen certò certius sit, non Aulam sed bibliothecam tantùm nec intra sed extra civitatis Oxon muros in Canditche Richardum Aungervyle posuisse. Magna vero Vniversitatis Aula intra muros civitatis iuxta portam fere Orientalem autore Rosso (atq; vt res ipsa loquitur) ab Aluredo fundatore posita est, non in Canditche extra muros & ambientem fossam, quæ à splendescentis aquę natura candida fossa dicebatur, secùs quàm illa etsi Regia satis tamen sordida, qua Henricus tertius Cantabrigiam murorũ loco cinxit (tùm autore Beda, rariores sint in illa provincia lapides, adeò vt anguillas suas, pro lapidibus, Eligenses monachi cõmutarent olim) quæ oppidi ipsius fæces nunquam planè digeret, donec vt quidam ait in Cantabrigiæ typo, amniculus de Trumpingtonia manans in illam profluat, & illius fæces diluat.

Responsio ad Argument. Londinensis.

328 Atq; vt intelligatur quantum Londinensis erraverit, Thomam de Hatfeilde anno domini 1345. privati sigilli domini Regis Custodem, Richardo Aungervyle, eiusdẽ Ecclesiæ antiquitates, successisse referunt; *Qui Collegium octo monachorum de monasterio Dunelmensi, & septem puerorum in artibus studentiũ Oxoniæ super Canditche fundauit, & dedit cuivniq; monacho decẽ libras annuatim, & cuilibet septem puerorum quinq; marcas: obijt autem Londini anno 1381, octavo Maij, sepultus tãdem Dunelmi in Ecclesia sua*, hæc antiquitates Dunelmẽses,

329 Ap-

329 Apparet tamen ex instrumento publico sub sigillo dicti Episcopi, fuisse in illo loco Oxoniæ monachos ante id temporis studētes: verba indentati statuti de Tho. Hatfeilde sunt hæc: *fundavit, ordinavit, & dotavit Collegium Dunelmense, in territorio nostro extra muros Oxon super Candytche, vbi monachi nostri studentes inhabitāt, & inhabitabant per anteà multis annis.* vt hinc constet, Dunelmense Collegiū multò ante Richardum Aungeruyle extitisse; cui is tantum Bibliothecam adiecit.

330 Aulam enim Periculosam olim dictam vbi iam sūt ædes Caufeildianæ, in loco qui Candytche dicitur, Adamus Browne rectiùs Broome Orialensibus suis concessit sub Edwardo secundo. Cuius Aulæ limites in charta donationis, ex parte occidentali, ad Collegium Dunelmense terminantur, super Canditche extra muros: licet in Osneyensis cænobij Rentali, Aulæ Delodelowensis sive Dunelmensis alias Spicerhall in parochia omnium Sanctorum intra muros, fiat mentio: sed nihil illa ad hoc Dunelmense Collegium, de quo iam quæritur. Situs Collegij Dunelm.

331 Non igitur Richardum Aungervyle, vllam Aulam, sive intra, sive extra muros Oxonię, sed monachos Dunelmēses, primis sine dubio Normannorum temporibus, Collegiū Dunelmense in Candytche extra muros posuisse, (quod collegium Richardus Aungervyle in Philobiblo Aulam Oxoniensem vocat) Richardum Aungervyle pulcherrimæ bibliothecæ accessione auxisse; post eum verò Thomam Hatfeild, honestissimis pēsionibus dotasse, atq; ditasse planè existimo: quæ illius erroris causa fuit, vt id Richardo quidem Aungervyll ascriberetur, quod reverà non ipsi, sed successori suo ascribendum est, Thomæ Hatfeild, vt rectè conijcit in catalogo Episcoporum R. Episcopus Asaphensis, Fr. Godwynus.

332 Vt nihil desit huic nostræ defensioni quam antedicto Londinensis argumento adhibuimus, quo minùs cæteris summæ antiquitatis Oxoniæ rationibus, istam addem, quòd Gulielmus Dunelmensis Archidiaconus, Magnam Au-

lam Theologorum Vniverſitatis Oxon, ab illuſtriſſimo Rege Aluredo fundatam, etiam multò ante primum Cantabrigiæ Collegium, reſtituerit, auxerit atq; dotaverit. Nunc ad reliqua tranſeamus; & primùm à Privilegijs incipiamus.

Libri ſecundi Finis.





ANTIQVITATIS ACADEMIÆ Oxonienſis Liber Tertius.



Rbem & Academiam Oxonienſem, ab Aluredo rege (vt Lucios, Arthuros & Cadwalladros omittamus) ampliſſimis privilegijs olim cohoneſtatam fuiſſe atquè ornatam, compluriũ graviſſimorum autorum ſententiâ in ſuperioribus comprobavimus. Librum enim Ariſtotelis ad Alexandrum de Regimine Principum, in quo de privilegijs ac immunitatibus ſcholaribus concedendis diſcipulum ſuum monuit Philoſophus, ad facti imitationem, Aluredo ſuo Mecænati benigniſſimo, in Lat. linguam verſum tradidit, ac commendavit Ioannes Erigena qui vulgo dicitur Scotus. datum eſt Aluredianum decretum ſupradictum ex Alfredo Rhievallenſi, quo præcipitur, vt inſtituendorum liberorum in ſtudijs literarum diligens adhibeatur ratio; quod ego inſtar privilegij Oxoniæ conceſſi habeo, cum ſatis appareat, eum fuiſſe locum, quo ad diſcendum ac docendum, ſuos Aluredus invitaverat, aut vt cum Aſſerio loquar (ſecũdum ſenſum etiam Lelandi qui Oxonienſem ſcholam apud Aſſerium in illis verbis tacitè ſubintelligi exiſtimat) congregaverat.

Oxonienſis ſcholæ priuilegia.

Aluredianum decretum Oxonienſes ſcholas neceſſario ſupponit.

1 Quapropter vt de antiquiſſimo hoc Aluredian o privilegio nihil vltra addam quàm quòd in ſuperiori libro de illo à nobis dictum eſt, venio ad Math. Cantuarienſem qui in Bonifacij Cantuarienſis vita, *illius primum forte prudentiâ factum eſſe ſcribit vt Oxonienſis Academia Regio diplomate con-*

fir-

firmaretur. fuit hoc à Bonifacio factum circa annum domini 1244: id est anno regni Henrici tertij 28. cũ Academia Cantabrigiensis ab Edwardo eius nominis post conquestum Angliæ secundo, non nisi multo postea instituta ac confirmata fuerit.

2 Henricum quidem tertium eo quo dictum est tempore Academiam Oxoniensem confirmasse, ex Archivis eiusdem Vniversitatis satis constat. mihi verò & multò antea idem confirmasse visus est, dum Vniversitatis Oxon nomine (quemadmodum & Nich: Tusculanus legatus in suo de oppidanorum maleficijs coercendis anno dom. 1214. vt in statutis Oxon dicitur) decreto, etiam ante id tempus, res gesserit atq; administrarit: quod ne dubium tibi videatur antiquissimum eiusdem Regis H. tertij in Roberti Hari Memorabilibus Vniversitatis Oxon scriptum, proferam, quo ille Parisienses olim scholares ad Oxoniam invitavit.

Invitatio Parisiẽsiũ in Angliam. & Oxoniam.

3 *Henricus dei gratia Rex Angliæ Dominus Hyberniæ, Dux Normanniæ, Aquitaniæ Comes Andegauiæ Magistris & Universitati scholarium Paris studentium salutem: Tribulationibus & angustijs non modicis quas sub iniqua lege Parisius estis perpessi humiliter compatientes, ob reverentiam dei & Sanctorum Ecclesiæ vobis piè subveniendo statum vestrum cupimus ad debitam reduci libertatem: undè vestræ duximus Universitati significandũ quod si vobis placeat ad regnum nostrum Angliæ vos transferre, & in eo causa studij moram facere, ciuitates, burgos vel villas quascũque velitis eligere vobis ad hoc assignabimus, & omnimoda sicut decet libertate & tranquillitate quæ deo placere & vobis sufficere debeat, vos gaudere faciemus. In cuius rei testimonium has literas nostras fieri fecimus patentes: teste meipso apud Rading decimosexto die Julij: anno regni decimo tertio.* hoc est secundum Parisiẽsem & Florilegum, anno domini 1228. Viginti ferè annos ante illam confirmationem de qua Math: Cant. locutus est.

4 Nam si huiusce rei veritatem suspectam habeas, eo quod nulla certa hoc in scripto Oxoniæ mẽtio occurrit, quorsum quæso Robertus Harus inter Oxoniensis Academiæ Memo-

Memorabilia reponeret? Quorsùm eundem Regem ad Burgenses Oxon ad transmarinas gentes in suis domibus honesto pretio recipiendas, quod in ijsdem Memorabilibus continetur, scripsisse existimas?

5 Audi quoquè Matheum Parisiensem illorum temporum æqualem; *Bonifacius* (inquit) *Oxoniam adivit, vt ibidèm cõvocatâ scholarium Vniversitate, quæ de diversis mundi partibus illic studuit congregata, factum tam nefarium seriatim in publico propalaret: vt sic non lateret per relationes earum, tanta culpa remotas etiam nationes: qui cùm illuc veniens civitati appropinquaret, perrexit ei obviàm in equis phaleratis & praelectis indumentis, innumerabilis cleri multitudo, & ei, vt decuit, tãquàm Archiepiscopo & totius Angliæ primati ac genere præclarissimo reverentèr occurrendo, applausum fecit & honorem, & pransurum in esculentis & poculentis abundanter respexerunt, quorum facetiam, gestus maturitatem, vestium compositionem, morum severitatem cùm Archiepiscopus & eius vmbratiles clerici Provinciales considerassent, confiteri cogebantur, quòd Oxoniensis Vniversitas æmula Parisiensis censeri promeretur.* Hæc ille, qui tamen non ignoravit, Parisienses tunc Oxoniæ studuisse. Alienæ gentes Oxoniæ studuerunt.

6 Quod etiam Paulus Aemilius in Ludovico 9. locum ipsum nominando, testatur: *Lutetiæ* (inquit) *florebant liberalia studia, iuventutis concursus vndiquè illùc fiebant: scholasticorum suorum nonnullos à civibus pulsatos conquesti, alij in alia cæterarũ vrbium Musæa concessere: Anglus proposita ingentium præmiorum honorum, vacationum, emolumentorum spe, aliquot eorũ milia Oxonium elicuit, solitudo exiliũq; literis indictum Lutetiæ videbatur:* idem D. Antoninus parte 3. tit. 9. idem historia Magdeburgensis cent. 13. cap. 8. idem Vincentius in spec. histor. lib. 30. cap. 137. idem deniquè Tilletus in suis collectionibus quas Gallicè recuelleys vocat: inquit enim *eo tempore Parisienses scholares, studij causa convolasse en la ville d' Ixonne que les Anglois appellent Hochsfort:* per Ixonne Oxoniam, per Hochsfort Oxenfordiam intelligens; licet non desint qui hoc factum sub rege Ioan. fuisse affirment, sed ratio temporis nõ patitur.

7 Neq; vero solùm in Memorabilibus sed & in libro Privilegiorum almæ Vniversitatis Oxon, quem idem Rob. Harus summa diligentia ex Archivis Regis & aliorum composuit, eiusdem Regis Henrici tertij de Rebellibus scholaribus coercēdis diploma extat de anno regni sui decimo quinto, hoc est anno domini 1231. cui Rob. Harus subscripsit, *Cōsimiles habere Cantabrigiam litteras de eadem Data mutatis mutandis.*

Cantabrigienses chartæ nō sunt eiusdem cum Oxoniensibus temporis ac Datæ.

8 Quod eo sensu intelligendum non est, quasi ista eadē privilegia eodem tempore Cantabrigiæ quo Oxoniæ concessa fuerint (illud enim fieri non potest) sed quoniam Edwardus Angliæ rex nomine secūdus Cantabrigiensibus permisit, vt Oxoniensium iura, libertates àc privilegia ad Academiam suam ad prototypi formam rectè instituendam vsurparent, & exemplaria illorum sibi confirmata obtinerent, ideò Cantabrigia consimiles cū Oxonia litteras habuisse dicitur: de eadem etiam Data: quia eam datam quam in Oxoniensium chartis invenerunt, in Cantabrigiensium chartas, scriptores ad firmiorem fidem faciendam, transtulerunt, cū revera Cantabrigiensium chartæ non nisi ab Edwardo secūdo initium sumant, quòd si antiquiores habeant (exceptis illis Arthuri, Honorij, Sergij, & Cadwalladri nugis) non sunt illa quidem nisi Oxoniensium Privilegiorum exemplaria.

Statut Acad: Ox. ex Annalibus Burton.

9 Henricianæ vero confirmationis rationem si ignoras, ex Annalibus Burtonensibus intelliges: in quibus sic habes. *Memorandum quod anno domini 1257. quarto Nonas Iunij in Ecclesia beatæ Mariæ Oxon pro bono pacis ordinatum fuit per Cancellariū & Vniversitatem Magistrorum Oxon in hanc formam quòd quicunq; Magister Regens transgressor statutorum Universitatis inveniatur à suis lectionibus per tres dies amodo sit suspensus iure & autoritate statuti in quo priùs cōtinebatur, suspendatur: et si venerit congregatione adhuc extante tam in inceptionibus Magistrorum quam in funerationibus Magistrorum & scholarium defunctorum, denuntient Procuratores ita, nos Procuratores denuntiamus te Magistrum suspensum autoritate statuti nisi in fide quā teneris*

teneris Universitati, dicas te credere habere rationabilem excusationem: & si non venerit in ipsa congregatione tunc idem fiet in proxima sequenti, denuntiato ei prius specialiter quòd intersit: & si in proxima non fuerit congregatione ad id ipsum faciendum, faciant Procuratores fieri congregationem qua vltra triduum non differatur: Protestatus est ibi tum David Archidiaconus Derby Canonicus Lyncoln coram prædictis Cancellario & Universitate, pro iurisdictione, autoritate & officio domini sui Episcopi Lincoln suorumque successorum & dignitate & consuetudinibus Ecclesiæ Lyncoln, nè quo adhac ijs per dictam ordinationem aut alia statuta Universitatis in aliquo præiudicetur: Cancellario & Magistris prædictis protestantibus quòd in his per sua statuta vel ordinationem, in nullo volunt nec intendunt præiudicare dicto Episcopo aut suis successoribus seu ecclesiæ Lyncoln in cuius rei testimonium &c. hæc Annales Burtonenses.

10 Fuit eo tempore Lyncolniensis Episcopus Henricus Lexintonus, qui iniquo animo tulit, quæ à Cancellario & Universitate Oxon de suspensionibus & interdictis quæ sui iuris esse voluit, agebantur: Oxonienses, vt diocesani iniurias declinarent, Regiam æquitatem appellarunt: *venerunt enim ad Regem apud Sanctum Albanum novem circiter Artistæ* (vt ait Math. Paris.) *qui querulâ voce coram rege in capella Sancti Oswini reposuerunt querimoniam de Episcopo Lyncolniensi qui contra statuta Universitatis antiqua & approbata nitebatur libertates scholariũ enervare; & statutu s est dies responsionis ad instans magnum Parliamentum, vt auditis partium rationibus, pacificarentur: eodémque die secretiùs dixit frater qui & hoc scripsit, domino Regi: Domine, pro domino curam habe iam vacillãte, Universitas enim Parisiensis tot altrix & Magistra Sanctorum Prælatorum non mediocriter perturbatur; si similiter vno tempore perturbetur Oxoniensis Universitas, cum sit schola secunda Ecclesiæ, immo Ecclesiæ fũdamentum, timendum est vehementèr ne Ecclesia tota ruinam patiatur: & Rex, absit quòd hoc contingat maximè meo tempore.* hęc Matheus.

Lis inter Oxoniẽses & Lyncolniensem de iurisdictione.

Oxoniensis schola Ecclesiæ fũdamẽtũ

11 Qui & suo tempore, antiqua & approbata Univer-

tatis Oxon privilegia fuisse commemorat:& Oxonienses in parliamento in hac litè,superiores evasisse paulò post tradit:nam & Regiam quoq; confirmationem (excussa iam Diocesani autoritate) Innocētij pontificis Romani illius nominis quarti bulla de conservandis atq; tuendis Oxoniensibus,statim secuta est,in hæc verba.

Innocentij quarti Bulla.

12 *Innocentius Episcopus servus servorum dei, dilectis filijs Universis Magistrorum & scholarium Oxon Lyncolniensis dioecesis salutem & Apostolicam benedictionem: Quarentes in agro scholastica disciplina scientia Margaritam,non immerito Apostolico favore prosequimur,& ijsdem ea concedimus per qua materia semota gravaminis,ipsorum status tranquillitas procuretur: hinc est quod nos vestris devotis precibus inclinati, personas vestras cum omnibus bonis ad vos communitèr pertinentibus qua in praesentiarū rationabiliter possidetis aut in futurum iustis modis praestante domino poteritis adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus: specialiter autem libertates & immunitates ab Episcopis, Regibus, Magnatibus & alijs Christi fidelibus vobis ritè concessas, sicut ea omnia iustè ac rationabiliter obtinetis,vobis & per vos vestris successoribus authoritate Apostolicâ confirmamus & praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostra protectionis & confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attemptare praesumserit, indignationem Omnipotentis dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Dat. Anag. 5. Calend. Octob. pontificatus nostri anno Duodecimo,*id est circa annum D. 1257.

13 Idem Episcopis Londinensi & Saritburiensi per suas bullas mandavit,vt antiquissimę Vniversitatis Oxon summam curam adhiberent, nec ab aliquo vexari paterentur: molestatores autem quoscunque censurâ Ecclesiasticâ ferirent,non obstante quocunque privilegio etiam papali.

14 Successit tamèn Lyncolniensis Episcopus Oliverus Sutton,qui anno dom. 1280. de Oxoniensis Cancellarij admissione, graves cum Oxoniensibus inimicitias gessit: cùm enim consuetudo obtineret, vt Cancellarius Oxoniensis re-

cèns

cēns electus non in personâ suâ, sed per nuntios & procuratores admissionem suam à Lyncolniensi peteret, nè ea consuetudo in ius tandem evaderet, ac vt ex merâ suâ gratiâ rem pendere declararet; Cancellarium quem Oxoniensis coetus elegerat, nisi in propria persona illud peteret, ad magistratū gerendum admittere omnino recusabat, Lyncolniensis; decreto verò parliamēti cautum est vt pro illâ primâ vice, Lyncolniensis adeò propè Oxoniam veniret, vt Magistri ad eum facilè accedere, electumque suum ei præsentare possent, in posterum si longiùs abesset, per procuratores confirmandum.

Lis inter Oxonienses & Lyncolniensem Episcopum de confirmatione Cācellarij.

15 Nec defuit interim Lyncolniensis, quo minùs ea quę propriè Cancellarij Oxoniensis iuris erant, ac retroacti temporis vsu longissimo confirmata, penes se faceret, ac scholares quotiès sibi videbatur ad tribunal suum sisteret: de quâ Ioannes Peckam Cantuariensis Archiepiscopus, Acad: Oxoniensis alumnus longè doctissimus cùm scholarium tùm causam vacillare nec iure posse stare intellexerat, (si Matheo Cant: credendum sit) scholaribus rescripsit, si in iure contenderent vinci eos ac superari necesse esse, præsertìm cùm his quibus niterentur privilegijs à iurisdictione Episcopali, *iure communi stabilita*, eximi nequaquam potuissent.

16 Sed Londinensis paulò secùs lib. antiquit. Cantabr. 2. Ioannem Peckam Lyncolniensi rescripsisse refert, vt sententiam suam adversus scholares Oxon conceptam aut dissimularet aut mitigaret: Oxoniensibus vero ipsis per litteras significasse, vt quoniam nullius superioris privilegij patrocinio niterentur, quo magis à iurisdictione diocesani communi iure stabilita eximerentur, ab omni contentione cessarent, hæc ille: qui non minùs quàm Matheus Cant. ex litteris Ioannis Peckam, ista se hausisse scribit.

17 Quasi Io. Peckam ignorasset consuetudinē ex causa perpetua & continua non autem discontinua, neq; contra ius commune introductam, privilegio esse potentiorem, ac ius tali consuetudine quæsitum, difficiliùs tolli quā ius quesi-

tum privilegio, vti Petrus Rebuffus in suo de scholariũ privilegijs tractatu; Aymo Cravetta, parte prima de antiquitate temporum, alijq; iurisperiti observarunt: privilegium quoquè esse ius quod contra communem civilium ordinationũ tenorem, propter aliquam naturalis æquitatis rationem, certa constituentium autoritate introductum est: nec privilegia iusta privare legem (vti Accursius putavit quod etiam Ioanni Peckam imponit Londinensis) sed supplere potiùs in ea parte ad quam communis regula, salva iustititia & æquitate, porrigi non potest: Scholares quoq; vbi student, esse quasi externos & peregrinos: proindè quoad sacramenta & necessaria, Ordinario loci; quoàd non necessaria Episcopo; quoàd crimina vero & delicta, de iure communi, gymnasij Rectori ac nemini prætereà subijci, vti annotavit. Io. Azorius libro. 5. Institut. Mor. cap. xi.

18 Sed quid ego de consuetudine loquor? Annon Henricus Lexintonus Episcopus Lyncolniensis, huiusmodi contra Oxonienses molitus, in antiqua & approbata privilegia à Matheo Parisiensi peccasse dicitur? Non defuerunt igitur Oxoniensibus privilegia quibus à diocesani iurisdictione eximerentur: adde quòd ipse Io. Peckam de confirmanda Cancellarij Oxoniensis iurisdictione per totam suam provinciam (quoad capiendos) amplissimo edicto cautum esse voluit, sed Bonifacius Romanus pontifex illius nominis octavus, missâ hac de re bullâ, rem totam citò transegit. Bulla hæc est quæ sequitur.

Exẽptio scholar. Oxon. á iurisdictione Archiepisc. & Epis. per Bonifacium Octavum.

19 *Bonifacius servus servorum dei ad perpetuam rei memoriam: Dignum censemus vt personis literarum studijs insistentibus per quas divini nominis & fidei catholicæ cultus protenditur iustitia colitur, tam publica quàm privata res geritur vtiliter omnisq; prosperitas humanæ conditionis augetur, favores gratiosos & opportuna commoditatis & libertatis auxilia liberaliter impendamus: Exhibito siquidem nobis pro parte dilectorum filiorum Cancellarij Magistrorum doctorum & scholarium Vniversitatis studij Oxon Lyncoln. diocesis petitio continebat quod olim nonnulli claræ memoria*

riæ reges Angliæ qui fuerunt pro tēpore pro maiori pace, quiete, & tranquillitate studentium in eodem studio ipsi Magistris doctoribus & scholaribus nonnulla privilegia per clarissimum in Christo filium nostrum regem Angliæ illustrem postmodum confirmata, & inter alia cōcesserunt quòd Cancellarius dicti studij pro tempore existens haberet omnimodam cognitionem quorumcunq; contractuum vel quasi factorum nec non punitionem seù correctionem delictorum cōmissorum pro tempore infra limites universitatis prædictæ vbi saltē altera partium scholaris vel serviens eius aut aliàs iurisdictioni dicti Cancellarij subiectus est: ita quod nullus scholaris præfati studij vel serviens ipsius seù de huiusmodi iurisdictione dicti cancellarij existens occasione præmissorum vel alicuius eorundem etiam per brevia regia extra universitatem præfatam trahi posset tribus casibus videlicet homicidio, mutilatione & libero tenemento duntaxàt exceptis: quodq; ipsi magistri doctores & scholares vigore concessionum huiusmodi in pacificâ possessione vel quasi privelegiorum fuerint à tempore cuius contrarij memoria non existit: quarè pro parte magistrorum doctorum & scholarium præmissorum nobis humiliter fuit supplicatum vt ijs similem concessionem facere, eosq; ob omni iurisdictione dominio & potestate quorumcunq; archiepiscoporum Episcoporum & aliorum iudicum ordinariorum eximere de dignitate apostolicâ dignaremur: Nos ergo huiusmodi supplicationibus inclinati, scholares & alias personas iurisdictioni cancellarij dicti studij pro tempore existentis subiectos in ipso studio pro tempore degentes etiā si fuerint in sacris ordinibus constituti seù beneficia ecclesiastica obtineant, aut quorumcumq; ordinum etiam mendicātium, vel aliás sede apostolicâ exempti fuerint quamdiù in dicto studio degerint, ab omni iurisdictione dominio vel potestate quorumcunq; archiepiscoporum etiam legatorum natorum dictæ sedis nec non Episcoporum et aliorum ordinariorum iudicum quoad contractuum initorum vel quasi nec non excessuum criminum & delictorum infra huiusmodi limites præfatæ universitatis commissorum cognitionem & ipsorum excessuum ac delictorum & contractuum vel quasi correctionem et punitionem vnà cum ipso Cancellario quoàd præmissos duntaxàt nō vt præfertur exceptos casus, & omnes actus scholasticos autoritate

apostо-

apostolicâ tenore præsentium eximimus & totaliter liberamus ipsos scholares & personas alias quamdiu in præfato studio vt præfertur degerint prædicto Cancellario subijcimus: ita quod idem Cancellarius de contractibus initis, ac de excessibus delictorum & criminibus commissis per scholares & alias personas huiusmodi cognoscere ac excessus, crimina & delicta huiusmodi corrigere, & punire, & omnimodam iurisdictionem etiam Ecclesiasticam & spiritualem in eosdem scholares, & personas alias exercere libere & licite valeat secũdum statuta & privilegia & consuetudines prælibati studij felicis recordationis Innocentij papæ quarti prædecessoris nostri circa exemptos edicta quæ incipit, Volentes, & alijs constitutionibus apostolicis contrarijs non obstantibus quibuscunq; Nos enim excommunicationem & interdicti sententias & quoscunq; processus quas & quos contra præfatum Cancellarium & scholares & alias personas dicti studij contra tenorem & formam exemptionis & liberationis promulgari & haberi contigerit, decrevimus irritos & inanes iurisdictione tamen & potestate Cancellarij & Vniversitatis ac Collegiorum eiusdem statutis & consuetudinibus privilegijs & libertatibus illis præsertim quibus caveri dicitur, quòd in præmissis procuratores & congregatio Magistrorum dictæ Vniversitatis in huiusmodi Cancellarium iurisdictionem habeat in omnibus semper salvis: nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ exemptionis liberationis subiectionis & constitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attemptare præsumserit, indignationem omnipotentis dei & beatorum Petri et Pauli Apostolorũ eius se noverit incursurum. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum secundo Idus Iunii pontificatus nostri anno sexto.

20 Fuit hic Bonifacius q̃ui sextum Decretalium ad studia generalia & nominatim Oxoniam multò antè quàm Cantabrigia generalis studij rationem consecuta est, legendum transmisit circa annum domini 1298. At Galhardus de Mota sanctæ Luciæ in Cicilia diaconus Cardinalis, Oxonię vero Archidiaconus, de iure Archidiaconali grandem quæstionem renovauit: omnia tunc innovare cæptum est: at tandem in Camera Gulielmi Ayermini Nowicensis Episcopi in

ho-

hospitio suo apud Charinge Londonijs per suum procuratorē Io: de Bonaura, itemq; Io: Northwood Oxon: Cancellarium, Legum Doctorem inita est compositio: per quam (sicut in prædictâ bullâ) Oxon: Academiæ Cancellarius in omnes scholares simpliciter tàm seculares quàm religiosos ius suum obtinuisse dicitur, præterquàm in eos quibus infra Vniversitatem Oxon curæ essent pastorales (etsi & hos etiā Bonifacius Cācellario subiecerit) quos ad Archidiaconalem iurisdictionem pertinere voluit, quā compositionem obtinuit à Clemente Sexto confirmari. Hugo Eliensis Episcopus, in metris quàm legibus librandis peritior (scribit enim de illo Michael Cornubiensis poeta Oxoniensis, *Hugo Præsul Ely metra librans lance fideli*) Cancellario Cantabrigiensi, multò fuit iniquior: plurima enim non solum illi detraxit, & Archidiacono suo Eliensi concessit: sed etiam Magistrum Glomeriæ interposuit, ad cuius audientiam omnes Glomorellorum causas postposito Cancellario pertinere voluit: Est autē Magister Glomeriæ barbarū licet nomen, Senior tamen Regētium in Academia Cantabrigiensi, qui quoniam illius imperijs parent, Glomorelli ratione nescio quâ, dici solent.

Archidiaconi iurisdictio in Cantabrigienses

21 Anno domini 1350 sedente Episcopo Lyncolniensi Ioanne Bokinghamo, Oxoniensis cœtus venerabilis Gulielmum de Palmorna S. paginæ professorem in Cancellariū suum elegit, ac eidem confirmandum presentavit; is vero vsque adeò confirmationem distulit, vt ad Oxoniensium petitionē Simon Islep Cātuariensis tunc Archiepiscopus Lyncolniensi rescripserit, vt vel infra sex dies confirmationem præstaret, vel coram Archiepiscopo compareret: quorum alterutrum cum Lyncolniensis privilegio suo nixus recusasset, Archiepiscopus rem sibi devolutam existimans, Ioannem de Carleton legum Doctorem & Canonicum, ad Oxoniensem Cancellarium confirmandum, Londinum misit; deindè in Lyncolniensem iam contumaciæ reum, rescissis quibuscunq; privilegijs quibus ab Archiepiscopali iurisdictione eximeretur, severè animadvertit, referente Matheo Cant. & Fācis-

Lis altera inter Oxonienses & Episcopum Lyncoln.

Lyncolniensis victus.

co Godwyno, nisi quod ille hæc de Ioanne Synwall referat Ioannis Bokinghami prædecessore, non de Ioanne Bokinghamo ipso quemadmodum Math. Cātuariensis: cuius Godwyni sententiæ magis accedo, quippè quòd non ignorem Ioannem Bokinghamum profundissimum Theologum ex Oxoniensium cœtu olim prodijsse (vt omnes fere id temporis Antistites) quo minùs credam, Oxoniensem hominem tam iniquo animo in suos fuisse vnquam.

22 His gestis Academia Oxoniensis nihil incommodi passa est: vidit adversarium à pio suo filio Cantuariensi inferiore loco positum: atquè vt ab iniurijs Lyncolniensium postea tutior esset, intercessione Gulielmi Wittlesei filij etiam sui itemq; Cantuariensis Archiepiscopi, exemptio Oxoniensium per Vrbanum quintum summum Rom. sedis pontificem renovavit, adeoque obtinuit, vt Cancellarius Oxoniensis simul atque electus fuerit, absquè vllâ aliâ admissione, magistratum gerere possit, autore Matheo Cant: & Londinensi libr. de Antiquit. Cant. Acad. secundo: fuit verò antiquioris tantùm privilegij confirmatio, prout ex papali diplomate manifestè liquet, atq; etiam ex litteris Simonis Cantuariensis ad Acad: Oxoniensem hâc de re conscriptis, vbi à priscis majorum temporibus eam apud Oxonienses consuetudinē viguisse, dicitur.

Alia Oxoniensium exemptio

23 Sed & altiùs rem repetam, nisi enim antiquissimis quoque temporibus Oxonienses à diocesani iurisdictione fuissent immunes, quamobrem obsecro in causa cōtroversiæ ac iurisdictionis inter veteres Oxoniæ scholares ac novas apud Asseriū à quo provocare non licet, non Episcopus Dorcestriæ qui tunc diocesanus fuerat, sed Aluredus ipse Rex Angliæ, Regio iure visitasse dicitur Academiam Oxoniensem, finemq; ac modum controversiæ imposuisse? & cùm decreto Oecumenico de sedibus Episcopalibus ab exilioribus locis ad frequentiores civitates transferendis (nè nomen Episcopale vilesceret) cautum esset, Remigio Dorcestrensi Episcopo quid suberat, quid illum (inquam) impulit, vt sedem suam

Valida fides pro antiquitate exemptionis Acad. Oxō

quæ

quæ primò apud Buckleſworth, vti ait Simon de Boraſton ſivè Burneſton in lib. de mutabilitate Mundi, in bibliotheca Lyncolnienſis Collegij Oxon, deindè Dorceſtriæ iuxta Oxoniam olim conſtituta fuit; Lyncolniam transſerret, non Oxoniam, civitatem tum profectò celeberrimam, & ipſius decreti rationi ac ſenſui accommodatiſſimam, niſi Oxonia ab illius Epiſcopi iuriſdictione tum fuiſſet exempta? quanquam illud nō ignoro, poſt factam Epiſcopatus Oxonienſis à Lyncolnienſi diœceſi diviſionem, vnum aut alterum Epiſcopum etiam in ipſa Oxonia, ſcilicet in Oſneya, ſedem ſuam poſuiſſe.

24 Cantabrigienſes verò ne ſub Henrico quidem Octavo exempti ex dioceſani iuriſdictione fuerunt, quod ex Richardi Croci ad Nicholaum Elienſem Epiſcopum epiſtolâ anno dom. 1519. liquet: inquit enim *ſe orationes ſuas Cantabrigiæ habitas illi potiſſimum dedicaturum, quod gymnaſium Cātabrigienſe illius διοικήσεως & adminiſtrationis fuerat*; cū Ioannes Epiſcopus Roffenſis eſſet tum Cantabrigiæ (vti ferūt) Cancellarius. Certe igitur non iniuria & Hiſtoriola Oxonienſis, privilegiorum amplitudinis & multitudinis meminit, & Gregorius Pontifex Rom. ſub Richardo Anglorum rege ſecundo, gratias & privilegia ab Apoſtolica ſede Oxonienſi ſtudio conceſſa commemorat apud Tho. VValſynghamum, quorū amplitudinem cum admiratus fuiſſet, Oxonienſes monet, vt illa in memoriam revocantes, de VVicklevismo exterminando imprimis curarent.

Cantabrigienſes ſub Henrico octavo exempti non erant.

Antiquitas & multitudo privilegiorū Oxon

25 Meminiſſe quoq; potuiſſet rei memoriæ antiquioris, quòd ſcilicet, Romani patres, antiquiſſimis temporibus, Aluredo permiſerant primo omnium vt inquit Lelandus, Vniverſitatem apud ſuos inſtituere (cum præ Chriſtianæ religionis, vti fertur, apud Anglos tuendæ zelo, interdictis Anglorum gymnaſijs, quod in primis Eccleſiæ incunabulis, impuris hæreſeos piaculis aliquantū contaminata fuerint, ſcholas penes ſeipſos vbi Angli imbuerentur, retinerent) inſtitutam verò confirmavit Martinus ſecūdus pontifex Rom. cu-

ius ob id confirmatio Academiæ Aluredianæ, omnium est absolutè antiquissima, pro quâ. S. Neotus ad Apostolicam sedem scripsisse dicitur autore Lelando in illius vita, anno Academiæ ab Aluredo restitutæ primo vel saltem secundo.

26 Vt hinc intelligas, ea esse Vniversitatis Oxon antiquissima omnium privilegia, quæ per Aluredum Regē à Pontifice Martino secundo impetrata sunt: nec Honorijs & Sergijs est opus quos ego profectò nunquam adeo absurdos fuisse credidissem, vt de Cantabrigiensibus ab Archiepiscopali iurisdictione eximendis ante cogitarent, quam illis nascentis Ecclesiæ Anglicanæ temporibus, vllam penè iurisdictionē spiritualem & Ecclesiasticam apud Anglos satis solidè confirmassent, nisi ex ipsis illorum bullis intellexissem: quibus ob id ego plus fidei detrahendum existimo, quam Londinensis vnquam adhibendum censuit. Quanto parciùs & credibilius Oxonienses à Martino secundo incipiūt, post quem, longo satis intervallo habent Innocentium quartum, deinde Bonifacium octavum, qui Oxoniensem Academiam multò prius confirmavit & ab alienorum episcoporum iurisdictione exemit, quàm Cantabrigiensis Vniversitatis nomen publicè innotuerat.

27 At Matheus Cantuariensis, Thomam Arundelium synodum ait Londini habuisse *in qua scholares Oxoniēses querelam contra Tho. Hyndman Vniversitatis Cancellarium & Nicholaum Faux eius commissarium proposuerant, quòd exemptionis iura quibus ab Archiepiscopali & Episcopali iurisdictione Vniversitas fiat immunis à papa impetrassent, non modò in Metropolitani & Ordinarij, sed in ipsius Vniversitatis præiudicium atq; gravamē, quod privilegium servitutis potiùs quàm libertatis esse dicebant: cum enim antea si iniquis Cancellarij aut Procancellarij imperijs opprimerentur, appellationibus & Archiepiscopali æquitate subventum ijs fuit, nec in vnius potestatē redacti a quo nec permissa esset provocatio, nec superioris iurisdictione possit coerceri quasi perpetuæ servituti subiacerent, itaq; ab Archiepiscopo petierunt, vt quoniam suam in eos iurisdictionem agnoscerent, & antecessoris sui Guliel-*

Mathei Cant. Relatio.

mi

mi Courtney moderationem atq; prudentiam, cũ Academiam Oxoniensem tam in capite quàm in membris visitasset, experti essent, vt ea à Cancellario eiusq; Commissario procurata privilegia rescinderet: quibus ipsi interposito ad id Michaele Sergeaux iuris vtriusq; doctoris, legitimo Procuratore expressè atq; publicè in synodo renuntiarunt: eam renuntiationem Archiepiscopus ratam habuit & exemptionis Oxoniensis privilegia irrita & inania iudicavit: tum Cãcellarius quasi furore actus petulanter & immodeste se abdicavit magistratu, synodoq; sine venia discessit: sed Archiepiscopus eum edicto revocavit, eiusq; proterviam atq; audaciam repressit. hæc Math Cantuariensis.

28 Quam verè tamen, tali de homine, certè affirmare non possum: cum illud probe cognoverim, nõ solùm adversus diocesanum suum Henricum Lexintonum, quòd antiquas huiusmodi exemptiones & approbatas violaverit, Oxonienses fuisse apud Henricum tertium conquestos, sed eosdem etiam iuris iurandi religione, ad omnium statutorum, consuetudinum & privilegiorum almæ Acad. Oxoniẽsis observationem firmiter ab initio teneri, cuius certè violati iuramenti postulandi sine dubio fuissent, quicunq; adversùs impetrata Academiæ suæ privilegia quicquam tentandum cẽsuissent,

Refutatio Relationis Mathæi Cant.

29 Prætereà non video qua de causa Oxoniensibus ingrata fuisset illorum ab Aliena iurisdictione exemptio, cũ Richardus Angliæ rex secundus in suis de illis privilegijs cassandis ad Acad. Oxoniensem litteris, apertè fateatur, Cãcellarium, Doctores, Magistros ac scholares Oxon, illa exemptionis privilegia à pontifice Rom, impetrasse; licet vti dixi in causa religionis irrita tunc esse voluerit, ac visitationem Academiæ Oxoniensis ad Cantuariensem pertinere pronuntiaverit, ac violenta quasi coactione non libera cessione, Academia Oxoniensis tunc in Regias manus exemptionis suæ privilegia resignaverit, misso à Rege Magistro Richardo Rõhall, qui causam Regis Oxoniæ egit, & instrumenta resignationis confecta Regi detulit. Cum autem sub Henrico quarto

Exemptionis resignatio per Oxonienses.

to A.Ch.1411.vt Tho. VValsinghamus habet, Tho: Arūdelius Cantuariensis, Academiam Oxoniensem visitasse decrevisset, à Richardo Courtnay Cācellario, Benedicto Brent & Joanne Birch Procuratoribus impeditus est: at rex in conventu suorum (vbi magna inter vtrumq; Archiepiscopum de iure visitandi Reginense Collegium quod Oxoniæ est, controversia intercessit) Archiepiscopo rem totam adiudicavit.

30 Quod vero dicit Matheus Cantuariēsis, Gulielmū Courtnay Tho. Arūdelij prædecessorē Academiā Oxoniēsē tā in capite quā in mēbris visitasse, difficulter adducor vt credā illi potiùs quā T. walsinghamo, autori hac in re satis idoneo, quiq; tradit quidem Gulielmū Courtnay Archiepiscopum Cantuariensem huiusmodi aliquid aggressum, destitisse tamen à proposito, cum de insequentibus malis atquè periculis (si in visitatione pergeret) à prudentissimo patre Thoma, S. Albani Abbate fuisset admonitus, quod in prædicto autore fusiùs tibi occurret.

Alius error Mathei Cant:

31 Ioannes Synwall quoquè vel Bokinghamus Lyncolniensis Episcopus, cum fratrum infirmorū Hospitale Sancti Ioannis Baptistæ extra portam Orientalem Oxon visitare decrevisset, non alia de causâ à Rege Rich: secundo prohibitus est, quàm quod non illud solum sed & cætera Religiosa loca Cancellario Oxon eiusquè iurisdictioni subijcerentur, quod fusiùs intellexi ex Regijs litteris in libro illius Hospitalis quem in Archivis Magdalenensium, diligentissima Magistri Summers custodia, salvum retinet.

Visitatio Hospitalis, S. Ioannis.

32 Admiranda quoquè fuisset Oxoniensium imprudētia, si maiorem curam habituri fuissent eorum quæ in Archiepiscopi & aliorum præiudicium, quàm quę directè & ex proposito in suarum libertatum præiudicium ac læsionem facere videbantur (quod Matheus Cant: tradit) quanquam Bonifacius quidem Cantuariensis item multò antè archiepiscopus & Gulielmus Wittleseus eiusdem sedis pontifex, in impetrandis pro Academia Oxoniensi gratijs ac privilegijs & exemptionibus, nihil sibi præiudicij accessisse, arbitratus est: modo

modo ad conſervationem atquè ſalutem totius Academiæ Oxonienſis, magnitudo & amplitudo privilegiorum quicquam conducere videretur.

33 Quæ certe nulla non ætate apud Oxonienſes adeò magna & multiplicia fuerunt & ſunt, vt præ illorum amplitudine non ſolum coercenda, ſed & rarò aut nunquam vtenda, πολιτικῶ τεροι noſtri temporis, novi ſcilicet homines cenſuerunt: qui ſi Academiæ ſuæ honori atque ſaluti proſpicere malluiſſent quam ſuæ, facile agnoviſſent quid ſibi velit illa fides quam religioſè olim Academiæ ſuæ præſtiterũt; quod vt faciant, recenſebo illis hiſtoriam (nõ commendabo exemplum) quam ex libro Epiſtolarum Academiæ Oxonienſis collegi.

34 Robertus Stillingtonus (exiſtimo enim hunc fuiſſe) circa annum dom. 1465. Epiſcopus Bathonienſis, in regem Henricum illius nominis Sextum, aut Edwardum quartum res novas moliri cæpit: quamobrem criminis læſæ maieſtatis à Rege poſtulatus cuius erat Theſaurarius vel Cancellarius, Academiam Oxonienſem latitandi cauſa ſe contulit: Rex audito eum Oxoniæ commoratũ, per Edwardum Willoughby Sacellanum ſuum ſcholaribus reſcripſit, vt EpiſcopumBathõ: poteſtati ſuæ permitterent, præſertim cum ſatis conſtaret, eum non vt ſcholarem Oxoniæ agere, ſed tantùm rebus novis & incendijs in rep. excitandis vacare. Relatio de Epiſcopo Bathon.

35 Oxonienſes verò litteris ad Regiam maieſtatem miſſis reſponderunt, ſe abſquè vi ſuis iuramentis ac privilegijs inferenda, nihil in Epiſcopum apud eos ſtudij cauſa commorantem poſſe agere, multo minùs permiſſuros aliquem è ſuis ad iudicium extra Vniverſitatem trahi, reclamantibus privilegijs quorum obſervationi iuramentis ipſorum eſſet cautum: adijcientes eum ſub religione eſſe poſitum, cui Eccleſiaſticę cenſurę metu nullam vim facere auderent: Rex, infinita præmiorum ac privilegiorum ſpe illis propoſita contra niti tamen, vt Oxonienſium animos ad ſuam ſententiam pertraheret, nec ſubticuit ſe Oxonienſium privilegia

per-

pervolvisse, quæ etsi magna & multiplicia invenisset, in nullum tamen incidisse quod ijs patrocinaretur qui læsæ Maiestatis rei haberentur.

36 Tandem post multas hinc illinc altercationes, visũ est scholaribus Episcopum suum regi tradere, non tamen capiendo, sed regijs ministris si eum cuperent permittẽdo: rex igitur misso Willoughbyo Sacellano suo, vnà cum Edmũdo Hamden & Iacobo Parkero, corpori suo à custodijs, Episcopum, Oxoniæ captum, VVindesoriæ custodiendum misit, vbi paulò post (teste Godwyno) diem obijt: hæc ex Regijs & Vniversitatis Oxon Epistolis quæ in dicto libro continentur, quem librum diu sub alienis dominis custoditũ, & Wyntoniæ tandem inventum, venerabilis vir Dominus Doctor Abbas, Collegij Aluerediani Magister, & VVintoniẽsis Ecclesiæ Decanus, tertio vice Cancellariatus sui anno, Archivis Vniversitatis restituit.

37 Ex hoc vberrimo priuilegiorum fonte, amplissimæ prærogativæ promanarunt: exemptiones, Regalitates, & incorporandi ius: nam Academiam Oxoniensem multò ante Reginam Elizabetham, fuisse corpus politicum, legitimè cõstitutum & approbatum, constat ex eo quod nequaquã potuisset alias incorporationes vt Braciatorũ & Pistorum, Scissorum, Tonsorum, Coquorum, Chirurgorum, Cordwainariorum, Corsariorum &c: infra civitatem Oxon constituere easdemq; ad libitum evertere, nisi ipsa fuisset res incorporata & politica.

Academiæ Oxon: Incorporatio

38 Sed ab Edwardo quidem Angliæ Rege 3°. fori ac nundinationis præfecturam, nec multò antea possessiones & messuagia pro sustentatione indigentiorum Scholasticorum quos antiquitas Chamberdkyns vocavit, à Gualtero Exoniensi (sub Edwardo 2.) Episcopo, & Reginaldo le Bedell sub Edwardo primo, idq; sub manu mortuâ, nec Rectorias à multis alijs ipsi concessas iure accipere aut retinere potuisset, nisi corpus politicum haberetur immò & animatum (quod est adversus nonnullorum iurisperitorum sententiam) & proinde

inde talium indulgentiarum capax: quanquam nunc etiam serenissimi regis Iacobi beneficio Burgenses quoq; habeat qui in Parliamentis, Academiæ rebus prospiciant.

Burgenses Universitatis Oxon.

39 Commemorant quoq; Universitatis Oxon Archiva, *Quod cum Universitas Oxon per venerabilem Præsulem dominum Oliuerum Dei gratia Lyncolniensem Episcopum* (qui sedere cæpit An. Ch. 1280.) *ac per Dominum Archidiaconum Oxon Officialem super quibusdam consuetudinis Universitatis incorporatæ inscriptis, quas dictus venerabilis pater non esse consuetudines nec esse posse de plano asseruit pertractabatur ac inquirebatur, cōgregata in Ecclesia beatæ Mariæ Virginis Oxon tota Universitas Magistrorum & non Regentium sicut, & Regentium ac expositis ijsdem articulis in communi, Magistri non Regentes in partem se trahentes per se ac omnes Magistri similiter per se super ijsdem deliberarunt, ac deliberatione ad plenum habita, compertum est, ac declaratum ex vnanimi consensu omnium Magistrorum tam Regētium quam non Regentium, quod à tempore cuius contrarij memoria nō extat, Universitas incorporata sit in plena possessione vel quasi iuris, consuetudinis &c.* Ex quo sequitur, Oxonienses etiam illo tempore sub Edwardo primo (ni fallor) in suis libertatibus ac iuribus incorporatos extitisse: hoc enim argumento adversus Lyncolniensem vsi sunt.

Oliveri Lyncolniensis cū Oxoniensibus contentio.

40 Nec illud satis quisquam adhuc expedire visus est, qua ratione societas vna communis ex multis conflata incorporationibus, possit esse ipsa non incorporata: regnum enim est ideò vnum, & politicum corpus quoniam multa huiusmodi in se eminenter continet, sicut Universitas Collegia, quorum singula, politica sūt corpora, & incorporationis politicæ vi, ab optimis ac divinissimis hominibus fundatoribus suis, prædia possessionesq; acceperunt & hodiè retinent fœlicissimè.

41 *Manifestum enim est* (inquit Rossus contra destructores villarum) *quod prosperitas Ecclesiæ multum consistit in scientia literatorum fidem Christi prædicantium & contra hæreticos disputantium, & servitio devoto Ecclesiasticorum tam secularium*

quam religiosorum devotè deo servientium; scientia fontaliter erũpit ab Universitatibus & generalibus studijs quæ manutenentur per Collegia indotata, per beneficia annexa & temporalia ijs concessa; quare destructis beneficijs destruuntur collegia, & villis destructis destruuntur beneficia, & in Aulis scholarium, eorum beneficiorum, per villas destructas depauperatio Scholarium exhibitorum ad scholas adnihilatur expeditio, sequitur tunc pro doctrina & prædicationis carentia, errorum per hæreticos assidua seminatio, & tunc subvertetur Christi Ecclesia. &c hæc Rossus.

Scholariũ ratio vnde pendeat.

42 Siquidem per beneficia Collegijs annexa, scholares ad Ecclesiasticas dignitates promoventur: cuius promotionis gratiam, Oxonienses primo â Ioanne pontifice Romano vicesimo primo dicto vicesimo secundo, qui Vniversitatis privilegium nec non studij generalis, Cantabrigiæ omnium primus concessit, petierunt (Parisiensium exemplo invitati quibus longè antiquiores se ventitabãt) & obtinuerunt.

43 Nec multò postea Henricus Chichleyus Cantuariensis (authore Math. Cant.) anno Dom. 1417. synodum Londini habuit, vbi Robertus Gylbert. S. Theologiæ professor Mertonensis Collegij Oxon non Præses (vti scribit Cãtuariensis) sed Guardianus sive Custos, *longa & diserta oratione egit vt scholaribus Oxon necessaria & præmia deferantur*: tum secutus Tho. Kington advocatus curiæ de Arcubus pari facũdia pro Cantabrigiẽsibus intercessit; quibus suadentibus decretum est vt beneficia vacantia graduatis Academicis deferantur (licet huiusmodi decretum in constitutionibus Lynwooddi non occurrat) quod decretum ab Artium Magistris, qui sua multitudine reliquos in Vniversitatibus Regentes superabant, in congregatione cum esset approbandum, reiectum est, non alia de causa quàm quod in beneficijs adipiscendis (vt ille quidem refert) doctoribus pares esse nõ potuerãt; posteà tamẽ in alia synodo Io. Castel Oxoniensis Cãcellarius & Io. Rikinghall Cantabr: Canc. illud decretum renovari impetrarunt, cui tùm renovando fratres & Religiosi summè restiterunt, sed Henricus quintus eorum petulantiam facilè repressit.

Decretum de præmiis Oxoniensibus deferendis.

49 Quin & sigillum publicum Academię Oxoniensis, satis antiquum est & apertum illius incorporationis monumentum, quod quidam Magister Ioannes in causa Academiæ Oxoniensis adversus Fratres & Religiosos coram summo pontifice produxit in curia Romana, *in cera scilicet viridi forma oblonga pendente in chartula; in quo quidem sigillo* (loquor ex antiquo scripto quod rem totam continet) *in medio quasi ipsius, erat imago cuiusdam hominis sedentis in sede sivè cathedra subtus quoddam tabernaculum, & in manu sinistra videbatur gestare librum, à dextris verò, sinistris, & subtùs pedes ipsius imaginis, erant imagines plurium personarum quæ ad ipsum videbantur attendere; in circumferentia verò dicti sigilli erant litteræ sic dicentes, Sigillum Cancellarij Vniversitatis Oxon*; hoc fuit sub Edwardo secundo.

Descriptio Sigilli Vniversitatis Oxon.

50 Nam sub Edwardo tertio, cùm in electione Cancellarij Ioannis Wiliot, factionibus & partium studio à Magistris in congregatione tumultuatum esset, sigillum idem effractis vi cistis & Archivis direptum est, & Ioanni Wiliot traditum, qui accepto sigillo, procuratores sibi adversarios Th. de Stratford & Robertum Ingram mox banniebat, & sigillum quoque perijsset, nisi statim procuratoribus à rege restitutis coactus fuisset Cancellarius, sigillum illis tradere, interdicto quoque, nè is vllas congregationes celebraret: Ærariū verò publicum Academiæ Oxoniensis erat olim apud S. Frideswidæ monasterium: iam verò apud Collegium Corporis Christi vti Vniversus Oxoniensium senatus, retroactis temporibus non sine ratione decrevit.

Turbulenta Cancellarij electio.

51 Verum hæc omnia quæ ad salutem Academiæ Oxoniensis comparata sunt, aliquando in summam perniciem converterunt loci Municipes, quos vt multipliciter scholarium privilegijs obnoxios testatur historiola Oxoniensis, ita cæteræ historiæ non tacent quibus odijs quantisque, Oxonienses olim è laica gente cives, rem Academicam prosecuti sunt. Longa est hæc iniuria; immò longæ (si historicos hîc consulas) ambages: licèt non tantæ admirationis atque stuporis,

De discordijs inter Scholares & Laicos Oxon.

quantæ sunt illæ quidem vndecim antiquissimi temporis eversiones admodùm profectò perridiculæ, quas in sua de Cãtabrigia historia adeò officiosè recenset Londinensis, vt nisi in illis eversionibus seipsum sæpissimè evertisset (quod nos in primo libro probavimus) tu certè Granta nunc stares, & arx alta Cantabri maneres.

52 Nunc verò cùm semetipsum tantopere everterit, desinat Oxoniensium incommoda & calamitates obijcere, præsertim ea quorum aut causæ adeo graves sunt aut fuerint vt Cantabrigiæ reperiri nunquam potuerint, aut quibus res Cantabrigiensis non mediocriter est aucta, quemadmodùm ex Matheo Pariensi in hac historia cognosces: *Clericus quidã apud Oxoniam mulierem quandam casu interfecit & per fugam sibi consuluit: vnde præfectus vrbis & alij quærebant homicidam in hospitio suo quod cum tribus socijs clericis locaverat: ceperuntquè tres illos clericos homicidij penitus nescios & in carcerem retruserũt & iubente Rege extra villam suspenderunt: vndè recesserunt ab Oxonia ad tria milia clericorũ tã magistri quàm discipuli, ita quod nec vnus ex omni Vniversitate remansit: quorum quidam Cantabridgiam, quidam vero apud Radyngum, quidã quoque apud Maydenston liberalibus artibus vacantes, villam Oxoniam vacuam reliquerunt.* hæc Matheus.

Suspensio triũ clericorũ Oxon.

53 Qui paulò supra tradidit, regem Ioannem ob interdictum papale, clericis admodum fuisse iniquum: homicida posteà cognito, compertum est Oxonienses cives adversus clericos valdè malitiose se gessisse: ideoq; Westmonasteriũ non ita multò post, anno scilicet 1213 eodem Matheo autore, ad Nicholaum Tusculanum Apostolicæ sedis Legatũ venerunt, veniam admissi criminis postulantes quod scilicet suo instinctu & præsumptione, iniquo supplicio clerici suspenderentur.

54 Iniuncta est illis tamen pæna vt ad singulas civitatis ecclesias, depositis indumentis, pedibusque nudis flagella (quorum vtinam stimulos satis sensissent) in manibus gestantes, à presbyteris parochianis absolutionis beneficiũ cũ psal-

Pæna Burgensiũ pro suspensione clericorum.

psalmo quinquagesimo impetrarent (hæc quoque Matheus, cui Archiva consentiunt) vt vnam annui reditus argenti marcam scholaribus persolverent, quod Burgenses posteà ægrè ferentes, portionem terræ dictam Middeneyam prope Oxoniam, monasterio de Osney ea conditione dederunt, vt per illius cænobij Abbatem, vna marca quotannis Sanctæ Frideswidæ Priori ad vsum Academiæ persolveretur, pro pęna ijs iniuncta (loquor ex ipsa donationis charta) pro morte clericorum quondam suspensorum ab ijsdē: vltimo vt quotānis 100. pauperes scholares, die S. Nicholai honestis refectionibus acciperēt, Abbate Einshamēsi 16. solidos annui reditus in illius festivitatis expensas persolvente; qui cum postea soluere recusasset, ad tribunal Cancellarij Oxon. citatus est, vbi victus causam deseruit, & pensionem debitam reddidit: addenda quoquè fuisset pœna quæ olim Parisiensium scholarium Pręfecto inflicta est; qui referente Stephano Pasquier & F. Forresto, quòd scholares duos ob huiusmodi factum noctu nè à cæteris impediretur, suspendisset, posteaquā quatriduani essent, fætida eorum cadavera, suis manibus de patibulo demissa atq; etiam osculata, magna solennitate inhumare coactus est. Hic primus est Oxoniensis cleri cum laicis discordiæ locus. Pœna Præfecti Parisiensis.

55 Iam, quòd hic dicatur Oxonienses, Cantabrigiam fugisse, vt non ignoro Matheum Cantuariensem, historiam Mathei Parisiensis edidisse (quæ quidem editio mihi certis de causis suspecta semper fuit) ita Manuscriptus liber iudicabit: sunt enim è doctis quidam, qui Cantabrigiam eo tempore, aut nullo aut humili admodū loco, immo literarū nomine vix cognitam, vtcunque de magno illo fluvio Cantabrigiam exeunte apud Blesensem deprędicant, existimāt; quibus ego nō invitus accedo, fraudem veritus, quā de industriâ historiæ turpissima detorquentium libidine, corumpantur: consulas enim obsecro omnes illas insignes Cantabrigiæ clades tam antiquas quam recentiores, de quibus supra ex Londinensi: Cantabrigienses quidem in nulla calamitate Oxonium, at Cantabrigia antēpore Ioannis Regis studium fuerit quò Oxonienses se contulerint.

Oxonienses quavis ferè discordia commotos Cantabrigiā se contulisse leges in illis (quod observandum est) historijs quæ à tempore nascentis huiusce de qua nunc agitur quæstionis, à Matheo Cantuariensi sunt editæ, cuiusmodi est vtriusq; Mathei & Tho. Walsinghami historia (quasi affectatę antiquitatis & dignitatis quoq; subesset studium) cùm tamē omnis historia & illustriùs & copiosiùs de Oxonia quàm de Cantabrigia loquatur; de quo ego ad Antiquariorum, & illorum omnium qui in historia antiqua quicquam possunt, tribunal provoco.

56 Quid enim Oxonienses (mi Londinensis) Cantabrigiæ tunc agerent? An Arthuriano privilegio muniti, iniquam Ioannis Regis omnia cleritorum bona invadentis vexationem declinare, aut Honoriano & Sergiano privilegio, ab interdicto (cui tum vniversa Anglia suberat) pōtificio tuti esse potuerant? nam si tum quidem Cantabrigia tot Regum ac pontificum Romanorum privilegijs fuisset ornata, equidem non video (nisi quis doceat) quamobrem Cantabrigię quā Oxoniæ fuissent tutiores, cùm satis constet, Burgenses Oxon tantorum privilegiorum quæ scholaribus concessa sunt odio atq; invidia, ad ista maleficia fuisse excitatos: quæ ne hic quidem cessarunt.

Vanū est Oxonienses studuisse Cantabrigiæ.

57 Sed anno Henrici Regis tertij 16. & rursus vicesimo, cruentas cum scholaribus lites inierunt, pulsantes, vexātes, vulnerantes, nihilq, ad summam crudelitatem relinquētes; quos clericidas à Ballivis sub specie tantum iustitiæ captos & ab ijsdem postea dolo malo dimissos, Oxoniensis Vicecomes mandato Regio iussus, arctissimis custodijs commisit: Regii Iustitiarii qui de Burgensium maleficiis quęrebant, erant Simon Normannus, & Io. Guband Marescallus. Thomas Textor oppidanus, perturbatæ Academiæ pacis author ea conditione evasit, vt si post quindecim dierum exilium ab Academia, eum clerici redire voluerint, tutò rediret, sin minùs, vrbem & penates suos penitus abiuraret: Secundus ab illo Io. Curoy, viginti quatuor virorum fide dignorum testi-

Alia Clericorū & Laicorū discordia.

sti-

ſtimonio & iuramento cavebat, nè poſtea pacem Vniverſitatis læderet. hæc ex Archivis. Hiſce malis acceſſit grandis illa inter ſcholares Oxoniæ (anno 1238. regni vero Henrici à conqueſtu tertii viceſimo ſecundo) & Romanæ ſedis legatũ Othonem Sancti Nicholai in carcere Tulliano Diaconum Cardinalem, de qua Matheus Pariſienſis ſic tradit.

Pugna inter Scholar es Oxon. & Othonẽ Legatum.

58 *Tunc verò temporis, dominus Legatus cum Oxoniam adventaſſet, & honore ſummo provt decuit, reciperetur, hoſpitatus eſt in domo Canonicorum, ſcilicet Abbatia de Oſney. Clerici vero ſcholares eidem xenium honorabile, in poculentis & eſculentis tranſmiſerunt ante prandij tempus: & poſt prandium vt eum ſalutarent & reverenter viſitarent, ad hoſpitium ſuum venerunt. Quibus advenientibus, ianitor quidam tranſalpinus, minùs quàm deceret aut expediret facetus & more Romanorum vocem exaltans et ianuam aliquantùm patefactã tenens, ait, quid quæritis? Quibus clerici, Dominum Legatum vt eum ſalutemus. Credebant enim confidenter vt eſſent honorem pro honore recepturi: ſed ianitor convitiando loquens, in ſuperbia & abuſione introitum omnibus procaciter denegavit. Quod videntes Clerici, impetuoſè irruentes intrarunt, quos volentes Romani reprimere, pugnis & virgis cædebant: & dum obiurgantes ictus & convitia geminarent, accidit quod quidam pauper Capellanus Hybernenſis ad oſtium coquinæ ſtaret, & vt quippiam boni pro deo acciperet, inſtanter more pauperis & famelici, poſtulaverat: Quem cum Magiſter coquorum Legati (frater Legati erat ille & ne procuraretur aliquid venenoſum quod nimis timebat Legatus, ipſum ipſi officio præfecerat, quaſi hominum ſpecialiſſimo) audivit, nec exaudivit, iratus in pauperem, proiecit ei in faciem aquã ferventem, hauſtam de lebete vbi carnes pingues coquebantur. Ad hanc iniuriam exclamavit quidam clericus de confinio Walliæ oriundus, proh pudor, vt quid hoc ſuſtinemus? Et arcum quem portavit tetendit (dùm enim tumultus accreverat excitatus, clericorum aliqui arma quæ ad manus venerant, arripuerunt) & ipſe miſſâ ſagittâ corpus coci quem clerici ſatyricè Nabuzardan (1) principem coquorum, vocabant tranſverberavit. Corruente igitur mortuo, clamor excitatur: Ad quem ſtupefactus Legatus & nimis perterritus*

Provocatio ſcholariũ.

Superbia Romanorũ.

Legati frater occiſus.

timore, qui posset in constantissimum virum cadere, in turrim Ecclesiæ, indutus capa Canonicali se recepit, seratis post terga ostijs. Vbi cum noctis opacæ conticinium tumultum pugnæ dirimisset, Legatus vestimentis Canonicalibus exutus, equum suum optimum ascendit expeditus, & ducatu eorum qui vada secretiora noverunt, amnem qui proximus erat, licet cum periculo, transivit, vt ad protectionem alarum Regis ocius avolaret: clerici enim furia invecti, Legatum etiam in abditis secretorum latebris quærere nō cessabant, clamantes & dicentes: vbi est ille Vsurarius, Simonialis, raptor redituum, & sititor pecuniæ, qui Regem pervertens, de spolijs nostris ditat alienos? Insequentium autem adhuc clamores cùm fugiens Legatus audiret, dixit intra se

Legati fuga.

Cum furor in cursu est, currenti cede furori

& patienter omnia tolerans factus est sicut homo non audiens, & nō habens in ore suo redargutiones: cum autem vt prædictum est amnē vix pertransisset, paucis pro difficultate transitus, comitantibus, cæteris in Abbatia latitantibus, ad Regem anhelus & turbidus vsquè pervenit & lachrymabiliter, singultibus sermones suos interrūpentes, rei gestæ ordinem, gravem super hoc reponens quærimoniam, tam Regi quam suis collateralibus explicavit. Cuius querulis sermonibus cum Rex attonitus nimis compateretur, misit properanter Comitem Warenniæ cum armata manu Oxoniam, eos qui latuerant Romanos eripere, & scholares arripere. Inter quos captus est truculenter Magister Odo Legista & ipse cum alijs 30. vinculis et carceribus in castro de Walingforde quod non multum distat ab Oxonia (licet rex Abēdoniæ tūc fuerat vti ex Archivis constat) ignominiose mancipatus. Legatus vero contrito laqueo liberatus, Episcopis convocatis nonnullis, Oxoniam supposuit interdicto, & omnes illi enormi facto consentaneos excommunicavit. Postea in bigis more latronum, ad arbitrium Legati Londinum sunt transvecti, & ibidem carceri & vinculis arctaquè custodia, redditibus spoliati & anathemate innodati, mancipantur. Legatus vero qui versus partes Angliæ Aquilonares tetenderat, flexo loro, Londinum reversus est. Et vix ausus in Regali hospitio Episcopi Dunelmensis, vbi solitò hospitabatur, commorari, significavit rex civitati Londinensi vt eundem

Le-

Legatum diligentibus excubijs cum armatâ manu, vt pupillam oculi custodirent Maior civitatis cum civium Vniversitate. Legatus igitur Archiepiscopum Eboracensem & omnes Episcopos Angliæ, autoritate quâ fungebatur vt Londinum convenirent districte convocavit, de statu Ecclesiæ & cleri periclitantis decimo sexto Calend. Junij communiter tractaturi: Qui cùm die præfixo pervenissent, tractatum est diligenter per Episcopos, vt salvaretur status clericalis Vniversitatis, veluti secundæ Ecclesiæ: quibus & Legatus condescendit, salvo tamen honore Ecclesiæ Rom. ne improperando diceretur, vt qui venerat clerum cum Ecclesiâ reformare, potius deformaret. Tandem suggestum est Legato ab Episcopis & Vniversitate cleri, quæ ibidem in præsenti fuit, quòd certaminis discrimen à familiâ suâ sumpsit exordium, & in fine certaminis clerus deteriorem calculum reportavit: insuper iam de clero pars magna ad nutum suum carceri mancipatur, & pars reliqua mandato suo parens parata fuit humiliter subire in loco ab Oxonia circiter tribus distante diætis, ad petitionem tot & tantorum virorum ad misericordiam inclinare debere. Tandem elaboratum est, quod hanc faceret Legatus miserecordiam quod comitantibus Episcopis pedes euntibus scholares omnes ibidem congregati, ab Ecclesia Sancti Pauli, quæ ferè per vnum miliare ab hospitio Legati distabat pedes irent, ita tamen, quod cùm venirent ad hospitium Episcopi Carleolensis, illinc sine capis & mantellis discincti & discalciati vsque ad hospitium Legati procederent, humiliter veniam postulantes, miserecordiam & veniã consequendo conciliarentur: quod & factum est. Videns autem dominus Legatus hanc humiliationem, recepit eos in gratiam suam, restituens Vniversitatem loco sui ipsius municipij, Interdictum cum sentẽtia miserecorditer ac benignè relaxando, litterasq; ijs cõficiendo, ne illis proinde nota infamiæ aliquãdo procaciter obijceretur. hæc Matheus.

Episcopi agunt causas clericorum Oxon.

Relaxatio interdicti.

59 Cui Archiva Vniversitatis consentiunt, & in ijs Othonis Legati litteræ satis amicæ, quæ Londinensẽ nostrum eo quod Oxoniensibus ista procaciter obiecerit, excommunicatum pronuntiant. Meminit huius discordiæ præter Mat. Paris, Ranulphus Cistrensis, lib. vltimo cap. 34. & Thomas

Walsynghamus in hypodigmate Neustriæ, qui illud addit quod nusquam alibi reperio, Oxonienses nempè, huius inter dicti causa, Northamptoniā & novā civitatē Sarum, studendi causa se contulisse.

Error Walsynhgami.

60 Quod (tanti autoris pace nisi clam elapsi fuerint) mihi non fit verisimile, cùm ex Vniversitatis Oxon Archivis intellexerim, Regem districtè admodum prohibuisse immò Maiori atque Ballivis Oxon per brevia sua mandasse, ne vlli clerici villam Oxon exirent nisi sub speciali Regis præcepto, immò omnibus ferè totius regni Vicecomitibus, Ballivis & ministris suis præcepisse, vt si quos intra suum præcinctū clericos fugitivos cognoscerent, (tantùm abest, vt eos publica studia alibi instituisse crederem) eos caperent, & custodijs detinerent, vsquè dùm coram Legato sisterentur.

61 Causam huius insultus, Matheus Paris, Legati superbiam fuisse dixit, cui cæteri accedunt, & innominati autoris Chronicou quod supra dixi, falsò ascribi Bedæ; nisi quod Matheus Cant. in Edmundi vita, cui nūquàm defuit aliquid quod Oxoniensibus obijceret) ex Fabiano recensere videtur, eam nempè fuisse, quod Octobonus, quem Othonē rectiùs dixisset), constitutiones in presbyteros coniugatos atq; concubinarios, aliasquè iuvenili clero parùm gratas sanxisset: quas ego in eius cōstitutionibus (in bibliotheca collegij Balliolensis Manuscriptæ extant) nusquam, saltem quæ ad Oxoniensem magis quam Cantabrigiensem, si tum fuerit, clerum pertinerent, reperio.

Mathei Cantuar. in Oxonienses calumnia.

62 Ranulphus addit, Abbatem & conventum de Osney (cur non etiam Priorem & conventum Fridesvvidæ?) easdem cum Magistris Regentibus dedisse pœnas; sed nec in vlla antè eum historia, nec in Archivis illud occurrit, immò per Regia brevia soli Regentes & Vniversitas clericorum Oxon, vnà cum Beneficiatis ad comparendum coram Legato citantur, nec vllus religiosus absolutioni interfuit (quod sciam) nisi Odo de Kilkenny Canonicus Lyncoln. & Prior Prædicatorum, Minister Minorum, Simon de Bovil eo tempore

Ranulphi error.

pore Cancellarius Oxon, vti ex Archivis patet.

63 Ex quo (quod ad clericos etiam attinet) apparet, quòd convocato concilio apud London, cui interfuerunt ipse Legatus & Archiepiscopus Eboracensis & dominus rex & Episcopi Angliæ: *Episcopus Lyncolnia Robertus Grossum caput, viriliter se habuit pro clericis Oxon, excommunicans solenniter in præsentia ipsius Legati & Domini Regis, omnes qui in clericos Oxon manus miserunt violentas; tandemq; obtinuit sibi tradi clericos, negantibus ipso Legato & domino Rege illatam vim fuisse clericis per ipsos.* hæc sunt illius libri verba, quę sano modo sunt intelligenda: etenim non solum ille Robertus Grossum caput Lyncolniensis, sed & Rogerus Niger Episcopus Londinẽsis (intercedentibus quoq; singulis alijs) & adiuvante quoquè Gulielmo Shirwood si Lelando in illius apud Baleum vita credimus, causam clericorum egit, si non omnium, at saltem aliquorum (ex quorum numero fuit quidam Richardus cognomento Grossum caput, an ex Copleyorum familia vnde Robertus Lyncolniensis originem & Natales suos duxit haud scio) pro quibus apud Regem cavebat, quemadmodũ ex Archivis constat, quæ etiam de clericis à Rege & Legato violenter captis, & in vincula coniectis, abunde satis testantur, quanquam hoc in loco, clericis Oxoniensibus violentas manus se iniecisse negaverint. Error Lelandi & Balæi.

64 Successit quadriennio post A. Ch. 1242. gravis alia inter scholares & Burgẽses Oxon dissentio, *vnde multi eorum ab illa civitate vsq; ad Cantabrigiam mansionem transtulerunt* (inquit iterum Matheus Parisiensis) *vbi scholares quasdam libertates à Rege contra Burgenses sunt adepti, & inde chartam Regis obtinuerunt.* hæc ille. quanquam ista cum Archivis non consẽtiunt. Ex quibus apparet, scholares Oxoniæ tum fuisse commoratos, rebus quoq; satis tranquillis atq; pacatis, vsq; ad annum regni Henrici tertij vicesimum Octavum (1) A. Ch. 1244. tum vero Iudæos rei fæneratoriæ principes Oxoniæ commorantes invaserunt; capti vero clerici & in vincula coniecti, iterum per Robertum Grossum caput Episco- Alia Oxoniensium discordia Pugna cũ Iudæis.

 pum

pum Lyncolniensem vt refert Gulielmus VVorcestrensis liberati sunt (quod ex Archivis quoq; apparet) ne à Rege in judicium læsæ pacis vocarentur, vti ait innominatus author de quo supra.

65 Cancellarius enim scholarinm Vniversitatis Oxon, omnia penes se terminare volens, à Constabulario Castri Oxoniensis impeditus est; quem rex facilè repressit, missis suis ministris seu Iustitiarijs Nicholao de Turri, Laurentio de Brooks &c. qui de hac controversia cognoscerent; quiq; ex iuramento viginti quatuor hominum proborum, omnium placitorum cognitionem de contractibus inter scholares & Iudæos à tempore cuius contrarij memoria non extabat, ad Cancellarium pertinere, nihilq; inde Regi incommodi accidere potuisse didicerũt: quæ omnia vt in posterum firma atq; rata manerent, Aldermanni quatuor & octo Burgenses Constabulario Castri Oxon, vice ipsius Regis iuramentum præstare coacti sunt, se pacem & concordiam perennem cũ scholaribus foturos: quod vtinam fecissent.

Cancellarius judex in causis scholarium & Iudæorum.

66 Interea duo scholares de mahennio (vt author loquitur) immerito postulati, à Ballivis incarcerantur; Cancellarius vero Ballivos, clericos sibi reddere recusantes, excõmunicationis sententiâ, cẽsurisq; Ecclesiasticis implicat; Rex æquitati consulens, per breve suum clericos restitui mandat, Id volens vt Cancellarius excommunicationis sententiam revocaret: revocatis item scholaribus, quos iuramentum Cãcellario suo præstare voluit, vt vna cum Burgensibus vrbem Oxoniensem Regijs vsibus custodirent: Hydenses Commẽtarij alterius tum quoq; discordiæ meminerunt inter oppidanos & clericos, qui laceratis ac spoliatis oppidanorũ vexillis, ijsq; in fugam versis, in illa pugna superiores evaserunt;

Ballivi à Cancellario excõmunicati.

67 At Londinensis noster libro antiquitatis Cantabrigiæ suæ prrimo, Oxonienses clericos, quorum fidei Rex vrbẽ Oxoniensem commendasset, eo tempore in crimen læsæ maiestatis devenisse scribit, ideoq; à Rege, *vrbe & Academia eiectos Northamptoniæ exulasse*, eo quod scilicet contra regem

Londinensis calũnia de clericis ab Oxon, eiectis.

gem à Baronum partibus stetissent: Ranulfus est obscurior: nam cum retulisset quomodo Barones, Regis amicos cepissent, & alienigenarum bona occupassent, Regem Henricum his de causis *Universitatem ab Oxonia eiecisse scribit*: quod idem refert Mathei Parisiēsis continuator Gulielmus Rishāger & Florilegus, qui hanc eiectionem, evacuationem vocat: accedit quoq; Ioannes Stoveus in suis Annalibus; sed in causa & ratione eiectionis, quid de illius fiet sententiâ planè nescio. Error Ranulfi & aliorum.

68 Etenim Burgenses Oxonię, Edwardo Regis primogenito, illic cum copijs suis venienti, portas occlusisse, scribit, eumq; sic exclusum extra vrbem in Aula Regia ad Beaumont commoratum: clericis vero qui intra vrbem erant, portam Borealem Edwardo aperire conantibus, Maiorē & Burgenses restitisse, quos in eo certamine à scholaribus victos & spoliatos, satis verè commemorat: nam scholares sicut & Burgenses Cancellario Oxon de Oxoniensi vrbe Regijs vsibus reservanda iuramentis, suis superiùs cavisse diximus: tum addit, ob id factum scholares à Rege Oxonia fuisse pulsos & eiectos, cum antea dixisset non scholares, sed Burgenses Edwardo venienti restitisse. Stovæi levitas.

69 Quibus omnibus ex Hydensibus Chronicis respōdeo, quæ sic referunt *post finitam inter scholares & oppidanos pugnam, acceptis obsidibus, pacem inter eos fuisse initam; verùm sub præcepto regis* (inquiunt) *sub pœna captionis Universitas dispersa est, non huius occasione dissidij, sed quia rex ibidē parliamētū disposuit*: quibus cōtētit liber monasterij de Burtō in agro Sūmersetēsi, & Chronicō cui titulus est scala mundi, cuius author est Tho. Graius. verū vt de hac re certiorē mi Lōdinēsis te facerē, nusquā alibi quod sciā, nisi ex Northāptonię monumentis, & Vniversitatis Oxon Archivis, Henricum Regem à cōquestu tertium anno regni sui quinto & quadragesimo (1) A. Ch. 1261. scholaribus Oxoniensibus, nescio qua certâ de causa nisi quietis & otij literarij, licentiam inchoandi studium apud Northamptoniam concessisse, & de recipiendis illis ad Vera causa eiectionis Clericorū ex Oxonia.

Maiorem & Burgenses Northamptoniæ scripsisse intelliges vt hinc constet Regem scholares ex Oxonia non eiecisse.

70 Ex quo factum est quod cum triennio posteà, anno scilicet regni 48. Henricus conventum suorum apud Oxoniam habiturus, Vniversitatē & scholares propter turbationes quas illic futuras metuebat, amovisset (non eiecisset) & ad propria (loquor ex ipsius litteris) relegasset, scholares, vbi anteà rex licentiam inchoandi studium concessisset, Northāptoniā se contulerunt, quo Barones etiam statim convolarūt, & finito parliamento apud Oxoniam, rex ipse, celeriter suis copijs ad Barones in Northamptonia obsidendos & capiendos festinavit: muro verò everso, fortiter vtrinquè dimicatum est.

Rex Barones Northamptoniæ obsedit

71 Henricianis autem ingredientibus & insultantibus, *clerici Vniversitatis Oxon* (loquor iam ex innominati authoris Chronico quod falsò ascribitur Bedę, cui etiam consentit Holinshedus & Foxus) *maiora inferebant mala cum fundis, arcubus & balistis quàm cæteri Barones; habebant enim vexillum per se & in sublime contra regem erectum, &c.* captâ vrbe & superata, cæptum est à Rege in clericos sęvire, sed consilio optimatum & amicorum suorum subiectorum, quorum erant filij qui Regiæ autoritati restiterunt, suorum defectionem veritus si graviùs in clericos animadvertisset, à proposito desistebat; revocatis ad Oxoniam scholaribus eodem anno, & sequenti, hoc est anno regni sui 49: penitus interrupto & cassato studio Northamptonensi, quod ex hisce litteris constabit.

Clerici Oxonienses Northamptoniæ. oppidum defendunt.

72 *Rex Maiori & civibus Northamptoniæ salutem: cum occasione cuiusdam magnæ contentionis in villa Oxon triennio iam elapso suborta, nonnulli clericorum tunc ibidem studentium, vnanimiter ab ipsa villa recessissent, se vsque ad villam nostram Northāpton transferentes & ibidem studijs inhærendo, novam construere Vniversitatem cupientes, nos illo tempore credentes villam illam ex hoc posse meliorari, & nobis vtilitatem non modicam inde pervenire votis dictorum clericorum ad eorum requisitionem annuebamus in hac parte; Nunc autem cum ex relatu multorum fide dignorum vera-*

Charta H. 3. ad Northamptonenses.

raciter intellexerimus quod ex huiusmodi vniversitate (si permaneret ibidem) municipium nostrum Oxon quod ab antiquo creatum est, & à progenitoribus nostris Regibus Angliæ confirmatum, ac ad commoditatem studentium communiter approbatum non mediocriter læderetur, quod nulla ratione vellemus, maxime cum vniversis Episcopis terræ nostræ ad honorem Dei & vtilitatem Ecclesiæ Anglicanæ & profectum studentium, videatur expedire quod vniversitas amoueatur à villa prædicta, sicut per litteras suas patentes accepimus, vobis de consilio magnatum nostrorum firmiter inhibemus ne in villa nostra Northampton aliquam Universitatem esse nec aliquos ibidem studentes manere permittatis, &c. anno regni nostri 49.

73 Hæc Henricus in Oxoniensis Academiæ Memorabilibus & privilegijs: qui hæc legit, an crediturus est, Cantabrigiam etiam tunc fuisse Vniversitatē aut approbatū scholarium studium? Nam si fuisset, sine dubio nova illa Northāptonensis vniversitas, non minùs Cantabrigiæ quam Oxoniæ certè, præiudicio futura erat: sed nihil huiusmodi in Regijs litteris videmus; sola nominatur hic Oxonia quasi sola huiusce regni vniversitas, cùm nominanda quoquè & proculdubio nominata fuisset Cantabrigia, (æquè enim & multò magis Nova vniversitas Northamptonensis veteri studio Cantabrigiæ, quā veteri studio Oxoniæ obfuisset) si tua Cantabrigia, antiquum fuisset studium mi Londinensis.

Cantabrigiēse studium H 3. temporibus valde fuisse obscurum si vllū

74 Quid est quoq; quod alijs temporibus (si illis standum sit historijs quas Matheus Parker Cant. Arch. edidit) Oxonienses, suas sedes deserentes Cantabrigiam cōvolarūt si placet nunc autem non civilibus discordijs sed mandato Regio amovendi, Cantabrigiam non petierunt, potiùs quam novuum studium in vtriusq, veteris præiudicium Norhamptoniæ inchoarent? immo quamobrem existimas maluisse regem vt scholares Oxonienses ad propria remearent (sic enim rex præcipit) quam vt Cantabrigiā se conferrent, celeberrimam, nec nō antiquissimā (si Londinensi ac suis credēdum sit) omnium bonarum artium mercaturam?

75 Nam

75 Nam si Cantabrigiam omnes continere non potuisse negaveris, certè & Londinensi adversaris, qui Oxoniensium paucitatem vbiq; nobis obijcit, & Matheo Parisiensi, apud quem leges (si vera sit Mathei Cant. editio) Oxonienses sub rege Ioanne anteà, Cantabrigiā commigrasse; addo quoque quod cum scholaribus Oxoniensibus vbiq; per totā Angliam propter insultum in Legatum Othonem dispersis, Vicecomitibus fere totius Angliæ rex per sua brevia nominatim, de scholaribus in suis Ballivis capiendis præcepisset atq; mandasset provt in Archivis Vniversitatis Oxon legimus, Vicecomiti Cantabrigiensi de fugitivis illic capiendis nihil omnino præcipitur, & tamen non est putandum, Cantabrigiense studium adeò ignobile tunc fuisse, vt eo perfugij saltem loco, Oxonienses commigrare noluerint, si modo illic studium omnino tum viguisset, quod ego non iniquis rerū æstimatoribus relinquo.

Valida fides.

76 Non ignoro tamen in Memorabilibus Vniversitatis Oxon à Roberto Haro collectis, vndè hanc chartam desumpsi, in exordio diplomatis, Cantabrigiæ mentionem fieri, quasi & illa contentio triennio tū elapso Cantabrigię nō Oxoniæ accidisset, & nova Vniversitas ea Northamptonensis à Cantabrigiensibus nō Oxoniensibus fuisset inchoata. Eam tamen lectionem si nihil aliud, certè adulterata ipsius vocis Cantabrigiæ loco Oxoniæ scriptura, & charactere à cæteris dissimillimo, & toto exarādi genere diverso, corruptissimam prodit: vbi enim occurrit anno dom. 1246. apud bonos & vetustæ fidei autores tantas fuisse Cantabrigiæ discordias, quæ studentes Northamptoniam arcerent? Cum nè in quibusvis quidem malis (quod in Cantabrigiensium incommodis observavi) Oxoniam pervenerint.

Mendum in transcripto Roberti Hari.

Cantabrigienses non studebant Northāpton iæ cū Oxoniensibus

77 Præterea licentia inchoandi studium apud Northampton non Cantabrigiæ sed Oxoniæ concessa & transmissa est, ideoq; Rob. Harus inter Oxoniæ Memorabilia reposuit, nec tamen addit (quod solet) *Consimiles habere Cantabrigiam litteras de eadem datâ mutatis mutandis*. Sed & consultis

Nor

Northamptonensium Archivis, veram & genuinam lectionem eam esse invenimus quam supra in regio diplomate recitavimus: quis enim regem dicturum crederet, novam Vniversitatem Northamptonensem Oxoniæ incommodo futuram, nō Cantabrigiæ, si veteri illo studio relicto & postposito, Cantabrigienses novam Vniversitatem alibi inchoaturi fuissent? Sed pergo.

78 Oxoniensibus igitur à Northamptonia reversis, rex Henricus multas gratias fecit, privilegia amplificavit, civiles inimicitias sedavit, non solum inter scholares & Burgenses, sed etiam inter scholares & Iudæos, quibus præceptum est, nè in singulis libris vltra duos denarios septimanatim à scholaribus acciperent in posterum, nec nō pro eorū sacrilegio Vniversitati satisfacerent: quod hoc modo evenit vti ex Io. Rosso Warwicensi in suo de Regibus libro, & Archivis Vniversitatis Oxon, recitabitur. Fuit enim id temporis in more positum, vt ascensionis Dominicæ festo, Cancellarius vna cū tota scholarium Vniversitate, solenni processione ad fanum Sanctæ Frideswidæ, illic rem divinam Cancellario concionante facturi, commearent: Iudæi igitur qui ad illam festivitatem convolarunt, crucem ligneam quam coram Cancellario gestatam viderunt, è lictoris manibus vi extorquentes, in odium Crucifixi fregerunt, & humi pedibus conculcarunt.

79 At Edwardus Regis primogenitus tunc Oxoniæ cōmoratus (vbi in iuvenili ætate à Rosso studuisse dicitur) indignè hoc ferens, Henrico patri Woodstoco tunc agenti cōquestus est: Iudæi læsæ pacis humanæ atque divinæ postulati, se illius maleficij autorem producturos apud Regem cavebant: quod cum neglexissent tamen, visum est Regi (qui etiam id Vicecomiti in mandatis dederat) vt Iudæi Oxonienses duas alias cruces, vnam marmoream, pulchram, & altā, benè & decenter incisam, & politam, cum imagine Crucifixi in capite ex parte vna, & cum imagine beatæ Virginis cum filio suo ex parte altera, conveuienter sitis, & auro depictis, vna cum causa prædicta manifestè subscripta, vbi sce-

Iudæorū Oxō. furor in crucē & Crucifixum

Edwardus 1. Oxoniæ studuit.

Nn lus

lus prædictum extitit perpetratum: Aliam portatilem argẽteam, benè subtiliter & decenter fabricatam, & deauratam, cum hasta sivè baculo eiusdem magnitudinis cum crucibus honorificis, quas Archiepiscopi faciunt coram se deportari, antè Vniversitatem Magistrorum & scholarium Oxon: in suis processionibus deferendam, suis sumptibus effici curarent.

80 Refert Io. Rossus crucem marmoream in eodem loco vbi scelus perpetratum est, fuisse constitutam, quod & rex ipse cupiebat: sed posteaquàm intellexisset illud sine quorundam Burgensium damno fieri non potuisse, cùm cõsilium Burgensium minus probasset qui crucem illam ex opposito synagogæ Iudæorum erigi optarunt, edixit vt (in placea scholarium de Merton) iuxta Ecclesiam, S. Ioannis Baptistæ poneretur, anno regni 53. Cuius crucis partem superiorem, eo tempore quo ipse Oxoniæ studebat, cecidisse dicit Rossus, *in qua erat defixa tabula aurea, habens in ea scriptos* (inquit is) *hos versus*

Quis meus author erat? Iudæi: quomodo? sumptu.
Quis iussit? regnans: quo procurante? Magistris.
Cur? Cruce pro fractâ ligni: quo tempore? festo
Ascensus domini: quis erat locus? hic vbi sisto.

S. Frideswidæ crux.

81 Ex quibus certè apparet (quæ Rossi fuit sententia) crucem marmoream vtcunque rex aliter præceperat, quemadmodùm ex Archivis constat, in loco perpetrati sceleris fuisse constitutam; vbi Cancellarius Oxoniensis ex officio vel per se vel per alium, singulis ascensionis dominicæ festis *solennem sermonem facere tenetur*, inquit Rossus; & Richardus Foxus Coll. Corporis Chri: fundator optimus, ingeniosis alvearij sui apibus præcepit, vt ad eandem, S. Frideswidæ cruceem tanquàm ad quandam officinam, certo tempore convolantes, favos suos fragrantia distillantes mella, omnibus degustandos proponerent.

82 Decimo antè hanc de Iudæis victoriam anno. i. anno domini 1259. regni vero Henrici tertij 42, *in quadragesima*

quod

(quod tempus vt Maiores nostri observarunt Oxoniæ semper infaustum fuerat) *gravissima Oxoniæ discordia* (atquè etiã Cantabrigiæ eodem tempore & eadem de causa, quod certe mirum est si editio Mathæi Paris per Math: Cantuariensem vera dicat) *orta est, eo quod vnum reum mortis & carceri addictũ vinculis ruptis, & effracto carcere, clerici violenter rapuerunt, & in Ecclesiam traxerunt protegendum in eadem: Universitas insuper Parisiaca per Prædicatores & Minores non mediocriter est perturbata* (inquit Parisiensis) *quia secundum Vniuersitatis consuetudinem, scholarium noluerunt communitati adhærere.* inquit Florilegus: sed neuter eorum, fueritnè clericus an Laicus qui mortis reus dicitur, prodidit: nos supra ex Archivis Oxon diximus, graves discordias inter scholares & Ballivos de clericis per eos incarceratis nec sibi redditis, intercessisse, Vna & eadem Oxoniæ simul & Cantabrigiæ discordia,

83 An verò apud Cantabrigiam tuam mi Londinensis tale aliquid, eodem quoq; tempore & eadem de causa quẽadmodum apud Oxoniam contingere potuisset, planè nescio quid ante statuendum sit, quàm locum hunc mihi vnà cũ alijs aliquot in historia Mathæi Parisiensis per Matheum Cantuariensem edita, plurimum suspectum, secundum optimorum fidem M S. exemplarium examinaverim, aut alibi didicerim, Cantabrigiam tuam iuxta sensum horum locorũ, eo tempore literarum nomine increbuisse, aut à doctis hominibus communiter frequentatam, aut pro studio approbatam fuisse, cui profectò sententiæ, nondum ego accedere possum. Suspecta Mathei Parisiensis & Florilegi editio.

84 Eodem modo de illo loco sentio, quem apud Florilegum iuxta Mathei Cant. editionem sub annum domini 1260. regni vero Henrici tertij 44. invenio, in hæc verba. *Sub eodem vero tempore, orta est discordia intolerabilis in Vniversitate Cantabrigiæ, facta enim prius contumelia inter duos garciones, vnum Australem, & alterum Aquilonarem: mox ijs succurrunt compatriotæ, ita quod alijs in alios insurgentibus quamplures verberati redduntur & vulnerati vtrobiq;. Sicque tandem tota villa perturbatur, quòd omnes tam clerici quàm Laici, evacuatis* Discordia Cantabrigiæ.

domibus, glomeratim ad pugnam convolarunt. Absentibus itaq; clericis quidam de laicis domus eorum clam intrarunt & bona diversimoda abinde asportauerunt. Cancellarius enim villæ laicos advocauerat in auxilium ad perturbatorum rabiem mitigandam: vnde & raptores alij, rapiendi habuerunt fiduciam: Deposita igitur super hoc querela coram Rege, Laurentius de Brooke mox illuc iubetur adire, habitoq; super hoc districtiori examine, datâ sententia, spoliatores vsq; ad sexdecim de eadem villa suspendebantur vna die. Alij etiam quam plures, tam clerici quam laici, vel ad Ecclesias fugiebant, vel carceri districto mancipati permanebant. hæc secundum editionem Mathei Cantuariensis, Florilegus.

85 Vereor tamen nè hæc eadem sit discordia (adeò re & eventu conveniunt) quam anno Dom. 1297. regnante Edwardo primo Oxoniæ contigisse Tho. Walsynghamus commemorat in hypodig. Neustriæ, quam nos suo loco in sequentibus recitabimus: Etenim Australium & Borealium cõtentio Oxoniæ orta est & propagata vti omnes norunt: Accedit quod Laurentius de Brooks (quem hic in causa Cantabrigiensium iudicem invenio) eodem ferè tempore anno sc. regni Henrici tertij 45. in Memorabilibus Vniversitatis Oxon, in causa Oxoniensium iudex occurrat: verba Regię commissionis sunt hæc: *Ioannes de Wnall & Laurentius del Brooks constituuntur ad inquirendum per sacramentum proborum & legalium hominum per quos rei veritas melius sciri poterit, &c.*

86 At si tantam spem in illo Florilegi loco Londinẽsis collocandam duxerit, dum in illa discordia, antiqua sua diplomata (Arthuriana scilicet & pontificia illa de quibus supra) libro historiæ Cantabrigiæ 2, consumpta fuisse tradat, videat quantùm sibi contradicat, cùm alibi libro sc: antiquitatis Cantabr. 1. incensis sub Richardo Anglorum Rege secundo Cantabrigiæ Archivis circa annum dom. 1375. diplomata sua perijsse asserat, multò tamen posteà (vt quod verũ est fatear) conficta.

Contradictio Londinensis.

87 Intestina hæc Burgensiũ cum scholaribus bella, defuncto Henrico tertio, novis odijs sub Edwardo primo exer-

cc-

cebantur: nam Edwardus primus homo literis admodũ propitius (Oxoniæ enim illud didicerat teste Rosso) anno regni sui octavo cum in Iudæos de pravis excambijs & monetæ tonsura per totam Angliam graviter animadvertisset (vti ait incertus quidam author in biblioth: Oxon, qui tamē videtur esse Ranulfus Cestrēsis) tria novę monetę librarum millia ad excambiendum, per suos mercatores, ad scholares Oxonienses transmiserat. oppidani vero videntes eorũ cōmodis haud satis pro votis à Rege consultum esse, quamprimum Edwardus gravissimis de causis in transmarinas partes se cōtulisset, ad pristina maleficia redierunt, quæ tamen postea quam ad suos reversus esset, missis Nicholao de Stapleton Henrico de Shotbroke & Elya de Sutton qui de his malefitijs Oxoniæ inquirerent, acerrimis supplicijs vindicavit, anno regni sui 14°. domini vero 1286.

88 Quo anno (referam enim id quod apud Annales monasterij de Briton sive Bruton, qui sic incipiunt, *Willielmus conquestor dux Normāniæ venit in Angliam* antiquo autore quodam illius cænobij monacho occurrit) *ipse dominus Edwardus Rex & Alienora Regina Angliæ fuerunt apud Oxoniam & ibidem perendinauerunt per quindecim dies, & Alfridum Maiorē illius civitatis & alios quatuor fecit pendere, & Ioannem Pykot incarceravit propter mortem magistri Walteri de Lechelade.* hæc Annales de Bruton: quanquam Ioannes Stoveus ex libro Keinsham (nescio quo) hoc eodem ipso tempore Exoniæ, nō Oxoniæ (trito errore quem ipse postea fatebatur) contigisse commemorat: fama est Maiorē ante suas ædes vbi nunc est Collegium Regale vulgo Orialense, laqueo fuisse suspensum vna cum quatuor Aldermannis, hincq; obtinuisse morem, vt Maior civitatis Oxon quotannis certo die, collũ laqueo circumdatus, cui nunc filum sericũ honestatis & pudoris caussa, vti aiunt, conceditur (quanquam Londinensis libro hist. Cantabrig 1. hoc gerendi funis suppliciũ Burgensibus Oxon ob cædem clericorum sub Edwardo 3. Maiori iniunctũ fuisse dicat) in Ecclesia beatæ Mariæ virginis, Cācellario Oxoni-

Maior & Aldermāni Oxō suspensi.

oinensi de pace Vniuersitatis servanda, iuramentum cum homagio præstaret.

89 Ego verò vt non multùm huiusmodi Relationibus tribuendum existimo, ita nisi ex Academiæ vel urbis Oxoniensis Archivis, de isto Alfredo (siue Alfordo potiùs) aliquando fiam certior, quomodo alios certiores reddam hac de re, plane incertum habeo.

90 Hoc solùm tutò asserere possum, quod ex Vniversitatis Archivis didici; Robertum de Weils eodē tempore municipij Oxon Ballivum, eo quòd non solum Cancellariū Oxoniensē Robertum de Wynchelsey, quo minus iurisdictionē suam extra portam Borealem in suburbio Oxon exerceret, prohibuisset, sed etiam quod Procuratores & Vniversū Magistrorum cœtum per venerabilem, iniquis suggestionibus (de quibus manifestè coram Regis consiliarijs convictus est) apud Regem traduxisset, officio suo fuisse privatum in perpetuum, cautumq; statuto à Magistris Vniversitatis fuisse, vt nisi post officij sui resumptionem (si iterum contingeret) regiâ autoritate statim amoveretur, ipsi lectiones suas & omnes Vniversitatis actus dimitterent quousq; fuerint amotus. Ecce eo tempore literarum raritatem, tantamq, maiorū nostrorum fortitudinem, vt nisi benè cum illis ageretur, nullam omnino Academiam habituri erant.

Maleficia Roberti Wells civis Oxon.

91 Cui certè cautioni rex ipse non solum annuit, sed etiam vt Cancellarius Vniversitatis scholarium Oxon, tam in suburbijs quàm in ipso municipio, plenam obtineret in omnes alios iurisdictionem, sicut antea habere cōsueverat, edixit: quo factum est, vt oppidani in parliamēto quod post Pascha fuit anno Edwardi 16. graviter de suis vexationibus apud Regem conquesti, nihil tamen potuerint (fictæ enim erant querelæ) quin quod in commodum Academiæ abundè cesserit: rex enim ipse singulis eorum articulis respondens, adeo refellebat, vt ad vniuscuiusq; refutationem in gratiam scholarium presente tunc Vniverso Senatu & populo Anglicano, vel antiqua confirmasse, vel nova privilegia concessisse vide-

videretur: hortabatur insuper ad concordiã, inita inter Cancellarium & Burgenses compositione, se Vniversitatis ordinationibus obtemperaturos; & præterea Ioannem de Coleshall & Thomam de H. Ballivos, eo quòd perturbatæ togatorum pacis autores extitissent, ab officijs suis amoturos.

92 Credebant scholares rem ita futuram, sed longè secùs quàm pro votis, evenit: nam Robertus Wells cum esset pistor, omnes eiusdem artificij socios, nec non & braciatores (cum aliàs non potuisset) in esculentis, in victualibus, ad nocendum concitavit; similiter in suburbijs Oxon tantos vbiq; ex fimo, luto & reliqua idgenus immunditie fætores excitabat vt ex saluberrimo atq; sauissimo; quali olim. S. Frideswida obeunte, vniversa vrbs, vt refert Io. Anglicus lib. 17. partis 2. historię aureę, repleta dicitur, crassissimus & tabidissimis aër efficererur. Rob: Wells Pistor.

93 Edwardus igitur de his ab Vniversitate scholarium certior factus, Vicecomiti Oxon mandavit, vt per totam vrbem Pistoribus & Braciatoribus, Thamesinæ aquæ vsum duobus in locis scilicet propè molendinum dictum Tryllemyll iuxta pontem Australem, & propè pontem fratrũ Prędicatorum, ad parvam portam Australem, quo omnis immũditiei sentina confluebat (erat enim ibi propè laniorum Angiportus qui dicebatur Slayengelane) interdiceret; simulq; cogeret Burgẽses, vt omnes ostiatim tam in suburbio quàm in municipio, ante suas ędes, pavimenta satis decenter struẽda curarẽt: Victualia verò quęcũq. aut qualitate aut mẽsurâ debitâ offendentia, à Cancellario depræhensa, infirmis Sancti Ioannis Hospitalis extra portam Orientalem fratribus (quod Henricus pater extruxerat vt oppidanorũ amerciamẽtis ac forisfacturis ditesceret) in posterum rex Edwardus deferenda curavit. Cura Edwardi Primi de salubritate victus scholar: Oxõ.

94 His malis accensi Burgenses, messuagium vnum in Oxonia quadraginta solidorum annui reditus valoris, quod Reginaldus le Bedel moriturus, certis pauperibus scholaribus alendis testamẽto suo legasset, anno Edwardi eiusdẽ 22

per

per duodecim iuratorum coram Ballivis Oxon testimoniũ, in læsionem ac præiudicium regiæ dignitatis (propter exceptionem à communibus tallagijs,atq; tributis, & quia paulò ante ab omnibus ordinibus Angliæ & à rege cautum esset, ne terræ vel tenementa apud Religiosos,aut alios, absque speciali Regis licentia ad manum mortuam devenirẽt)concessum fuisse invenerunt,ideoq;quo casu anno sequenti vel altero ad arma devenerunt,nunc ex VValsinghami historiâ hoc loco referam.

Burgensiũ calumnia adversus clericorum dona.

Discordia Oxoniæ.

95 *Hoc anno*(sc.anno dom.1297)*suborta est discordia grãdis Oxoniæ inter clericos & laicos,propter duos garciones diversarum patriarum,qui pro leui causa ad pugnandum sunt accensi.Nã dum quidam ratione patriæ vnum iuvare laborarent, quidam aliũ nituntur manutere & fauere,translata est pugna ad fautores partium diuersarum.In tantumq; crevit seditio,vt tã Clerici quã Laici evacuatis domibus,ad pugnam accurrerent glomeratim.Dum autẽ Clerici de suis hospitijs egressi fuissent,cognoscentes Vespiliones Laici nullos vel saltem paucos remansisse domi apud hospitia clericorũ intrant habitacula,& bona diversimoda asportant,damnum clericis irrecuperabile ingerentes.In hac pugna peremptus est dominus Fulco de Neyrmeth rector Ecclesiæ de Pychelestorn, & plures alij de vtraq; secta.Audita huius facti querela,dominus rex iussit Iustitiarijs villam adire,pacem reformare,homicidas iudicialiter condemnare.Qui venientes Oxonias, Burgenses compulerunt soluere pro damnis factis clericis ducentas libras.*hæc ille anno regni Ed. post conquestum primi.24.

96 Ista est discordia ,quam ego apud Florilegum iuxta editionem Mathei Cant.in Hen.3.anno dom. 1260 , quasi extra locum de Cantabrigiensibus recitatatam arbitratus sũ. Archiva Oxoniensis Acad.tradunt in eo discrimine,oppidanos scholariũ ędes invadentes,fortunas scholarium amplissimas ad valorem mille librarum diripuisse,& tamen Burgẽses(secundum VValsinghamum) resarciendi damni causa 200(nisi potius legendum sit 2000)tantùm libras scholaribus reddiderunt?præcipuè cùm VVillielmo de Berford &

H.

H. de Thistledon, quos de iniquirendis maleficijs Oxoniã missos fuisse constat, rex in mandatis dederat, vt secùndum leges & consuetudines regni iniurias vindicarent.

97 Illo tempore Edwardus Rex etiam invitis oppidanis, donum Reginaldi le Bedell Vniuersitati Scholariũ Oxon confirmavit: & ne vlla occasione Oppidani mali quidpiã Scholaribus crearent, anno regni. 33. hastiludia Oxoniæ habenda, sed nocendi fortè causa ab Oppidanis expetita, ab Academia longissimè arcebat.

98 Atq; ita aliquantùm ab odijs cessatum est vsq; dum regnante Edwardo. 2. quem Oxoniæ quoq; studuisse Archiua referũt, à Religiosis Fratribus sc: Prædicatoribus, ob interdictum Manus mortuæ (quam tamen Vniuersitati concessã videbant) cæptum esset cum Scholaribus, grauissimas inimicitias exercere. Vt quorum aquæ vsus (ut supra diximus) Pistoribus esset interdictus, eorũ fluctibus tota Vniversitas obrueretur, non minus quam paulò ante Parisiensis Vniversitas ijsdem incommodis penè exhausta fuerat: *eo quod* (referã enim historiam ex Annalibus Burtonensibus) *ijdem fratres institutis ac caremoniis Vniversitatis parere contempserint, quinetiã quæ Cancellarij ac totius Universitatis consilio geri consueverant, iurisdictionem sibi incautius super Universitatem & contra eiusdem Universitatis libertatem vendicantes suo potius gerenda arbitrio proponebãt, videlicet vt pro voluntate suâ ipsi inciperent de Theologia absq; licentia Cancellarij vel Universitatis & quod nullus Magistrorum lecturus Theologiam, examinaretur ab aliis quam ab ipsis, vel incipiendi licentiam obtineret: super his igitur & aliis, vtrisq; ad sedem Apostolicam appellantibus, tandem post multas altercationes hinc & inde factas, auditis vtrinq; allegationibus, dicti fratres in praiudicium, opprobrium & scandalum totius Vniversitatis obtinuerunt, & soluti ab omni lege Vniversitatis cum privilegio papali hoc sibi à sede Apostolica indulto Parisiis redierũt: Magistri Parisienses studia suspenderunt, ipsamq; legendi formam deserentes, Parisiis adhuc commorantur, scribente Alexandro pontifice, vt inter eos, fratres predicatores admitterentur; illi suspenso*

Edwardus Secundus.

Discordia inter Prædicatores & Scholares Paris.

ab ipsis iam Parisiensi studio, asserentes se iā de Vniuersitate Parisiensi non esse, ad parendum adduci non poterant, simul & illud vouētes se nunquam Prædicantes in societatem suam recepturos nisi illud prius esset à generali concilio definitum, nec eorum lectionibus interfuturos etsi Thomas de Aquinate tum apud Prædicatores legebat: lata igitur est adversus scholares sententia: Willielmus de Sācto Amore & Odo Duac o Theologia doctores, Nicholaus Decanus de Barro super Albam, & Christianus Canonicus Belvacensis de gradu suo deiecti, & reliqui omnes scholares à Francia pellendi nisi infra quindecim dies se submiserint: quam sententiam perquam iniquam ægrè ferentes Parisienses Regentes ac cæteri Magistri, videntesq; libertates suas quas ab antiquo per summorum pontificū privilegia obtinuerant, iam pro nihilo haberi, interdictis quibuscūq; Actibus scholasticis & communi sigillo Vniuersitatis sublato atq; confracto, relictis penitus Parisiis, quò visum discesserunt ad vnum omnes.

99 Fuit tum annus dom. 1254, aut 1253, Henrici vero tertij 33, vel 34. qui anno regni sui 13, Parisienses scholares simili de causa in Angliam ad Oxoniam invitasset. At nō ante annum domini 1311. circa annum vero Edwardi secundi quintum aut sextum, hæc contentio Oxoniæ pullulavit: Nam quadraginta annos antè illud temporis, ab Vniverso Oxoniensium senatu decretum fuerat, neminem in sacra pagina magistrandum, nisi prius in facultate artium rexerit, & à Cancellario & Magistris gratiam obtinuerit, quam quilibet Magister actu Regens rationibus in medium productis, impedire poterat.

Discordia inter Prædicatores & Scholares Oxon.

100 Cui statuto accessit aliud novenne quo cautum erat de examinatorijs omnium tam secularium quam religiosorum in Theologia bacchalaureorum sermonibus, nec non etiam de disputationibus quæ vesperiæ nuncupantur cæterisq; actibus scholasticis olim vti fratres dicebāt in suis scholis & domibus celebratis, ad Ecclesiam beatæ Mariæ Virginis transferendis: quæ fratres prædicatores ægrè admodùm tulerunt, propter eos qui immatura ætate ordinem suum ingressi

Vesperiæ ad Ecclesiam B. Mariæ Virginis.

gressi fuerant, antequàm idoneam in artibus regendi facultatem consequi potuerant, nec in dicto ordine magistrari liceret, quanquam magnos in literis profectus fecissent.

101 Præterea, ex sepulturis apud ipsorum ecclesiã non mediocre ornamentum meruerunt, id quod iam translatis solennitatibus, amissuri fuerunt. De quibus omnibus gravaminibus maximè verò quòd Regentes, fratrem Hugonem de Sutton, fratrem Rogerum de Baketon & Richardũ Huntley item fratrem à suis congregationibus arcentes à gradibus quoque prohibuissent, prædicatores Edwardo Regi cõquesti sunt, qui susceptâ Prædicantium causâ (inolevit enim mos apud veteres reges, vt illius ordinis doctores in confessores sibi eligerent: non Episcopos, nam Henricus sextus, primus dicitur qui Gulielmum Haclyffe Episcopum Sarum à suis diocesanis posteà occisum vti meminit Tho. Gascoigne in libro de veritatibus collectis in forma tabulæ sivè in dictionario Theologico in verbo *Castitas* in confessorem suum admisit) Oxoniensibus Magistris rescripsit, nè Prædicantes quavis in re vexarent aut lęderẽt, sed eorum iuribus & consuetudinibus concederent.

102 At cum nihil profuisset, ad sedem Apostolicã, cui tum Clemens quintus præfuit, à Prædicantibus appellatũ est: quam appellationem anno prædicto, mensis vero Februarij vicesimo sexto, Laurentius de Warwicke Prædicatorũ procurator, testibus Ioanne de Lee & Richardo de Hyde, Cancellario Vniversitatis Oxon Henrico Marefeilde, procuratoribus verò Thoma de Abyngton & Roberto Bridlington provt in Ioannis Walteri de Ergham Notarij publici Eboracensis dioces: instrumento ea de re confecto patet, obtulit, quam Cancellarius accipere nolebat: immò Cancellario in Theologia postridiè in publicis scholis perlegenti cùm Laurentius obtulisset, à ministro Cancellarij Hugone de Candicote foribus exclusus est, scripto quoquè in lutum proiecto quamprimùm Cancellario de scholis descendẽti tradidisset.

Appellatio Prædicatorũ ad sedem Apostolicã.

103 Postridiè in choro Ecclesiæ beatæ Virginis Mariæ

ſolennis Magiſtrorum convocatio eſt habita, quò ad renovandam appellationem idem Laurentius acceſſit: ſed antequam eam legere potuiſſet, Magiſtri Regentes, teſtes ex Eccleſia arcebant, ipſo Laurentio ſtatim poſt exeunte, & aſſerente ſe illas provocationes cum effectu proſecuturum: quo egreſſo, Magiſtri oſtium vna cum valuis clauſerunt, vectibuſq; munierunt; quo facto excluſus Laurentius aſſumptis ſecum teſtibus, acceſſit ex parte Auſtrali templi, vbi Cancellarius & Magiſtri interiùs congregati ſunt & ibidem ex oppoſito feneſtræ ſuper tumbam quandam lapideam conſtitutus, poſtquàm appellationis ſuæ ſcriptum legiſſet, in peroratione Magiſtros in Eccleſia congregatos ſic affatus eſt, *Reverendi Magiſtri, iſtum proceſſum vobis notificaſſem interiùs ſi fuiſſem permiſſus: ſed quia cum violentiâ ſum expulſus, ideò hic coram Notario publico & teſtibus iſta perlegi & omnes circumſtantes, teſtes mitto præmiſſorum: copiam etiam huiuſmodi proceſſus oſtio iſtius Eccleſiæ affixam vobis relinquo:* & accedens ad oſtium Eccleſiæ quod adhuc clauſum fuerat, exemplar completum provocationum & appellationum prædictarum cùm affixiſſet receſſit, ſcholarium famulis & fratribus interim apud oſtium acerrimè contendentibus: ratâ tamen appellatione, itur Romam aut Avinionem.

104 Miſſi ex vtraquè parte procuratores ac ſyndici; Academiæ, Ioannes de Stratforde, Prædicantium verò Thomas Prior, cuius prædeceſſor Simon de Bovill paulo anteà Vniverſitatis ſcholarium Oxon fuerat Cancellarius: is pro ſuis ſupplicavit vt Pariſienſiū Prædicantiū privilegio quod incipit, *Quaſi lignum vitæ, &c.* ab Alex. 4. paulò antè illis indulto, Prædicantes Oxoniæ commorantes, gauderent; reſpōdente ſcholarium procuratore, nec idem ius omnibus ſtudētibus expedire, vt varietate quadam ſtudia venuſtentur; porro Hugonem de Muſterby olim Priorem, ſubſcriptione ſua omnium Prædicantium nomine ſtatuta Vniverſitatis cōfirmaſſe ac approbaſſe: Eccleſiam quoque beatæ Mariæ Virginis, cùm in ſacrâ ad illam via, iuriſconſultis datę eſſent ędes

Procuratores Vtriuſq; partis.

quo,

quo faciliùs consulerentur antequàm Magistri ad statuendū accederent, omnibus scholasticis actibus, Prædicantium Ecclesijs & ædibus multò accommodatiorem; nequè verū esse quod Prædicantes asseruerunt, vesperias Magistrorum in suis ædibus anteà teneri solitas fuisse, sed quemlibet Magistrū in scholâ suâ vesperias suas tenuisse.

105 Supplicabat quoquè, vt quoniam tenues essent Vniversitatis reditus (quos tamen id temporis circiter quadraginta libras annui valoris ex veteribus redituū indicibus fuisse constat) quiquè movendæ liti in loco tā remoto vix sufficerent, lis integra certis in Anglia delegatis componenda traderetur; vbi profectò Cantuariensis Archiepiscopus Gualterus Raynoldes, Prædicantes ipsos fautoresq; illorū, quòd Vniversitatis ordinationibus non paruerint, excommunicavit; vnum verò ex indigentioribus scholasticis (quos illa ætas Chamberdkyns appellabat) benevolentiæ in Prædicantes reum, Magistri Oxonienses severis satis pœnis affecerunt.

Annuus Vniversitatis Oxon. cēsus olim.

106 Veruntamèn pontifici Romano & suis, omnem iudicandæ litis rationem delegatis in Anglia committere visū est; datis igitur procuratoribus ex parte Vniversitatis Edmūdo de Mepham & Antonio de Beck, ex parte prædicantium Luca de Woodforde & Radulpho de Seton, Delegatis verò Ioanne Episcopo Landavensi & eo absente Magistro Ioanne de Clothale Ecclesiæ Cathedralis, S. Pauli Londonijs Cācellario, & Gilberto de Middleton Canonico Ecclesiæ Cathedralis Lyncoln, & eo absente Magistro Adamo de Orleton iuris Canonici doctore, ex parte Vniversitatis: ex parte autem altera Petro de Kennington & eo absente Luca de Woodeforde, S. Theologiæ doctore, & Thoma Everarde & eo absente Ioanne de Wrotham Priore de London; & Notario publico vtriusquè partis, Gilberto de Lutegarshale, cautione adhibita vt vtraque pars sub pœna ducentarum librarum à Fridesvidæ religiosis seruandarum, prædictorum arbitrio quodcunquè demùm fuerit, staret atquè pareret, anno domini 1313 regni vero Edwardi post conquestum secundi

Delegati In causa Prædicantium & Academia Oxō.

Prædicatorũ Fratrum causa victa.

ſeptimo, lata eſt adverſùs prædicantes ſententia in ſingulis ferè articulis,niſi quod indultum illis fuerat, non obſtante Magiſtrorum ſtatuto diſputationes ordinarias in ſuis domibus retinere,à quibus tamen Magiſtrorum Veſperias ad Eccleſiam beatæ Mariȩ Virginis tranferendas iure optimo cenſuerunt,quod & de ſermonibus examinatorijs factum eſt.

107 Cautum tamẽ eſt,quod quilibet Theologiæ bacchalaureus in Acad.Oxonienſi deinceps ad ſententias legendas admiſſus,concionem vnam Latinam apud Prædicantes hàbiturus,iuramento ſuo aſtringeretur ſe nihil illis daturum.Quibus conſtitutis Gualterus Cantuarienſis futuris malis proſpiciens,ne Academia Oxonienſis ſimili fortuna vteretur,in ſynodo Oxonienſi ſecunda, nullam in poſterum à gravaminibus & interlocutorijs,ſed à definitiva tantùm ſẽtentia appellationem interponendam eſſe decrevit, quam conſtitutionem illius διάδοχος vt iniquam ſuſtulit, Simon Mepham Cantuarienſis.

Edwardo abſẽte Cives ad maleficia redeunt.

108 Edwardus interim rex in Scotiam profecturus,poſtquam ſe abſente pacem Vniverſitatis Oxon à Burgenſibus violatam fuiſſe intellexiſſet,anno regni ſeptimo à Berwico reſcripſit,mãdavitq; Henrico Spigurnel,Henrico de Scroop & Ioanni Foxeley vt de Burgenſium maleficijs inquirerent & ſecundum leges ac conſuetudines regni iudicarent:Maiori vero ac Ballivis,vt omnes malefactores ad perturbandam Vniverſitatis ſcholarium Oxon pacem accedentes,caperẽt ac in vincula conijcerent,mandavit.

Meſſuagia Oxoniẽſibus conceſſa.

109 Et vt maiorem gratiam cum ſcholaribus Oxon iniret,duo meſſuagia quæ ad duodecim indigentiores ſcholaſticos in Oxonia alendos,Gulaterus Stappledon Exonienſis Epiſcopus moriturus,teſtamẽto legaverat,per manum mortuam gratioſè tenenda conceſſit.

110 Illud omnis religioſorum ordo ægrè tulit:tam enim Abbatis de Oſney quam Abbatis de Rewley ſervi noctu prædonum more ſcholares aggreſſi ſunt;quos tamen poſtea ſcholarium Cancellarius etiam invitis & ſummoopere nitẽtibus

tibus dominis iuxta statuta & consuetudines Vniversitatis acriter castigavit, & vtrumq; Abbatem ad tribunal suum ad respondendum sistebat: & in parliamento apud Eboracum anno Edwardi secundi 12. ad prædicantes qui illius iurisdictionem propter exemptionem papalem agnoscere noluerunt coercendos, sicut in cæteris causis, non obstante quocunq; privilegio etiam papali, Oxoniensis provinciæ Vicecomitem ad mandatum suum sibi asistentem haberet, obtinuit.

111 Fuit tum Cancellarius Ioannes Lutterell, qui de quibusdam discordijs inter ipsum & scholares ortis ad papam profectus est: rex verò non ignarus quantum incommodum ac scandalum ex huiusmodi cōtentionibus apud exteros crearetur, eum edicto revocavit, iussitquè vt querelas suas Regijs consiliarijs apud Eboracum exponeret, vbi Cancellario satisfactum est. In quo rex tantam spem collocavit vt civilibus odijs haud ita multo post per Vniversam Angliam ferventibus, Maiori atque Ballivis Oxon mandaverit, vt neminem Magnatum aut aliorum in vrbe Oxon perendinare sinerent, nisi prius apud Cancellarium iuramento suo cavisset, se benè erga regem esse affectum.

Vicecomes Cancellario Oxon. parere tenetnr.

112 Nam Vniversitatem Oxoniensem nobile regni sui iocale, Regiam magnificentiam multipliciter honorare, eaq; de causa in Regia benevolentia specialiter recumbere, idem ad Io. Pontificem Rom. eius nominis xxii, scripsit Edwardus: Rogero vero de Mortuo mari qui capitalis hostis Regis fuerat, vrbem Oxoniensem per portam Smithgate occupare cupienti, Cancellarius cū suis, fortissimè resistebat, vrbemq; & Academiam consilio suo atq; prudentia, ex omni periculo eripuit; quod cum rex vidisset, querelas suas adversus Gallum, quod scilicet vxorem ac filium vna cum ducatu suo iniustè detinuisset, inimicos suscepisset, mercatores suos occidisset, cum Oxoniensibus (quorum etiam vota ac preces optabat) communicare non dubitavit.

Oxoniensis Ac demia in speciali Regū benevolentia recūbit.

Cancellarius Oxon. Regijs hostibus resistit.

113 Oppidani verò defuncto Edwardo secundo, cuius

veluti

veluti Phæbæâ dextrâ Oxonienses scholares tutissimi sêper extiterunt, novas in scholares insidias meditari, ab Edwardo tertio qui anno regni sui primo Vicecomitē Oxon, & Berk Cancellarij Vniversitatis Oxon mandato ad capiendos malefactores parere voluit, quanquam & illud privilegium Cācellarius multo antea habuerat, facilè repressi sunt.

Edwardus tertius.

114 Custodiam etiam assisæ panis & potus, tam in municipio quàm in suburbijs Oxon ea conditione vt Vniversitas centum solidos annui reditus scaccario Regis persolveret, soli Cancellario Rex concesserat: postea vero quàm intellexisset, Cācellario excluso, ratione Visus Franc: Plegij Aldermannos idem ius vsurpasse, Maiorem in huiusmodi curis Cancellarij collegam esse uoluit, quanquam illud adeo ægrè Maior tulerit, vt soli Cancellario omnia permittere quā huiusmodi officijs vna cum Cancellario interesse maluerit: ex quo pestifera odia vtrinq; nata sunt; Galfredus le Scroope Capitalis Regis Iustitiarius Regio mandato de maleficijs inquirendis Oxoniam pervenit: accersitis tamen postea Cancellario & Maiore cum Burgensibus à Rege, vt apud Eboracū inspectis vtriusq; partis privilegijs de æquitate ageretur, revocatus est.

115 At nihil ista profecerunt, donec ortâ iam novâ inter Australes & Boreales discordia, nec non alijs coloribus conquisitis, & vt ferūt iuxta vaticinium etiam antiquissimi Brytonum Apolinis Merlini

Doctrina studium quod nunc viget ad vada Boum
Ante finem secli celebrabitur ad vada saxi

Discessus Scholariū Oxon ad Stanfordiā.

Scholares Oxonienses scilicet Boreales ab Australibus victi & Academia Oxoniensi pulsi, Stanfordiā in agro Lyncolniensi studendi causâ se contulerunt, non impetrata ad id Regis licentiâ.

116 Ioannes Whitus Basingstochius, in assignanda huiusce migrationis causâ egregiè lapsus est; Lōdinensis enim nostri ignorantiam secutus, Vniversitatem Cantabrigiensem olim post acceptam à Pelagianis cladem, *Cestriam ducentorū*

Error Ioānis Whiti.

philo-

philosophorum gymnasio, & deinde à cestria Stanfordiam translatã fuisse scribit, *& haeresi illic pullulante, Oxonienses eius novitate captos* (quo tamẽ tempore haud scio) *eo se contulisse*: sed quis dubitat Archivis potius Vniversitatis Oxon esse credendum? quanquam illud negare non ausim antiquũ Stanfordiæ studium de quo in libro primo dictum est, interdicto Gregoriano penitus fuisse sublatum. Australes autem scholares Oxoniæ commorantes in revocandis Borealibus & Stanfordiẽsi studio cassando multas rationes inierunt: non defuit enim Benedictus duodecimus (qui etiam 10. dici solet & sedere cæpit A.D. 1334. Romanus pontifex, qui ad petionem Roberti de Stratford Vnivetsitatis Oxon tùm Cancellarij, tum Archidiaconi Cantuariensis, concursum scholarium ad Stanfordiam modis omnibus prohibuit.

117 Sed & Rex ipse Edwardus illius nominis post conquestũ Angliæ Tertius, qui olim sub præceptis Doctoris Gualteri Burley Oxoniæ studuerat, autore Io: Anglico in Rythmicis suis, anno regni octavo, ad Oxoniẽses retinendos, maleficos illius dispersionis autores gravissimis supplicijs affecit Episcopo & Vicecomiti Lyncoln: mandavit, vt aduersus Stanfordiæ studentes publicè denuntiarent, libros & fortunas eriperent: quod cum illi novo studio benè cupiẽtes, neglexissent, non solùm Gulielmo Trussell illã curã demandavit qui inquisitione diligenter habita, circiter quadraginta Artium Magistros præter necessarios & famulos, post edictum Regium Stanfordiæ, superesse intellexit, sed etiam anno sequente ipse rex eò accedens, dimissis vndiq; studentibus, Stanfordiense studium (quod Henricus tertius Northamptoniæ fecerat) cassavit, vacuumq; reliquit.

Edwardus tertius Oxoniæ studuit.

Revocatio Scholariũ à Stanfordia.

118. Reversis verò Oxoniam scholaribus, puniti sunt dispersionis autores: vrbs multo decore ornata, plateæ pavimẽtis stratæ ac fimis & sordibus purgatæ, resarcitæ ruinæ. rex quadraginta marcas ad restitutionem pontium castri Oxoniensis expẽdit, Australes cum Borealibus mutua fædera iũxerunt: nova crucis statua in parochia beatæ Mariæ Magda-

lenæ, ex calce saxoq; polito ab Vniversitate scholarium Oxon, ex opposito portæ Borealis, constituta est, sempiternum illius concordiæ monumentum.

119 Procuratorum alter semper fuit Australis, Borealis alter, & absentibus ipsis qui ex vtraq; parte seniores erant, Procuratores nati vocabantur. Australi semper senioritatis prærogativa delata est; Borealis verò loco amplitudineq; officij minor & inferior quod etiam num hodiè ex vtriusq; libris procuratorijs constat: quem enim Australis antehæc, eum hodierno die, senior, quem Borealis, eum iunior ad hunc vsq; diem obtinet Procurator, quod ex inscriptione innotescit: Eorum vero qui ad gradus promovendi essent in Academia Oxoniensi, iuramenro cautum est, ne Stanfordiæ tanquam in studio vel Vniversitate generali (et si nunquã antehæc pro approbato studio haberetur) lectiones suas in facultate artium resumerent.

Procurator Australis Borealis.

120 Ad malefactores vero longiùs ab Oxoniensibus arcendos, ad petitionem Roberti de Stratford tunc Cicestrensis Episcopi Vniversitatisq; Oxon Cancellarij, cum Vicecomiti, Maiori ac Ballivis nec nõ Constabulario castri Oxon & omnibus in comitatu Oxon & Berk Iustitiarijs mandatum esset, vt Cancellarij scholarium Vniversitatis Oxon mandato ad sceleratos comprimendos præsto essent, omnẽ facultatem ad curiam Rom. appellandi in læsionem ac prę-iudicium Oxoniensium privilegiorum rex Edwardus ademit, & ad Magistrum Willielmum de ABurgevenye postea Cancellarium scripsit, vt à Cancellario Angliæ brevia in quinquenninm duratura ad capiendos illos qui excommunicati, se à iurisdictione Cancellarii Oxoniensis subduxissẽt, obtineret.

Excõmunicati per totã Angliã Cancellarij potestati reddũtur.

21 Ex quo tot discordiarũ faces accensæ sunt, vt à Chronographis ipsis (qui nescio quo genio in Oxoniensium discordiis commemorandis, sicuti in suis ad Richardum secundum Angliæ Regem Vniversitas Oxoniensis observavit, satis copiosi extiterunt) vix enumerari sine maximo dolore queant.

122 Quid

122 Quid enim ego miseras & nefandas illas Cannas Oxonienses, quæ anno dom. 1355. Edwardi vero tertij 29. inter scholares & Burgenses Cancellario Humphredo de Cherleton, Maiore verò Ioanne de S. Fridefwida, acciderūt, ad ornandam historiam, recenserem? illius contagionis causa mihi nondum occurrit, nisi perridiculæ quorundam narrationi assentire velim: primo congressu oppidani à scholaribus victi sunt, & in fugam versi: vocatis vero spe prædæ in auxilium vicinijs, aperta acie, vexillis explicatis, pulsatâ communi campanâ, more guerino, incautos iterùm scholares aggressi sunt, ac per duos dies integros naturales vti ex Archivis didici, pugnatum, est, compluribus vtrinquè cæsis; durante Burgensium ac sceleratorum suorum furore, Oxonia Ecclesiastico interdicto supposita est.

Insignis clades Clericorū Oxon.

123 Non erant hæc ab Oxoniensium civium & carnificum moribus admodum aliena, vtpotè qui anno domini, 1327. sub Edwardo Anglorum Rege 2, eodem prorsùs modo in castrino, S. Marci Evangelistæ in summa noctis quiete, vnà cum Maiore, ac tota communitate Oxon, vi armata luminibusq; accensis, duce Edmundo de la Deche, Abendonensibus sese adiungentes, manerium de Northcote quod Abendonensis monasterij fuerat combusserunt; & posteà horribiliter vociferantes Abendonense monasterium ipsum aggressi (quid enim tum de 30. militibus fiebat quos 60. hidis terræ de Abbatiæ possessionibus datis, ad conservandū monasterium, Athetelinus Abbas in perpetuum multò antè cōduxerat, non intelligo) res & bona monasterij, partim occisis, partim fugatis monachis non absquè sacrilegio diripuerunt, & apud Walengfordiam posteà laqueis perierunt, vti testatur historia monasterij Abendonensis de qua in libro primo diximus.

Abingdoniæ monasterū ab Oxoniensibus civibus direptum.

Triginta Milites Abingdoniæ.

124 Illo verò Burgensium Oxon furore, Vniversitas adeò dispersa est, vt nisi Mertonenses remansissent, quod Io. Stoveus, & carmina quædam incerti autoris de revocandis scholaribus, quæ in bibliotheca Mertonensi Magistri Dumble-

bletoni quæstionibus præfixa vidimus, attestantur, pauci admodùm fuissent, qui Academiæ negotia procurassent. Edwardus rex Vniversitatem Oxon. quam supra aurum & Topazion se in litteris suis dilexisse profitetur, in suam protectionem suscepit; & cum oppidani vehementiùs scholares comminati fuissent, quòd & à divinis officijs ratione interdicti, cessavissent, Richardo de Stafford, H. Greene, Roberto de Thorpe, Willielmo de Nottô, & Hugoni de Sadelingstones Iustitiarijs suis, vt de tantis Burgensium maleficijs diligentissimè inquirerent, mandavit.

125 Quia tamen vtraq; pars omnia sua privilegia & libertates in manus Regias tradidisset, à communi procedendi ratione cessatum est; permissumquè vt compositio ab vtraque parte (provt meliùs expedire videretur) iniretur: interdictum interim relaxatum est, in quo relaxando, nova alia inter Cancellarium & Archidiaconum de iurisdictione cótroversia orta est, statimque satis pacificè sedata: scholares verò metuentes nè de securitate ipsorum à Rege satis cautum non esset, tantas pecuniarũ summas pro resarciendis dãnis ab oppidanis petierunt, vt ipsi vix lectiones suas resumpserint, nec oppidani tantis mulctis satisfacere potuerint.

Scholares & Burgenses privilegia sua in Regias manus resignant.

126 Quapropter restitutis scholarium bonis, visum est Regi vt 250 libras in pecunijs numeratis, scholaribus persolverent; 100. marcas vero annuatim in perpetuum (quemadmodum ex Burgensium ipsorum Chirographis indè confectis satis luculenter constat) quotiescunque singulis annis in festo, S. Scholasticæ, quo die facinus aggressi sunt, sexaginta duo Burgenses vna cum Maiore ad Ecclesiam beatæ Mariæ Virginis Deiparæ non venerint, solennes missas vniverso clero præsente pro animabus occisorum, suis sumptibus habituri, ac sigillatim atque viritim vnum denarium in pænitudinis signum oblaturi in perpetuam rei memoriam.

Pœna Burgẽsiũ æternum dedecoris sui monumẽtũ.

127 Credunt quidam hinc esse, quòd Maior & Ballivi Oxon, statim à magistratu suscepto, de fidelitate & homagio

gio,iuramentis suis apud Cancellarium quotannis cavere teneantur;cum tamen multò antea scilicet Henrici regis tertij 32. *Concessum est à Domino rege quod quotiescunque & quando Maior & Ballivi Oxon*(loquor iā ex libro Rob. Hari de privilegijs Oxon)*debent iurare fidelitatem suam in loco suo communi,quod communitas Oxon debet denuntiare Cancellario, quod per se & aliquas electas personas intersit præstationi iuramenti Maioris & Ballivorū si voluerit, quod ipsi conservabunt libertates & consuetudines Vniversitatis Oxon, &c.* quod & Aldermanni quoque qui primo ex duobus, ad pacem & tranquillitatem & scholarium vtilitatem, quatuor facti & anno Henrici tertij 39.instituti sunt,vt idem Henricus in suis ad Acad. Oxon privilegijs habet,iuramenti religione præstare omninò deberent.

Iuramentum Maioris,Aldermānorum,& Ballivorū Oxon,Academiæ præstandum.

128 Addunt Hydensia Chronica quod & Thom.Walsingham adfirmat A.D.1354 *Regimen totius civitatis Oxon soli Cancellario ita tunc fuisse commissum,vt nullus alius (saltem laicus)vnquam in posterum obtineret*;quod verissimum est;Edwardum enim quædam Burgensium privilegia præcipuè ea quæ de Armis portandis erant,revocasse,& cācellāda penitus curasse,Archiva Vniversitatis testātur; commemorant quoquè prædicta Chronica, illam partem Academiæ quæ anteà extra portam Borealem cōsederat, huiusce dissidij occasione intra muros Oxon inclusam fuisse, & Ecclesiam, S. Mariæ Virginis Deiparæ, factam fuisse cleri Oxoniensis principalem.

129 Quod vt verisimile esse possit,modo in memoriam revocetur id quod Rossus hac de re superiùs tradidit, ita certè non est dubitandum,eandem Ecclesiam etiam sub Edwardo secūdo cleri Oxoniensis fuisse principalem, quemadmodum ex controversijs inter Prædicantes & Academicos de Vesperiarum translatione supra constabat, & ex hisce eiuldē Edwardi secundi ad clerum Oxoniensem pro Capellano Vniversitatis litteris constabit, *Cum igitur dilecti & fideles nostri Cancellarius & Vniversitas villæ nostræ Oxon, vbi suum posuerunt trivium & quadrivium fundamenta, vbi fons scaturit Theologica*

Ecclesia B. Mariæ est principalis ecclesia cleri Oxō.

facultatis, ac vbi nuda anima filiorum hominum venientium de longinquis, philosophia vestibus induuntur in Ecclesia beata Maria, &c: hæc ille.

130 Quin & ex domo congregationis vti ego existimo in eadem Ecclesia, datum est illud scriptum quod supra sub Rege Ioanne anno dom.1021.inter Cancellarium Vniversitatis Oxon & Frideswidæ Religiosos recitavimus: sub Hērico vero 3°.multa frequenter legimus in eadem Ecclesia, à Magistris acta atque statuta.

Magistri Platearū.

131 Præter verò id quod Hydensia Chronica commemorant, creati sunt & instituti Magistri platearū vulgo dicti, qui non solum de pavimētis restituendis, truncis ac sordibus & quibuscunque liber transitus impediri possit, amovendis, sed etiam convocatis ad id bis in septimana inhabitatoribus de pace Vniversitatis custodienda, summam curam gererēt: non in municipio tantum vbi Cancellarius plenum ius obtinuit (quod ex collistrigio quoquè patet, quod cúm Maior civitatis Gulielmus de Burcestre, à loco solito in locum obscuriorem amovere ausus esset, Cancellarius Vniversitatis Gulielmus de Alburwycke, S. Theologiæ professor, Ecclesiæ Cath. Eboracensis Præcentor assistentibus ipsi Commissario suo Richardo de Kamshale, procuratoribus vero Magistro Willielmo de Harrington & Thoma de Bradwardyn, excōmunicato Maiore & ad venerabilem Magistrorum congregationem appellante, anno domini 1325. sub Ed. 2. pristino loco aliquātū à porta Boreali distanti restituit) sed & in suburbio extra portam Borealem, vbi dominus fœudi vir satis potens Rich. Damory iurisdictionem sibi omnem arrogavit, sed à Cancellario victus Vniversitati concessit, & Edwardus rex confirmavit.

Controversia de Collistrigio

Io: Norton.

132 Communem illam & publicam Academiæ Oxoniensis calamitatem, aliæ satis tristes acceperunt. Etenim Io: Norton, ordinis beatæ Mariæ de monte Carmeli frater, perturbatæ Vniversitatis pacis reus & eiectus, Nicholaum de Aston Cancellarium Oxon, ad Curiam Christianitatis citasset,

tasset, nisi Edwardus rex ad impediendum illius processum, Provincialem ordinis Carmelitici solicitasset: quanquàm antea satis seriò prohibuisset, ne quis prætextu aliquarum à curia Rom. commissionum, aliquid in præiudicium privilegiorũ Oxoniensis Vniversitatis tentaret.

133 Eo tempore mendicantium ordo in vtrisq; Academijs latissimè propagatus est; teneros enim pueros, & quod illius ætatis est, incautos; blanditijs & munusculis suis victos & ad monasterium accedentes, post positâ parentum ac tutorum suorum veniâ, suis adeo carceribus Regularis disciplinæ causa includebant vt (quod Ric. Fitzrauf Arch: Ardmachanus Cancellarius paulò antea Oxoniensis, in sua ad Papã & Cardinales proposit one satis graviter deplorabat) nullorum quidem colloquijs permitterent. Cõtroversia cum Méd cãtibus.

134 Cui malo per statutum Magistrorum vtriusq; Vniversitatis Oxoniensis & Cantabrigiensis, ne mendicantes infra octodecim annorum pueros in ordinem suum susciperent, facile subventum fuisset nisi Edwardus rex, omnem illius statuti vim enervasset: maximè verò, quod eodem ipso tempore crebris graduatorum in Artibus & Theologia cum graduatis in vtroq; iure discordiis, Cancellario Magistro Ioanne Turk. S. Theologiæ professore, Academia Oxoniensis vehementer afflicta esset. Cõtroversia inter Artistas, Theologos, & vtriusq; iuris Professores

135 Ioannes Wolferton verò, qui in quadragesima adversus iuniores Academiæ Sophistas acrem concionem habuisset, palinodiam canere, multisq. rationibus illorum studium collaudare coactus est; cum ob contumaciam suam eiectus esset è cœtu Oxoniensium, & Regia intercessione cui Ioannes Bokingham præcipuè resistebat, iterum restitutus: fuit tamen illorum vnus, qui cùm cuidã congregationi Magistrorum in crastino purificationis beatæ Mariæ non interfuissent, gratias omnes ac dispensationes in illa congregation concessas impedire, irritasq; facere voluerunt, nisi Cancellarius ac Decanus Vniversitatis Oxon suis sigillis confirmassent. Palinodia Io: Wolferton.

136 Tum

Cōtroversia inter Medicos & iurisconsultos Oxō.

136 Tum vero Medicis cum Iurisconsultis res fuit, nō solum de loci, sed etiam facultatis suæ dignitate; Richardus vero rex illius nominis secundus, à metu Gallorum liberatus qua in re Oxoniensium suffragia optabat, egit cum Oxoniēsibus, vt anno dom. 1384. in vigilia purificationis beatæ Mariæ, in plena convocatione Regentium & non Regentium, per fidem convocatorum statueretur, *quod Doctor in Medicina dexteram partem Cancellarij in congregationibus & convocationibus retineret, & non sinistram doctor vero in iure ciuili partem sinistram & non dextram.*

137 Quod Oxoniensium decretum, libro Antiquitat. Cantabr. 1. tanti fecit Londinensis, vt & Cantabrigiēses quoquè medicos eodem privilegio gaudere debere iudicaverit, quoniam Oxonienses quorum exemplis Cantabrigienses (quemadmodum etiam in vestibus suis per vetera statuta Oxoniensibus se confirmare tenentur) semper diligenter inhærebant, ita statuendum censuerunt,

Alia inter Artistas Controversia.

138 Sed & eodem tempore in quadragesima inter Artistas Oxoniæ dimicatum est: nuntios verò à serenissimo Rege ad sedandas discordias transmissos, monachi scholaribus admixti, modis tam indignis acceperunt, vt rex non sine suspensione privilegiorum, Cancellarium & Procuratores, ad tribunal suum vocaverit, quos tamen postridiè saluis privilegijs ac libertatibus ad suos redire voluit: subsidiumque quatuor denariorum de singulis clericis in Vniversitate Oxon studentibus, non beneficiatis, quod parliamentum concesserat, subsidium item vnius grossi per clerum Cantuariensem concessū, omnesq; illas iniurias ac discordias inter scholares ac Prædicantes, gratiosè remisit.

Collegiū Reginenie direptum.

139 In recuperandis verò Collegij Reginensis bonis ac fortunis, quas Henricus Whitfeild Præpositus vna cum suis exclusus, electo Thoma Carleill, diripuisset, adeò diligens fuit, vt futuris quoquè controversijs æquissimus arbiter accederet. Henricus enim primus qui Fridesvvidæ monasterium Guymundo confirmavit, inter cætera illius loci religiosis cōcessit,

cessit, vt intra fines monasterij, quasdam Nūdinas ad festum Sancti Benedicti quotannis, quas H. tertius Frideswidæ festo transtulit, duodecim dierum spatio in prato quod monasterio Frideswidæ subiacet, celebrandas curarent.

140 Cum vero consuetudo obtinuisset, vt *in signum custodiæ totius villæ Oxon* (loquor ex libro Frideswidæ) *Maior ac Ballivi Oxon in principio illarum nundinarum omnium portarū claves Priori traderent* (quod aperte tamen recusasset nisi Edwardus tertius eos in officio continuisset) & vt *durantibus illis nundinis religiosi Frideswidæ custodiam assisæ panis ac cervisiæ, ponderum item & mensurarum haberent*, quod Ioanni Woodford qui absq; regia licentia olim in illum se prioratum intrusit, concessum fuerat; factum est, vt scholares Oxonienses, Edwardo tertio de summa negligentiâ Canonicorum Frideswidæ conquesti, illos adeo securos invenerint, vt regnāte Richardo secundo, Cancellarius scholarium Vniversitatis Oxon edicto suo caveret, ne confluentibus mercatoribus prædictæ nundinæ diutius celebrarentur, quas fugatis certè mercatoribus, prostratis eorū pavilionibus, chordisq; ruptis, scholares omninò impedijssent, nisi Regius Armorū minister Oxoniā devenisset & Canonicos à scholaribus protexisset.

Nundinæ S. Frideswidæ.

Scholares Nūdinas impediunt.

141 Satis tamen apparet scholares per delegatos assisæ panis, cervisiæ, ac victualium custodiam obtinuisse, ea conditione vt viginti solidos annuatim regi persolverent, quam summam in levamen Vniversitatis delegati converterunt; licet Edwardus tertius hoc privilegium centum solidorum pensione, Scaccario suo solvendorum concesserat, quam pēsionem vnius denarij solutione, Edwardus quartus postea anno regni duodecimo Vniversitati remisit.

142 Eo tempore exortus est in Vniversitate Oxoniēsi vir summo ingenio Ioannes Wicklefus sæcularis in Theologia doctor, patria Borealis, Ecclesiæ de Luttleworth in agro Leycestrensi Lyncolniensis diœcesis Rector; in Mertonensi Collegio eum studuisse author est ex Lelando & Mertonēsium Regestris Baleus.

Ioā. Wicklefus, quis fuerit.

143 Quanquam illud non tacebo, Balliolenses alumnos quendam Ioannem VVicklesum id temporis etiam agnovisse Præfectum provt ex antiquo scripto didici, de anno Edwardi 3. post tricesimum quarto, hoc est anno dom: 1360 qui si hic fuerit, non video cur septennio post, Collegij Cātuariensis præfecturam ambiens repulsam autore Nicholao Harpesfeildo historiæ Wycklefianæ parte secunda, pateretur.

144 *Illo enim tempore* (quod erat certe discordijs plenū) *Orta fuit inter Simonem Langham Archiepiscopum Cantuariensem & scholares Collegij Cantuariensis à Simone Islepp Oxoniæ extructi controversia eo quod Archiepiscopus, fructus Rectoria de Pagham à fundatore concessa, à Collegio sequestrare voluerat; à qua sequestratione à scholaribus ad papam appellatum est: sed Archiepiscopus appellationi non concedens, Ioannem Radingal monachū Cantuariensem scholaribus durante beneplacito praeposuit, quē etiā cito ad domū revocavit, aliūq; monachū Cantuariensem Henricum Woodhill Collegio praefecit: hic rem strenue ex animo & sentētiā Simonis Langham Archiepiscopi gessit: cuius hic fuit conatus, vt secularibus eiectis clericis, introducerentur monachi: in eorum Collegio educatus est Ioannes Wycklefus, is summa ope monachis restitit: sed Archiepiscopi potentia & papæ ad quem appellatum erat gratiâ, monachi superiores in causa fuerunt quibus seculares clerici cedere coacti sunt,* inquit Matthæus Cantuariensis in vita Simonis Langham ex quo Io. VVicklesum tunc Cantuariensis Collegij alumnum fuisse cōstat, sed ingressu monachorum eiectum, quod adversus eosdem eum multo acriorem reddidit.

Collegiū Cantuariense.

145 Quod vero hic dicat Math. Cant. Henricū Woodhill fuisse monachum Cantuariensem, in eo lapsus est: fuit enim monachus Abendonensis qui antequàm illi collegio ab Archiepiscopo præficeretur, Oxoniæ in Theologia incæpit, idque sub seculari parcendi sumptus causâ, etiam invito Abbate suo Rogero de Tame, qui quanquàm ad Cancellarium Oxoniensem Ludovicum de Cherleton vel Nicholaum

Lapsus Mathæi Cantuariensis.

Aston de impedienda monachi sui inceptione scripserat, Cancellarius tamen adeò ei adhæsit vt vtrumque procuratorem, statuto quodam (cuius tamen procuratores ipsi speciales sunt executores) è domo Regentium eijceret, quibus eiectis Henricus Woodhill gratiam à Regentibus obtinuit.

Cõtroversia inter Cancellariũ & Procuratores.

146 At cùm posteà ad Cancellarium in venerabili Regentium cætu præsentandus accessisset, à Richardo Toulworth & Roberto Derby procuratoribus qui anteà fuerant eiecti, eo quod alteri ipsorum robam subduxisset, (solebant enim inceptores, Regentes à quibus gratiam consecuti sunt robis ornare) impeditus est, donec *posita manu ad pectus, iuras-set verbo dignitatis suæ, se dictam robam animo vindicandi non subtraxisse*, vti in Archivis Academiæ patet.

147 Sed cuiuscunquè fuerat collegij Wycklefus, tantã certè vbiquè excitavit sui admirationem, vt non solũ Edwardum regem (cui ob id nõ bene successit inquit falso Capgravius) sed etiam Ioannem de Gaunt Lancastriæ ducẽ aliosq; viros patritios, præter Robertum Rugge Cancellarium Oxon & Thomam Brightwell, S. Theologiæ professorem (quos tamen Gulielmus Courtnay Archiep. Cant. palinodiam canere coegit) in sententiam suam pertraheret; qua de causa quãta incendia non solum in Academia Oxoniensi sed etiam in vniversa Ecclesia, excitata fuerint, Ioannes Foxus in suis cõmentarijs rerum in Ecclesia gestarum satis locuples est testis, quem ego de tota hâc historiâ diligenter consulendum existimo, mihi verò ad cætera transeundum quæ ab illo intacta sunt.

148 Nam Henricus Crompe Cisterciensis ordinis monachus ab Archiepiscopo Cantuariensi ad extirpãdum Wyclevismum accersitus, cùm perturbatę vniversitatis pacis, antè suam professionem in scholis Oxon postulatus, corã Cancellario eum legitimè citante non comparuisset, atquè ob id tanquam contumaciæ reus à cœtu Oxoniensiũ exclusus fuerat, etsi à Rege ipso Richardo secundo sufficienter satis excu-

H. Crompe.

satus, immò & restitutus haberetur, eo tamē devenit, vt haud ita multò post vnà cum Roberto Lychlade, Wyclevismi reus ab Academia exvlaret.

149 At Mendicantium ordinis frater Ioannes, cùm in vno articulo de Decimis à rectoribus Ecclesiarum ad mendicantes transferendis, Wyclesum secutus esset (quanquā non legimus ipsum Wiclesum decimas rectoriæ de Lutterworth recusasse) in alijs verò adeò fuisset aversus, vt Ioannis Wicklefi causâ, Oxoniensem Academiam hæreticorum matrē pro concione dixisset, sententiam suam non invitus revocavit, & Oxonienses doctores orthodoxos ac Catholicos semper exritisse pronuntiavit.

150 Quanquam enim Ioannem Wicklefum, quē Londinensis vbiquè instar opprobrij Oxoniensibus obijciendū putavit, execrandum vulgus hæreticum existimavit, nec nō Oxonienses omnes illius causa, præcipuè quod procuratores papalem bullam de Wycklefo capiendo recusassēt, vti apud Tho. Walsynghamum constat, hæreticæ pravitatis reos; ex testimonio tamen totius Vniversitatis apud Commentarios Foxi apparet, Oxonienses nunquā de Wycklefo malè sensisse, immò eum tāquam Orthodoxum semper habuisse, nec ossa illius concremasse, quod vulgus scriptorum tradit.

Rich: Secūdus. Testimoniū Vniversitatis Oxon. de Wycklefo.

151 Quod Oxoniensium testimoniū anno dom. 1406. vt non mediocriter profectò venerando admiror, ita non ignoro quid in libro de veritatibus collectis in modum tabulæ sivè in dictionario Theologico Thomas Gascoigne prodidit, nempe Petrū Payne, litteras olim de hisce rebus fictas & sigillo Vniversitatis, quod clam subduxerat, munitas Pragensibus suis dedisse, eodem ferè tempore, nisi in Chronologia erratum sit, quo Reginaldus Pecocke Orialensis Collegij socius Episcopus Assavensis & posteà Cicestrensis post suā in Oxonia, per dispensationem, id est per dissipationem vti Thomas Gascoigne interpretatur in verbo Regnum, favore Willielmi ducis Southfolciæ & Walteri Hart Episcopi Norwicensis illius quoque Collegij alumni, inceptionem, non

Reginaldus Peacocke.

modo

modo Originalia Sanctorum ac veterum patrum reijciebat, quia dicta sua naturali ratione non probabant, sed etiam sententiam suam eandem coram Archiepiscopo & Magnatibus Angliæ revocabat; quam abiurationem sententiæ suæ, Anglico hoc rythmo confirmavit.

Wit hath wonder that reason cannot scan
How a moder is meide and God is man.

cui non minùs piè author respondebat

Leue reson, beleife the wonder,
Beleife hath mastrie and reson is vnder.

hæc Thomas Gascoigne in loco paulò superiùs commemorato.

152 His controversijs aliquantum sedatis, iterum cœptum est à Burgensibus cum clericis cõtendere; at Richardus rex accersito Ioanne Bloxham Mertonēsis collegij custode, & Ioanne Gybbes Maiore Oxon, vna cum Cancellario Roberto Rugge, pacem & concordiam inter ipsos sub pœna 200. librarum confirmavit: secuti sunt Legistæ: qui cū multa mala cæteris facultatibus ex eo quod rex ipsis prosequendi causas & negotia sua in curijs Regiis per vniversam Angliam licentiam concesserat, intulissent, regia certè autoritate adeò compulsi sunt, vt nihil in posterum in Vniversitatem auderent.

Legistarū controversia.

153 Nec defuit vetus illa Australium cum Septentrionalibus discordia, in qua cæsis aliquot scholaribus, Cancellarius ob rem male administratam, ab officio suo deturbatus est; cui successit Doctor Nicholaus Brightwell, Newerkiæ in Leycestria Decanus: referente quoq; Stoveo in epitome Chronicorum, Walli cum Australibus coniuncti, Boreales adorti sunt: cruenta fuisset Pharsalia], apertâ acie designata, nisi Thomas Glocestriæ dux exercitum dissipasset, ac nescio an hæc velitatio habenda sit pro ea, qua idem Thomas Glocestriæ dux, Oxoniæ Comitem cum suis copijs iuxta Oxoniā ipsi occurrentem, vulpina cauda hastæ suæ affixa in fugam vertisse dicitur autore in Chronico Quadripartito Gowero

Discordia Australium & Borealium.

Tunc aper Oxoniæ resſidit à ſede ſophia, &c.

154 Collegium Orialenſe illo tempore inteſtinis factionibus laborabat; eo quòd alij Ioannem Middleton. S. Theologiæ doctorem, alij Thomam Kyrton Artium Magiſtrum in Præpoſitum eligerunt; res Archiepiſcopo Cant. Epiſcopo Wynton, Io. Bloxham cuſtodi domus de Merton, & Roberto Rugge Cancellario commiſſa, tranquillum exitum habuit.

Schiſma inter 2. Papas.

155 Fuit id temporis ingens in vniverſa Eccleſia ſchiſma, inter duos papas Gregorium duodecimum aut ſaltē Bonifacium nonum & Petrum de Luna qui & benedictus xi vocabatur: *Angli vero miſſis ad curiam Romanam Legatis Domino Scroope Epiſcopo Wynton & vtriuſq; Academiæ Cancellarijs,* (autore Matheo Cantuarienſi) *colluctantibus papis denuntiabant, niſi alteruter papatum deponeret, neutri ſe quicquam præſtituros:* Gallus & Pariſienſes Magiſtri ad Richardum Angliæ regem ſcripſerunt, rogantes vt laboranti Eccleſiæ cauſæ quàm citiſſimè ſuccurreret, duaſq; ſibi vias tollendi ſchiſmatis, aut negatione obedientiæ, aut violēta alterutrius papæ depoſitione, videri ipſis ſignificabant.

Richardus Oxonienſes conſulit.

156 At Richardus ſecundus (hic enim ſi bene memini tum regnavit) Oxonienſiū ſuorum oracula ſtatim cōſuluit, rogavitq; vt de materia illius ſchiſmatis maturè admodum deliberantes (aſſiſtentibus aliquot è doctoribus, Epiſcopis alijſq; prælatis) ſententias ſuas etiam publico Vniverſitatis ſigillo confirmatas ad ſe tranſmittere non dubitarent: quod & ab illis factum eſt, nullamq; aliam tollendi ſchiſmatis rationem præter concilium vniverſale placere ſibi fatebantur: quam ipſorum ſententiam tribus graviſſimis concluſionibus propoſitis explicabant. Pariſienſibus vero ſocijs ac amicis, contrarium tamen in ea re ſentientibus, obtulerunt, vt ſi rem argumentis ac diſputationibus agi placeret, duodecim è ſuis tyronibus Pariſijs tranſmitterent, qui in aſſertionis ſuæ veritate omnibus contradictionis iaculis, clypeos defenſionis opponerent.

Oxonienſes provocant Pariſienſes ad diſputandū de ſchiſmate.

157 Victi igitur Parisienses, in sententiam Oxoniensiũ de necessitate concilij vniversalis, avidissimè devenerũt. proficiscentibus vero vnà cum Parisiensibus doctoribus ad cõcilium Pisanum, Ioannes Gerson Cancellarius, totius Vniversitatis Parisiensis nomine, orationem sive concionẽ certe eruditam habuit.

158 In qua, *Ecce* (inquit) *quid præclara Vniversitas Oxoniensis vnde sibi meruit congratulari? Pridem ad hoc concilium petendum determinavit se & misit in* Franciam: *scio qui præsens interfui dum proponeretur hæc conclusio compendij sub hoc Themate Ioelis primo, vocate cœtum, coadunate senes: sed pridem antea Parisiensis Vniversitas ab exordio nascentis divisionis deliberavit solenniter & concordi sententia conclusionem hanc petendam & prosequendã esse &c.* & infra: *hæc est non parva congratulationis materia quod in vnam conventum est sententiam per duas Vniversitates toto orbe celeberrimas, & ipsis nonne fides dari debet, cum illinc sint viri spirituales secundum qualia iudicia, medium virtutis accipere iubet philosophus? illi præterea sunt idonei conditores legum doctrinaliter & instructiuè quibus similis interpretatio per Epieikeiam debita est: illic sunt qui mentiri nesciunt de quibus noverunt, & mentientes redarguere possunt dum à vero falsum, à licito illicitum sciunt secernere.* Vniversitatis Oxon. laus.

159 Hortabatur quoq; ad concordiam, quia verebatur penè Oxonienses in illo certamine superiores, primatum Parisiensibus eriperent: itur ad concilium Pisanum, à Cardinalibus absente Gregorio duodecimo celebratum: vbi occidẽtali Ecclesiâ tum primum in quasdam partes divisâ vniverso omnium consensu, electus est in summum pontificem Petrus de Candia, dictus Alexander papa quintus (A.Ch. 1409 Ian. 26) *Baccalaureus S. Theologiæ Oxoniæ, & doctor Theologiæ Parisius vti ipse papa in concilio Pisano dixit domino Thomæ Spofforth Abbati Ecclesiæ beatissimæ Mariæ Eboraci,* inquit Tho. Gascoigne in libro antedicto in verbo, Papa. Concilium Pisanum. Alex: quintus Papa Rom: Oxoniæ studuit.

160 Constantiæ non ita multò post (A.Ch. 1414. Novemb. 16.) aliud sub Ioanne 23, concilium convocatum est, in Concilium Constantiense

quo

quo Ecclesia occidentalis in Italicam, Germanicam, Gallicanam, Anglicanam, & Hispanicam divisa est, & vnicuique Ecclesię sivè nationi par in suffragando autoritas concessa fuit; cùm anteà non per maiorem partem consensus quinque nationum, sed iuxta assensum multitudinis Prælatorum summus pontifex semper processisset vti observavit in opere suo de historijs & historiographis Ioannes VVhethamsted sive Granarius.

161 Vndè populus Anglicanus primò omnium (scilicet nominatim ac signanter) pro vna ex quinque nationibus in obedientiâ pontificiæ sedis constitutis habebatur, quod nunquàm anteà concedi poterat autore Thoma Elmhã Priore de Lenton. Adfuerunt illi concilio Legati domini Regis Angliæ Robertus Halam Episcopus Sarum: Nicholaus Bubwith Episcopus Bathon: Io. Keterich Episcopus Lichfeildẽsis, & Thomas Guillermus, S. Mariæ extra muros Eboraci Abbas. Legati quoque Vniversitatis Paris, Oxon, Salamant: Aurel. Andegau. Viennens. Cracoviens. Pragens. Cantabrigienses vero illic non invenio.

Secta Oxoniensium in concilio Constãt.

162 Orta verò in concilio quæstione inter Anglos & Hispanos, cùm de loci prioritate, tùm gentis, vtra scilicet ipsorum natio, sententiam totius concilij in verbo *Placet, vel nõ Placet*, ei qui pro tempore concilio præesset, redderet, Henricus de Abingdon Mertonensis collegij Custos, ac Vniversitatis Oxoniensis tum Syndicus, assistentibus sibi cæteris Anglis in medium prodiisse dicitur, copiosèque & gravitèr pro inclitæ nationis suæ prærogativa perorasse; ostendisse quoquè quantis privilegiis sedes Apostolica, antiquissimum Oxoniense studium supra Salamant. exornasset, in Clementinarum constitutionibus ac alibi præposuisset, ex quo etiã totius Constantiensis concilij definitione, Anglicę nationis primatum ab Hispanis obtinuit, quod & Rich. Flemminge de Oxoniensibus optimè meritus in concilio Senensi in Hetruria fecisse dicitur, cuius orationis de Angliæ Etymologia, nec non protestationis contra Hispanos, Scotos, & Gallos meminit Baleus.

163 Ba-

163 Basiliense verò concilium quod inchoatũ est sub Eugenio quarto, qui Philippũ Norrys Oxoniensem excommunicavit, morem hunc celebrandi concilia per nationes, ad tollendas lites inter alienas gentes omnino reiecit, & cõstitutis tribus domibus, quarum vna domus fidei, altera domus pacis, tertia domus reformationis secundum triplicem rationem earum rerum quæ in concilijs tractari solebant, dicebatur, omnia concilia in posterum per deputationes celebranda, statuit vti idem Ioannes Granarius meminit nec ita multò post Ferrarium translatum est; quo ad Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ vnitatem confirmandam, insigniores doctores ac Magistri Oxonienses (quẽadmodum ex litteris Vniversitatis ad H. Chichleyum Arch. Cant. constat) accersiti sunt. Sed ad reliqua festinat oratio.

Basiliense Concilium.

Ferrariense Concilium.

164 Burgenses enim Oxon novarum rerum cupidi, in Parliamento apud Glocestriam inchoato ab Henrico 4. vna cum Berrocensibus petierunt, vt charta domini regis in qua scholares Oxon in quibuscunq; proditionis feloniæ & mahennij quæstionibus nulli alieno iudici nisi senescallo suo subijciebantur, revocaretur; quæ certè petitio adeo valuit, vt anno regni vndecimo An: Ch. 1410. in Parliamento apud Westmonasterium, de mitigandis Oxoniensium chartis ac libertatibus minuendis consultum fuerit, nihil tamen effectum; immo à Rege concessum vt Cancellarius Oxoniensis nomina illorum qui infra suam iurisdictionem, pacem Academiæ perturbaverint, Cancellario Angliæ ad terminum viginti annorum significare posset.

Burgenses de minuendis Clericorum Oxon privilegijs cogitant.

165 Quoniã vero quovsq, iurisdictio Cãcellarij scholarium Oxon extenderetur, nostris quidem non satis vt videtur innotuerat, ad petitionem Philippi Repingdon Abbatis Leycestrensis & Cancellarij Oxon concessum est, vt Australes Academiæ limites ad Boscum cui nomen Bagley, Orientales ad Boscum Leprosorum S. Bartholomei; Occidentales ad villam Botteley, Boreales vero vsq; ad pontem dictum Godstowbridge qui sunt omniũ amplissimi, quod Oxoni-

Confirmatio limitum Oxõ.

onienses cives non ignorant, extenderentur.

166 Quin & collatis in graduatos beneficijs Oxonienses adeo recreavit, vt Burgensium discordias facilè declinare potuerunt: à quibus tamen supplicatum fuit non solum vt nō residentium sed etiam incumbentium reditus in duas partes dividerentur, quarum vna sibi ipsis, altera publicis regni vsibus inserviret, simulq; vt religiosi ac scholares Oxoniæ commorantes ratione quarundam possessionum quas ab anno vicesimo Edwardi primi (1) A.Ch.1292. Vniversitas comparasset ac tenuisset, subsidia, taxasq; communes, decimas & decimas quintas, vna cum laicis Regi persolverent, quod vtcunquè certè concessum, erat tamen cito postea revocatum.

Novæ Burgensium machinæ.

167 Thomas Arundel eo tempore Arch. Cantuariensis cum vnam controversiam inter Thomam Presbury Cancellarium Oxon & Ioannem Possel Collegij Orialēsis præfectum de domo congregationis ab Antiquo quodam scholare condita, multo antequam Ecclesia beatæ Mariæ Collegio Orialensi vnita, & appropriata fuerat, sedasset (quinquaginta enim marcas Orialensibus ad ius eorum resignandum contulerat, effecitq; vt pensione vnius denarij annuâ legitimè petitâ, domus illa in perpetuum Vniversitati cederet) aliam multo infestiorem excitavit. Ea fuit quod videlicet à visitatione Vniversitatis Oxon, per Rich. Courtnay Cancellarium, Benedictum Brent, & Ioannem Birch Procuratores impeditus fuerat, semperq; fuisset, nisi sub pœna 1000. librarum ac forisfacturæ omnium privilegiorum rex præcepisset, vt Archiepiscopo visitanti Oxonienses succumberent, non obstantibus quibuscunq; exemptionibus sive pontificijs sive alijs, quarū observationi per iuramenta ipsorū esset cautū: Coacti verò à suo iure discedere, Cantuariensis iurisdictioni parebant.

Controversia inter Tho: Arūdelium & Oxonienses de visitatione.

168 Posteà tamen Archiepiscopus Eboracensis Georgius Nevil magni quidem vir ingenij. Oxoniensis antea Cancellarius, violatas à Cantuariensibus Academiæ Oxonien-

ensis libertates ægrè ferens, in visitandis Reginensibus magnas illorum vni creavit molestias, quibus Cantuariensis coactus est ab incæpta quam instituerat visitatione cessare: non tamen Oxoniensium incommoda cessaverunt.

Consilium Archiepiscopi Eboracen. de tetardar. da visitatione Cantuariensis.

169 Quas enim in festo S. Petri anniversarias solennitates in templo beatæ Mariæ Virginis Deiparę Devonienses cum Cornubiensibus celebrare antea consueverant, Frideswidenses ad suam Ecclesiam quò arrepta ex fano D. Mariæ, Petri imagine, cæterisq; sacris Devonienses convolarunt, studiosissimè invitarunt: Cancellario autem ad antiquum locū revocanti adeò restiterunt vt carceres & exilium minitanti vix paruerint, Regem enim Henricum quintum appellarunt.

Devoniensiū & Cornubiensium scholariū gesta.

170 Hic (referente Rosso Warwicēsi in lib. de Regibus) *ante regnum Angliæ adeptum, Oxoniæ in collegio Reginæ studuit, cuius tunc camera erat supra portam in introitu dicti Collegij, vbi erat sub tutela patrui sui venerabilis patris, Magistri Hērici Beauford, tunc Cancellarij Oxon, posteà Lyncolniæ, deinde Wyntoniæ Episcopi, tandem Presbyteri Cardinalis titulo. S. Eusebij: hanc deinde Vniversitatem Oxon videlicet, ipse gloriosus rex semper in magno honore habuit & favore & intimè dilexit: & quos tunc virtuosos & nobiles scientia & moribus novit ad summos posteà honores promovit: & dum ageret in extraneis, certos venerabiles viros nominavit qui eius precibus & potiùs præcepto ad alta ascenderunt, & inter multos mihi nunc ignotos, illorum duos nomino Magistrū Tho. Rodban de Collegio Merton Oxon, & Magistrum Ioannem Carpenter de Collegio Regali de Oriell: primus ad Ecclesiam Menevensem sive S. Davidis in Wallia profundus erat Astronomus; secundus ad Ecclesiam Wygornensem, doctor S. Theologiæ apud Westbury iuxta Bristolliam sepultus & post suam ibi humationem miraculis coruscans: iste rex Henricus si vixerat proposuit in castro Oxon nobile fundasse collegium in quo septem scientiæ profundè elaborarentur & aliorum doctrina abundè docerentur: hanc ordinationem dum puer eram in scriptis Oxoniæ vidi, sed quod tum eram minoris ætatis quæ vidi non diu memoriter tenui;* inquit Rossus

Henricus quintus Oxoniensis.

Collegiū in Castro Oxoniæ ab Henrico Quinto cogitatum.

171 Cui accedit testis locuples Thomas Gascoigne in verbo Rex; *Henricus quintus* (inquit) *proposuit firmiter reformasse Universitatem Oxoniæ & eorũ statuta edita per iuvenes, ita quod Regentes nunquam dispensarent cum aliquo statuto Universitatis, & idem rex dixit se facturum collegium Theologorum & Artistarum in castro Oxoniæ & annectere iis omnes prioratus in Anglia qui pertinebant ad Alienigenas extra regnum, & hoc voluit ex licentia papæ sed morte præventus est, & filius suus Henricus Sextus in iuventute sua dedit dictos prioratus collegio de Eton iuxta Wyndesor & Collegio, S. Nicholai in Cantabridgia (1) collegio Regali.* Hæc Tho. Gascoigne (Rosso paulo antiquior) de Henrico quinto.

172 Qui tametsi suis votis (quod maxime ab Oxoniensibus dolendum est) minime satisfacere potuerit, in hoc tamen optimè meruit, quod liberioris ac facilioris ad Academiam transitus causâ, pontem Abendonensem è saxo condidit, anno regni quarto, provt ex tabula Abyndonensis Ecclesiæ intellexi (1) A. Ch. 1416. quanquam Camdenus noster, Ioannem à S. Helena eundem extruxisse pontem commemorat: idem enim hic Henricus in doctos adeò propendebat, vt non solum Gallorum Academias confirmaverit autore Rosso, ac Edwardo Haulo, sed etiam Cadomensem Academiam in Normãnia vti supra dictum est instituerit; ac cùm per vniversum regnũ edixisset vt omnes in Hybernia ac Wallia oriundi in suas patrias redirent, eos tantũ n excusari voluit, qui in studio Oxoniensi literis sedulò incumbebant.

Pons Abyndonensis.

173 Clerum quoquè Oxoniensem à tempore statuti de provisione ac provisoribus lati, penè despectum ac minus honesto ob id loco habitum, adeò recreavit & erexit, vt Henricus Sextus & à Magnatibus suis & Cancellario Oxoniensi (cui Cantabrigiensis quoquè Cancellarius se cõformare iussus est) securitatem de pace regis conservanda capere nõ dubitaret: cui vt meliùs in Vniversitate Oxon pospiceretur, ne quid res literaria per iniquos pacis Academicæ perturbatores, detrimenti caperet, venellam quandam in vrbe Oxoniensi,

Henricus sextus.

Harc-

Harchal ceu Nightingale lane, vnicum malefactorum asylũ, non sine regia gratia intercedente, Burgenses civitatis, Magistro & conventui fratrum infirmorum hospitalis, S. Ioannis Baptistæ, extra portam Orientalem, annuo duorum solidorũ reditu in perpetuum concesserunt.

174 Quantùm verò in literas propendebat Henricus sextus, exemplo patris commotus, Collegium Etonense prope Wyndesor quod ipse vna cum schola cõdiderat, ac honestissimis stipendijs alendum curavit, argumento nobis esse potest; cui certè collegio Ioannem Stambery à lecturâ Oxoniensi accersitum primum omnium præposuit, vt omnia recto ordine disponeret, autore in illius vita Baleo. Collegiũ Etonense.

175 Cum eâdem præfectura successit Henricus Seaverus Mertonensis Collegij Oxon custos, illi verò Gulielmus Wainfletus Wickamensis collegij alumnus, quem cum quinque socijs & 35 eiusdem Collegij eminentioribus discipulis, H. Sextus Etonam traduxit, *vt Regij pueri Etonenses, à Wickamicâ Wyntoniæ schola, tanquam à matre primum lac suxisse videãtur*, autore Thoma Martino in vita Gulielmi VVickami; quasi illa Wickamensis schola ab Oxoniensi alumno Wyntoniæ posita, non minùs Cantabrigiæ quàm Oxoniæ seminariũ videri potuerit.

176 Non enim hîc illius Regis de bonis omnibus optimè meriti, pietas cessavit, sed queadmodùm Sigebertus quæ in Gallijs benè disposita vidit imitari cupiens, scholas in suo regno posuit, ita Henricus ea quæ Oxoniæ benè disposita vidit (duas enim in regno suo Academias sæpè se florere velle dixit) imitaturus, hortatu Ioannis Summerset Medici sui quẽ olim Oxoniensis Academia aluerat, nobile collegium ac verè regium Cantabrigiæ extruxit, (quod beatæ Mariæ Virgini Deiparæ Sanctoque Nicholao dicavit) ad eam formam quam pro suo in castro Oxoniensi Collegio constituendo, pater ipsius summâ curâ excogitaverat; quam ordinationem Rossus se vidisse supra meminit, ijsdemq; reditibus dotavit quibus pater Henricus quintus suũ in Castro Oxoniæ Col- Collegium Regium Cantabrigiæ.

legium dotasset autore Thoma Gascoigne: accesserunt quoque 2000. libræ quas Henricus Beauford, Episcopus Wynton, Oxoniensis alumnus, ad collegia illa dotanda Henrico sexto concesserat: Collegium quoq; Regium Cantabrigiæ, à Richardo tertio, tyranno, quingentis marcis annui reditus dotatum scribit Rossus.

Henricus Sextus Oxoniæ quid egerit.

177 Quapropter Henricus sextus, ne Oxoniensiū quoquè omnino immemor videretur, *novum Collegium Oxon intra muros, Collegiumq; Regale de Oriell* (vti dicit idem Rossus) *& Collegium etiam omnium animarum fidelium defunctorū* (quēadmodum Io. Stoveus) *certis possessionibus ampliavit, qui rex bis fuit coronatus semel Westmonasterij in Regem Angliæ, iterū Parisiis in Regem Franciæ, bis sepultus, & iterum tertio creditur à pluribus* (teste Rosso) *sepeliendus.*

178 Prædium quoq; sive manerium de Ponyngton, fratribus Hospitalis. S. Antonij London, cui tum præfuit Custos Io. Carpenter. S. Theologiæ professor, ea conditione cōcessit, vt quinq; scholares prius in Etonensi schola eruditos, decem denariorum stipendio septimanatim in notabili, & famosa (sic enim rex appellat) Vniversitate Oxon, vsq; ad ipsorum in facultate artium determinationem, perpetuò alendos curarent: Oxoniensibus porrò concessit, vt ad certos vsus, possessiones ad valorem 40. Solid. annuatim, compararent.

Quinque Etonenses pueri Oxoniæ desti nati.

179 At Ioannes Summerset, de quo paulo ante, qui tanti operis suasor Henrico sexto fuerat, cùm afflictis rebus suis, opem à Cantabrigiensibus peteret, ab illis neglectus omnino ac desertus est, quemadmodū ex ipsius querimonia de ingratitudine quorundam Cantabrigiensium, apud Gulielmum Worcestrensem, apertè constat, quæ sic incipit,

Querela Ioannis Summerset de ingratitudine Cantabrigiensium quorundam.

Quid tibi Cantabrigia dudum dulcissima feci
Vultum divertis ò mihi dura nimis &c.

vltra enim octoginta versus admodum Satyrice scriptos cōtinet, in quibus postquam beneficia sua, in Academiam Cātabrigiensem, vbi Procuratorium munus magna laude, idq; bis,

bis, gesserat, commemorasset, & illam Academiam *non matrem sed novercam sibi* nescio qua ratione dixisset, de Oxoniensi Academia sic scribit

Nobilis Oxonia lac prabens pavit amanè
Me satis in cunis quando pusillus eram:
Embrio sive sophista fui, primo specialis
Lactens in fine, post Generalis ibi:
Effugi discontinuans me peste fugante.
Heu quondam liqui qua mihi grata fuit:
Credo equidem quod adhuc mihimet miserabitur ipsa
Eius cum vultum movero prece pia
Saltem solamen faciet succurrere captans
Oppresso senio cum mihi fine dees:
Tu mihi fine dees; res ingratissima, finem
Ominis ingrati concipe, vive, vale.

180 Qua vero in re Oxoniēsibus profuerit, suo loco explicabitur: sed hæc ingratitudo quam male illis Cantabrigiensibus cesserit, in sempiternam benefactorum memoriam, profectò prætereundum non est. Accessit enim Edwardus quartus, qui ad nouum suum Collegium quod tunc extruxerat dotandum, apud Wyndesore, mille libras annui reditus ab Henricianis alumnis autore Thomà Smytho, ademit; quā iacturam, Grantam suam semper sensuram Lelandus tradit. Edwardus Quartus.

181 Addit Londinensis libro histor: Cantabrigiæ suæ primo, eundem Edwardum, manerij Chestertoniæ & Cantabrigiæ fœodi firma, & reditum annuum Aulæ Mertonensis, quam Pythagoræ vel ipsius Bedæ ædes nominant (quanquam Pythagoram Cantabrigiæ docuisse, in Diogene Laertio, in illius quidem certè vita non legerim) Regijs alumnis ademisse: vndè factum est vt vno die, præter cōductos clericos & sacelli ministros, Choristasquè, quadraginta ex socijs & scholaribus exclusi fuerint: quod verissimū est. Aulæ enim Mertonensis ac Chestertoniæ manerium, Mertonensibus à fundatore ipsorū cōcessū, Henricus Sextus nec fundatoris nec Pythagoræ ipsius rationem gerens, violē- Pythagoræ Ædes Cantabrigiæ.

ter ademit, suisq; dederat alumnis; Edwardus verò quartus veris dominis restituit.

182 Illud tamen miror, quî fieri potuerit vt Edwardus quartus tot ab Henricianis prædia auferret, cùm satis constet, quod in statuto de anno illius regis 12. in parliamento apud Westmonast. inchoato, De Resumendis terris in manum domini Regis, Ecclesiæ, collegia, eorumquè societates apertissime excipiuntur.

183 Quāquàm igitur neutri Academiæ Edwardus iste multùm profuerit, placuit tamen in Collegio suo de Windesore, perpetuam duorum sacerdotum Cantariam instituere, cuius nominationem, ac præsentationem, ad vtramq; Acad. perpetuo pertinere voluit: cui quidem Cantariæ, Robertum Pewsey, Thomam Ravies, Ioannē Frenship, ac Io. Stratford, alumnos suos, Oxoniensis Academia antehæc præsentavit quod ex Archivis satis constat; Anno autē 1568. reiecto Christophero Younge quem Cancellarius & cœtus Magistrorum Oxon eidem Cantariæ præsentaverat ac nominaverat, Decanus & capitulum Ecclesiæ VVyndsoriensis, ad ipsos pertinere contenderunt, donec prolatis hinc inde monumentis tam Academiæ quam Ecclesiæ plane certe contrarijs & repugnātibus, lis Oxoniensibus adiudicata est.

Cantaria de Wyndesore Oxoniensibus concessa.

184 Sixtus Quartus Romanus pontifex in suo de Oxoniensiū privilegijs, iurisdictionibus, exemptionibusque (quas supra Cantuarienses Archiepiscopos enervasse diximus anno dom, 1479, Edwardi verò quarti 19) confirmandis diplomate, multorum privilegiorū quoquè Oxoniensibus ab Edwardo isto concessorum meminit, quæ tamen in Vniversitatis Archivis nobis nunquàm occurrerunt.

185 Sed ne hæc quidem tempora illis vacabant controversijs quibus Oxoniensis respublica cruciari atquè vexari solebat. Quid enim ea commemorem quæ turbulentum illud de non Residentibus edictum subsecuta sunt? vt Simonē Alcocke rectorem de Westelbery, lectorem eximium, non sine insigni difficultate, impetrata à Ioanne Episcopo Londō veniā

Oxoniensium discordiæ variæ.

veniâ, Oxonienses vix apud se retinere potuerant? Quid acerrimas Gulielmi Melton ordinis minorum cum matre Academiâ lites; nisi eiusdem optimatibus parere tandem didicisset? Quid acerbas illas Cancellarij Thomæ Chace, cū Thoma Coventre Maiore Oxon de iurisdictione in parochiâ, S. Thomæ, & fori procuratione velitationes?

186 Nec defuit Gulielmus Museluycke Augustinensiū Prior, qui Oxoniensem hominē Philippum Norrys eò quòd eum in lecturâ suâ lacessisset, hæreseos postulavit, & inconsulto Cancellario ab Eugenio quarto excommunicari fecit: ex quo tantæ profectæ sunt iræ, vt Philippus Romam accersseretur vna cum Edmundo Kyrton, qui & Eugenio infestus fuerat; Gulielmus vero Prior ad Cancellarij tribunal citatus non comparuit, qua de causa Vniversum Augustinensium claustrum suspensum est à Cancellario, & Philippus ope Humphredi Glocestriæ ducis, ex omni periculo ereptus.

187 His malis accessit illa domestica inter Magistros facultatis artium & Magistros grammaticæ, ratione cuiusdam pensionis quam Artistę à Grammaticis exigebant contentio: Henricus Sextus Grammaticorum causæ propitius, iussit, vt Artistæ sententiam suam expectarent. Contentio inter Artistas & Grammaticos de pensione.

188 At Magistri facultatis Artium, Regi per litteras respon derunt, multisq; modis litem suam contestati sunt; nec non Ioannem Brasyl in grammatica licentiatum, periurij reum, ex cœtu suo eiecerunt; porrò Vniversitatem Oxon, super facultate artium potissimùm fundatam, illamq; facultatem maximis & amplissimis omnium privilegijs stabilitam fuisse, regi asserere nō dubitarunt: quæ illorum assertio adeo rata atq; firma habebatur, vt adversus Civilistas eodem quoquè tempore valuerit, non solum cum de Artistarum & Civilistarum primatu ageretur, sed etiam cum vnanimi totius Academiæ assensu decretum esset, vt in defectu doctoris iuris civilis, Procuratores haberent potestatem deputandi aliquē Magistrum artium qui iuris civilis scholares si opus esset ad gradus præsentaret. Contentio inter Artistas & Civilistas.

189 Iamq; Edwardus quartus Oxonienſibus paulò anteà infeſtiſſimus, poſt victoriam adeptam gratia Roberti Bathonienſis ac Wellenſis Epiſcopi qui ei tum ex intimis fuerat, adeo totus Oxonienſis evaſit, vt litteris ad Academiam ſua manu ſcriptis, apertè ſignificaverit, ſe peculiari quadam ratione, *Protectoris Univerſitatis Oxon nomen ſibi aſſumpturum.*

Edwardus Quartus peculiaris Oxonienſiū Mæcenas.

190 Quas litteras poſtquam Oxonienſes ſuis privilegijs inſeruiſſent, id quod regi gratiſſimum fuit, religioni vindicandæ ſe accingentes, omnes Wicklefi & Pecocke libros ſolenni conventu, pulſatiſq; campanis in quadrivio (ecce ſummum illorum temporum furorem) Vulcano tradiderũt: Tho. Smyth hęreſeos aliquantum ſuſpectum apud regem purgarunt: Oxonienſibus ad omnem dignitatem adytus patebat: Cancellarius, novis & inauditis è ſcaccario mandatis, pro decimis colligendis à regimine Vniverſitatis impeditus, liberatus eſt.

191 Gulielmus Hey Burgenſis, qui dum in oppido ab Oxonia valde remoto ageret, magicis artibus Iacobi Graunt ſcholaris. Oxoniam raptum, plagis cæſum & incarceratum ſe finxit, à Thoma Epiſcopo Lyncoln inſignis commenti poſtulatus & convictus, ſatis graves ſceleris ſui pœnas dedit: Iſacus Cuſake ordinis Minorum & Dionyſius Tully ordinis Prædicatorum qui Ieſum Chriſtum, mendicaſſe, in Hybernia prædicarunt, ab Archiepiſcopo Dublinienſi capti, Oxoniam tranſmiſſi ſunt.

192 Rex lectionem Theologicam, ſine audientium ſtipendijs Oxoniæ inſtituit. Ad quam audiendam non ſolum nobilem ſuum nepotem, vnà cum Magiſtro Stanley quoq; nobili, Edmundum Polum, legente tunc in Cathedra Epiſcopo Sarum, *ſed etiam exemplo dei, qui non ad quoſuis populos, ſed ad primogenitum populum Iudaeum filium ſuum incarnandum tranſmiſit*, vtrumq; filium, Edwardum poſtea quintum fratremq; ſuum (quod in litteris Academiæ ad regem gratulatorijs apparet) Oxoniam ſummâ diligentiâ miſit.

Edwardus Quintus & frater Oxoniæ ſtuduerunt.

193 Quod-

193 Quod & Richardum tertium, fædum illud monstrum, specie saltem Oxoniensibus propitium reddidit, qui & nova addidisse, & vetera privilegia sine pretio confirmasse, ac disceptationes philosophicas Oxoniæ audivisse (inaudito Regum exemplo vt ex epistola Vniversitatis ad eum constat) ac dum apud Magdalanenses ad campum fatalem de Bosworth profecturus, commoraretur, quibus nonnulla amoris sui pignora reliquit, de multis alijs spem fecisse dicitur.

Rich: Tertius.

194 Secuta est tanta laicæ gentis in Oxonia discordia, vt pro impetranda vi in electione Maioris sui ad alienos cõfugerent, quæ res scholaribus non infæliciter cessit, quanquã primâ facie aliquid fraudis subesse putabatur: oppidani enim ea occasione depositis armis, tam immensis conditionibus ad tuendam fovendamq; pacem sese coram optimatibus initio regni Henrici septimi, obligabant, vt nunquam ab eo tẽpore in studium suarum partium alienos vocarent, quãtumvis animo in scholares satis si non nimium infesto.

Discordia Op: pidanorũ Oxon. in Maioris sui electione.

Henricus Septimus.

194 Non defuit enim Ioannes Roys, strenuissimus veneris filius, tantus muliercularum qui ex corpore quæstum fecerunt propugnator, vt continuas de illis liberãdis ac manumittendis apud Procuratores, lites ageret, quæ ex turpissima sua libidine natæ atq; profectæ sunt: Quibus cum cedendum sibi vidisset, non tam cito copias perditorum hominum in finitimis villulis adversus scholares congregavit, quã ope clarissimi Oxoniensium Mecænatis quem honoris causa nomino Richardi Foxi Præsulis Wintoniensis, victus atq; profligatus est, qui ad omne maleficium paratissimus fuit.

Rich: Foxus sceleratorum copias profligavit.

195 Non solum enim Abbatis de Abingdon servo Thomæ de Sellar, suasit, vt vasa ac thesauros cum iocalibus monasterij diriperet, ac Oxoniam deferenda curaret, vbi à Cancellario captus est, & Tho. Twats Augustinensium Prior, eo quod bona recepisset, in uincula coniectus, sed etiam cum magister Greeke scholaris conscitâ nece perijsset, statim cũ regijs ministris egit, ne defuncti bona ad pias largitiones Cãcel-

cellario ſcholarium pro more adminiſtrãnda permitteretur, ex quo rex Thomæ Bankes hoſpitij Rectori edixit, vt aut bona defuncti Eleemoſynario ſuo traderet, aut ad tribunal ſuum veniret, rationem facti ſui redditurus.

Controverſia inter Cancellarium Oxon. & Eleemoſynariũ Regium de cuiuſdam defuncti bonis.

196 At Cancellarius ea de re privilegijs ſuis nixus, cũ Eleemoſynario Regio Doctore Meyo certamẽ inijt, in quo Arthuri Principis & Epiſcopi Roffenſis ope ſuperior evaſit. Immo nec Archiepiſcopo Cantuarienſi ceſſit qui cum prærogativæ ratione probationem teſtamenti Tho. Sow Burgenſis Oxon Londini in carceribus extincti ſibi vendicaſſet Cancellarius aſſiſtentibus ipſi Regentibus cum prædictum Thomam ſcholaris cuiuſdam famulum intellexiſſet, ita rem geſſit, vt non ſolum ius ſuum ſed & defuncti teſtamentum ſatis ratum atq; probatum Cantuarienſi oſtenderet.

197 Fuit tanta eo tempore ex ſtagnis & aquarum obicibus, Oxoniæ propagata colluvies, vt tabificus aer, peſtiferum ſudorem in corporibus humanis procrearet, ex quo innumeri occubuerunt; deſerta eſt vrbs & Academia, donec à Magnatibus Angliæ, præcipuè verò à digniſſimo Præſule Richardo Foxo, tantis Oxonienſium incommodis conſultum eſſet.

Oxonienſis ſudor.

Rich: Foxus Oxonienſibus opem fert.

198 Reverſis verò ſcholaribus, clariſſimæ memoriæ fœmina Margareta Richmondiæ ac Derbiæ Comitiſſa H. 7. mater, lectionem Theologicã in Oxonia, cui tredecim librarum, ſex ſolidorum & octo denariorum annui reditus ſtipendium ab Abbate Weſtmonaſterij ſolvendum allocavit, Sanctæ & individuæ trinitatis nomine inſtituit: cuius primus lector fuiſſet vir diviniſſimus Edmundus Wilford: eo verò recuſante electus eſt Ioannes Roper Theologus nemini ſecundus, illi verò ſucceſſit Hugo VVeſtonus, S. Theologiæ Doctor.

199 Quin & Gulielmo VVarrhamo Archiepiſcopo Cant. Oxonienſiſq; Academiæ Cãcellario digniſſimo in mẽtem venit, vt quam optimè totius Vniverſitatis Oeconomię conſuleret: quapropter miſſo domino Ioanne Younge, S. The-

Gulielmus Warrhamus Oxonienſium Rebus conſulit.

Theologiæ Doctore, Archiva inspecta sunt, cistarum & scriniorum custodes ad rationes reddendas evocati, statuta Academiæ varijs modis confusissima, ac in privatorum hominum manibus nescio quo modo detenta, opera Gulielmi Lychfeild legum doctoris & præbendarij in regia capella Sancti Stephani VVestmonaster: in vnum corpus redacta; renovata sunt ab Edmundo Audley Episcopo Sarum, Archiva, ferratisq; fenestris munita; pulchrumque tectum Senatoriæ congregationis domui iniectum.

200 Interim Thomas VVolsæus Oxoniensis ille Camillus, exemplo antiquorum, venerabilis scilicet Prioris de Leycester & Roberti Stratford, iniurias ab Oxoniēsibus propulsabat. Etenim cum Burgenses non solùm privilegiatos vt Bedellos & alios Vniversitatis servientes, sed etiam idiotas & rerum penitùs ignaros in sua coram Cancellario annua inquisitione, vti dicitur, impanellarēt in summum Vniversitatis præiudicium, cum octodecim de legalioribus suis hominibus non sub privilegio existentibus eidem negotio præficere teneantur, excommunicatis à Cancellario propter audaciam Ballivis, regiæ maiestati conquesti essent, apertè declarabant se scholaribus insidiaturos. Thomas Wolsæus. Ballivi Oxon. à Cancellario excōmunicati

201 At Dominus Doctor Vescy, capellæ regiæ, nec nō Dominus Doctor Chābers capellæ, S. Stephani VVestmonaster. Decanus, omnia illorum consilia scholaribus prodiderunt: victâq; Burgensium causâ, Ballivi culpam agnoscentes, in domo congregationis absolutionem à sententia Cancellarij humillimè petierūnt, quam tandem cum clausulâ reincidentiæ vt severiùs cum illis in posterum ageretur, consecuti sunt; Abbati quoque Osneyensi satisfacere cogebantur, qui ad congregationem Regentium appellasset eo quod Ballivi cum pistoribus pepigissent, se solis molendinis castri in posterum vsuros. Abbas Osneyēsis ad congregationē Regentiū Oxon. appellat.

202 Neque verò hic fuit iniuriarum modus aut finis: taxabant vna cum laicis, scholares: Thomam Pantry Vniversitatis Bedellum Calisijs natum, è bonis suis ac fortunis eiece-

runt regij edicti prætextu de seisandis Gallorum bonis, vigilias & excubias eodē quoque prætextu in vicis ac plateis noctu agebant, in quibus procuratores pacis sunt custodes, ad lurcones ac noctivagos capiendos: Gulielmus Baker & Thomas Buclande qui in vrbe & Academia incendij autores fuerant, illorū operâ ex vinculis & carcere Bocardo elapsi sunt, quanquam illius custos, quoties aliquis è custodia sua elabitur, toties duos solidos Cancellario soluere teneatur.

Oxoniensium incōmoda.

203 Heu quantis incommodis vno eodemquè tempore res Oxoniensis afflicta est: hinc vexabant oppidani: incendebant fures: illinc Abbas Readingiæ pecunias ac bona, à suo prædecessore Ioanne Thorn Academiæ concessa, eripere nitebatur, nisi Thomas Bentley in medicinis Doctor, etiam invito Abbate Vniversitati tradidisset.

204 Ex altera verò parte, Augustinenses fratres, fucato inopiæ, & egestatis colore, non mediocrem quæstum compararunt; edictoquè regio cavebatur, nè vlli prætereà illam regulam in Oxonia exercerent, quo immoderatiùs lucrarentur. Nam quòd ad disputationes quæ in eorum ædibus habebantur, vbi ordine primo in logica veteri; ordine secundo in logica nova; & ordine tertio in Philosophia ab Vniversitatis Baccalaureis disputari solebat, eas quidem occasione cuiusdā pestis apud Augustinenses grassantis, ad Ecclesiā beatæ Mariæ translatas fuisse constat.

Disputationes Augustinēses.

205 Accessit Quadragesimale tempus Oxoniensibus semper fatale, quo inter religiosos etiam ordines, tanta exarserunt odia, vt Benedictini, vi & armis Cistercienses, ignavissimum monachorum genus oppugnarent: procuratores Vniversitatis diligenter ipsis intendebant, Thomas Hinckes civis seditiosus, ad omne maleficium natus atque factus, cum quibusdam Canonicis Osneyensibus alijsque clàm egit, vt regulam suam exirent, quippe iam ad omne nefas aditum facilimum patefactum esse.

Benedictinorum & Cisterciensiū Oxon. discordia.

206 Tū Ioannes Hayns sceleris nefarij socius, ad interficiendos Procuratores quatuor Benedictinos, tres seculares,

mul-

multosq; aliosq; ex suis ædibus veluti ex equo Troiano emisit: noctu in quadrivio acerrimè pugnatum est: Victis fugatisquè malefactoribus procuratores superiores evaserunt; Thomas Hayns pessimè meritus, in exilium eiectus, & non sine insigni difficultate vrbi suæ restitutus, cùm omnium bonorum odium diutiùs ferre non potuisset, sponte sua solum mutavit.

207 Iam Henricus rex illius nominis octavus Abyngdoniam venit; quò ad eum salutandum venerabilis doctorū & provectiorum cœtus profectus est; Regina verò & Thomas VVolsæus Archiepiscopus Eboracensis, titulo, S. Cæciliæ presbyter Cardinalis Oxoniam venientes, à reliquis honorifice suscipiebantur. Cardinalis eloquentissimam habuit orationem, in qua se omni officio pro Oxoniensibus acturū dixit; cumquè in animo haberet quotidianas bonarum literarum lectiones Oxoniæ in perpetuum constituere, petijt vt in omnia statuta bonas literas spectantia potestatem haberet. Henricus octavus. Cardinalis Wolsæus Oxoniam venit.

208 Qua de re Oxonienses Warrhamum Cancellariū consuluerunt, qui suis rescripsit vt Wolsæo quidem quæ de novo condere velit, permitterent; nec non si vtilia futura essent, vnanimi assensu confirmanda curarent; at quod omnis authoritas reformandi statuta bonas literas spectantia in Cardinalem transferatur, ne nulla esset interim Cancellarij atq; Regentium autoritas, illud quidem nimis amplum habendum iudicavit.

209 Sed hoc illius cōsilium Oxonienses non probabāt; qua propter missis quibusdam è suis, delata sunt Cardinali apud Evesham statuta suo arbitrio reformāda, quod ipsi adeo gratum fuit, vt eorum latores ac nuntios, optimis beneficijs continuo donatos dimiserit; statim post, dum reformandis statutis vacaret meliùs ad Oxonienses scripsit, vt duos Artium Magistros in statutis ac antiquis Academiæ moribus peritos quos in illo negotio consuleret, sibi destinarent; missi igitur sunt Rogerus Dingley & Gul. Grise, qui à Cardinale plu- Oxonienses omnia Wolsæo permittūt.

plurimum aucti, ad suos reversi sunt. Cardinalis suis sumptibus septem optimarum artium lectiones vtilissimas Oxoniæ instituit.

Lectiones Wolsæi Oxoniæ institutæ.

210 Theologiam legebat Thomas Brynknellus divinorum oraculorum peritissimus: Lupsetus Procli globum in Latinum sermonem à Thoma Linacro tum conversum, suis auditoribus exposuit: Lodovicus Vives præclarus eloquentiæ Magister, Cardinalis rogatu relictis suis Oxoniam venit; vbi in iure civili doctor incorporatus, in Collegio Corporis Christi commoratus est; cuius eruditio adeo late patebat, vt non solum omnis Academica sed etiam Aulicorum turba vna cum Rege Henrico & Regina ad eum in aula eiusdem Collegij legentem audiendum, avidissimè conflueret.

Ludovicus Vives.

211 Thomas Linacer eodem tempore duas medicinæ lectiones Oxoniæ instituit; & meritò, vbi ex decreto Vniversitatis medicina iurisprudentiæ, sicut Magistri facultatis Artium Iurisprudentiæ Bacchalaureis præponuntur: Cãtabrigiæ verò unam idem lectionem in eadẽ facultate instituit, nec mirum profectò; antequã enim subintravit Procerum thalamos medicina, Cantabrigiam valdè humili loco fuisse habitam, scribit in sua querimonia M. Io: Summerset.

Tho: Linacer.

212 Fuit id temporis Cardinali admodum charus Ioãnes Voisey Episcopus Exoniensis, qui cum novos Cardinalis lectores varijs locis disiunctos ac semotos vidisset quo in vnam communem societatem convenirent, nunquam desistebat, donec Cardinali persuaserit, vt Collegium lectorum suorum institueret; quapropter Cardinalis per Ioan. Longlande oratorem suum Episcopum Lyncolniensem, Oxoniẽsibus significavit, se vnum in Oxonia ducentorum studentium septemq; Lectorũ honestissimis salarijs collegium omni ævo victurum, quàm splendidissimè instituturum; cui negotio vt fæliciùs prospiceretur, ipsum brevi accessurum.

Cardinalis collegiũ Oxoniæ molitur.

213 Decreti sunt igitur illi honores: comitia & festivitates instituuntur; alumni ad matrem Academiam exornandam tantarum rerum causâ vndiq; accersẽtur, & Cardinalis tan-

tanquam numen aliquod expectatur:quem omnem apparatum,fatalis subitò exorta pestis inanem reddidit:structura tamen adeò impedita non fuit,vt continuò Io:Longlande ab veteres Frideswidæ colonos abigēdos,& Cardinalitios alumnos introducendos Oxoniam mitteretur. Lutherus.

214 Interim Lutheri libri emanarunt;in quibus refutādis,Ioannes Kintonus,Io.Rogerus,Tho Brynknellus, Io. de Coloribus,Abbas Wenchcombensis,Oxonienses,magnā apud Cardinalem laudem meruerunt,sed maximam Edwardus Powelus Canonicus Sarum cuius scripta, cæteris omnibus Oxonienses præposuerunt:quæ omnia in vnum corpus redactaCardinalis in lucem emanasse vehementer cupiebat; cui Oxonienses responderunt se non solum propter stili varietatem illud facere nonpotuisse,sed etiam quia communis omnium Vniversitas contra hæreticum scribere nunquam solebat.

215 Tum Thomas Garrat sectæ Lutherianæ princeps, Londino Oxoniam latitandi causa devenit;verum Cardinalis indicijs à CommissarioCotisfordo captus,ex cubiculo illius vbi ad tempus custodiebatur elapsus,ad Aulam Glocestrēsem se contulit,vbi mentitis vestibus ope cuiusdam scholaris nomine Dolaber fugâ sibi consuluit.

216 Scholaris in aperto periculo constitutus,non seipsum solùm,sed etiam viginti duos alios in studio literarum tyrones,eiusdem sectæ reos prodidit;Cardinalis metuens,ne novum ipsius Collegium Lutheranismi labe polueretur,arctissimis custodijs detentos ac postea cęsos eijci cupiebat,nisi ætatis ac pænitentiæ qua sententias suas abiurarunt, ratio prohibuisset;Garratus vero Londini iterum captus , firmis Cardinalis præsidijs Oxoniā missus est,vbi miseris modis pęnas luebat,vna cum Io.Clarke qui exercendæ religionis causâ à Cantabrigia Oxoniam devenisset. Archidiaconus Leycestrensis dum de eorum condemnatione ageretur, summa vehementia adversùs Lutheranos pro concione multa in medium produxit,& Holimannus monachus Readingensis, Lutheranorū detectio Oxoniæ.

accerrimus Lutheranismi vindex, ad Paulinam crucem emissus est, eam ibi concionem habiturus quam suscepti gradus ratione aliàs in Academia habiturus esset.

217 Rex misso Edwardo Leighton qui ei à Sacellis fuerat, Oxonienses rogavit, vt si quid ipsis religionis curæ esset, quibus de causis Io. Wicklefus olim ab Oxoniensibus cōdemnatus, eiusq; condemnatio à Constantiensi concilio cōfirmata fuerat, sub autentico Vniversitatis sigillo diligenter ei significarent: illi vero publico instrumento inde confecto, Io. Wicklefum, malè de religione (vt aiebāt) sentientem, ab Vniversa Academia Oxoniensi in festo Ioannis & Pauli, anno dom. 1410. condemnatum fuisse asseruerunt, quod non repugnat testimonio à Ioanne Foxo in Commentarijs rerum in Ecclesia gestarum testimonio anno domini 1406. producto, in quo dicitur, Wicklefū illo temporere non fuisse ab Vniversitate condemnatum: ex his enim apparet illius condēnationem quadriennio post fuisse subsecutam.

Io. Wicklefus quare & quādo Oxoniæ condemnatus.

218 Gulielmus Warrhamus Archiepiscopus Cant. qui tunc vti diximus ad gubernacula reip. Oxoniensis sedebat, cum Oxonienses homines in causa religionis tantos propugnatores conspexisset, Magistri Gulielmi Tracy Armigeri de Todington in comitatu Glocestr. testamentū, in sua de Arcubus curia insinuandum atq; probandum, eo quod multa de fide ac bonis operibus, sanæ doctrinæ parum congrua cōtinere videbatur, ad Oxonienses suos transmisit discutiendū; qui sub autentico Vniversitatis sigillo testamentum illud in multis articulis hæreticum, reprobarunt & condemnarunt, quanquam iustâ atq; piâ Frithi ac Tyndalli defensione posteà non carebat.

Testam: Gul: Tracy.

219 Accesserunt statim censores regij, qui in vsus Bellicos non mediocrem pecuniæ summam ab Oxonienses exegissent, nisi Wolsæus ac Warrhamus rem strenuè egissent, eoq; redigissent vt decimæ quoq; ac primitiæ omnium Collegiorum Regi à parliamento concessæ, haud ita multò post remitterentur, ac in salarium Theologici lectoris, Regij, an Do-

Censores Regij.

Dominæ Margaretæ (cuius pensionis idem fuit cum istâ valor) haud scio, cederent: Oxonienses verò ex tanta solicitudine erepti, vt aliquas saltem Cardinali gratias referrent, perturbatam tunc procuratorum electionem, integram ei permiserunt; quod Warrhamus Cancellarius adeò ægrè tulit, vt multæ simultates inter eum & Cardinalem indies orirentur, quæ nisi celerem exitum habuissent, non pauca Academiæ incommoda creassent. Perturbata Procuratorũ electio Cardi nali cõmittitur

220 Præcipuè, quòd ita fortè eo tempore acciderit, vt & Academiæ ac vrbis privilegia in manus regias sursum redderentur, pontificalia quidem scholares non reddiderunt sed tantùm regia, quia regia tantum fuerant oppidanorum privilegia, non episcopalia aut pontificalia: quibus sursùm redditis ac resignatis, Magistris se ad electionem inferioris in artibus bedelli tunc vacantis comparantibus, mandavit rex, vt quoniam resignatis iam quibus niterentur privilegijs, nihil geri ab illis potuerit, eandem electionem ipsi integram permitterent, quâ permissâ, rex Io. Glin bedellum nominavit. Callidum Hi Octavi factũ.

221 Burgenses quoquè absentibus privilegijs, non solùm per inauditam rerum venalium caritatem, complures scholares abigere, sed etiam calidissimè egerunt, vt vel de tollendis vel vehementer minuendis scholariũ privilegijs quæ iam in regijs manibus erant, aliqua ratio iniretur; cui quidem ineundæ aditus per pecunias ac largitiones pateret: id eorum consilium, prudentissimum virum Thomam Morum, non latuit, qui ad compensandas illorum extortiones, quibus nuper adversus scholares vti diximus vsi fuerant, cum Primarijs senatoribus clam egit quos & consilij sui participes fecit, vt pecunias Burgẽsium acceptas, sibi traderent, quas ille statim elusis civibus, ad levandam scholarium inopiam, Oxoniam transmittendas curavit. Tho: Morus quomodo Burgensiũ largitiones vindicavit.

222 Cardinalis quoquè assignatis Cõmissionarijs, amplissima illa privilegia summa autoritate confirmata, ac in omne ævum victura, ad scholares transmisit; quibus Burgenses adeò territi sunt, vt Commissario Doctore Lindsey ac pro

curatoribus cum suis ad Guildhall pro more suæ curiæ illic habendæ accedentibus, occlusis ostijs resisterent; quam eorũ audaciam Commissionarij, qui cum venerabili viro doctore Hygden Collegij Cardinalitij Decano Privilegiorum latore, citò satis vindicabant; non solum Ballivis excommunicatis sed & Michaele Heth Maiore; quo ipso pręsente Bedellus Vniversitatis, litteras illius excommunicationis, Rectori, S. Ebbæ tradidit: Maior vero quanquam resistebat pulsato Bedello sed ad reliquas Ecclesias festinanti, postea tamen sedẽte pro tribunali Commissario, venit cũ duobus Aldermannis, Henrico Morgan & Io. Pie, & suppliciter absolutionem petens, gratiam consecutus est. Wolsęi verò, Warrhami, Mori, Thomæ Bulleni Vicecomitis Rochefordiæ, & Thomæ Northfolciæ ducis ope (Oxonienses olim proceres erant isti) scholares tuto loco constituti sunt; vsquè adeò vt nisi turbulenta illa de Regis cum Catharina nuptijs quæstio accidisset, omnis profectò discordia procul abfuisset.

Burgenses privilegia à Wolsæo impetrata reformidant.

223 Consultis enim Cantabrigiensibus, qui in regis ipsius sententiam statim devenerunt, Warrhamus Cancellarius officiosè admodùm cũ Oxoniensibus egit, vt de eâ re iuxta veritatem statuerent: misso à rege cõfessore suo Episcopo Lyncoln, qui apud præfectos ac Regentes causam suam ageret, non solum comminationibus sed etiam promissis: seniores igitur & præmijs maturiores facilè assenserũt, iuniores vero & præmijs capescendis ętate immaturiores, qui fortunæ suæ periculum nondum fecerant, summis viribus renitebantur.

Quæstio de Nuptijs Henricianis.

Regentes Oxon. divortio Regis non consentiũt.

224 Rex à Windesoro satis minaciter ad Regẽtes scripsit, dixitque se iratum illis crabronem futurum, nisi quamprimùm senioribus sese accõmodarent; quibus in sententia permanentibus, cum nec Edwardi Foxi gravitas, nec eloquentia doctoris Bell quicquam apud illos potuisset, exclusis Artistis (quanquam quod in statutis sæpè dicitur, reclamante facultate artium nihil fieri solet) res Theologis solis commissa est, & ad illorum arbitrium definita, ac publico Vniversitatis si-

sigillo, Regei transmissa, qui & multas illis gratias egit, & adversarios Regentes, asistente Southfolciæ duce à Commissario puniendos curavit.

225 Orta est alia continuò de Papali iurisdictione quæstio, in qua cum certam Oxoniensium definitionem rex expectasset, postquàm per triginta, S. Theologiæ Doctores ac bacchalaureos de ea solenniter deliberatum esset, vnanimi omnium assensu de pontificia iurisdictione excludenda, sub sigillo Vniversitatis conclusum est, Anno 1534. quanquam alia statim de Lyncolniensis iurisdictione orta esset, qui Gulielmum Cooke in legibus bacchalaureum in causis fornicationis per comitatum Oxon commissarium instituerat, qui in huiusmodi causis, maximas Cancellario molestias creaverat.

Alia de Iurisdictione Pontificia quæstio

226 Ista vero omnia, cuius ponderis aut momenti esse possunt, si cum Cantabrigiensium incommodis comparare velimus? nam vt cætera omittam, quis ignorat quid de Cantabrigiensibus suis ad Georgium Bruinum Theatri civitatum autorem, scripsit olim Gulielmus Soonus: *perpetuas* (inquit) *cum civibus*) *rixas & pugnas habent, quod maximè perspicitur in certaminibus ludicris quæ æstate in plateis, clypeis ictus declinantes & castibus vulnera inferentes, exercent: periclitandæ virtutis suæ causâ noctu egressi clavis prægrandibus, quales Herculeas fuisse dicas ferro transverso, quo vim à capite arceant armatis rem gerentes, vigilias sæpè cædunt: In plateis ambulantes, decedi sibi de via non à civibus solum sed etiam à peregrino quovis nisi dignitate excellat, postulant: vt iam in proverbij locum venerit equum Roistonum* (*est autem pagus Roiston vnde Londinum hordeum coctum equis impositum pervehitur*) *& Magistrum Cantabrigiensem duo esse animalium genera quæ nemini de via cedãt*: hæc Soonus.

De Pugnis & discordijs Cantabrigiensiũ.

227 Nam Io. Maior quoq; ante eum, cum ista apud Cãtabrigienses vidisset, per errorem de Oxoniensibus & illis, dicit *vtrinsq; Academiæ scholares, Enses & Arcus ferre*: lib. 1. de Gestis Scot: cap. 5. χόλον profecto hic video, non χολὴν:

 Vien-

Viennæ hæc fieri solent vbi propter quotidianas rixas ac pugnas, studentes pauci emergunt docti, inquit Cassaneus in Catalogo gloriæ mundi parte x. conclus. 32. non Oxoniæ, vbi scholarium discordia maximi ominis olim censebatur, quod Io. Talbottus Oxoniensis olim poeta suo more observauit

Chronica si penses cum pugnant Oxonienses
Post paucos menses, volat ira per Angligenenses.

228 Ideoq; à priscis patribus [vt mirabile spectaculum quoq; Vniversitatis Oxoniensis tranquillitas habebatur, quod processisse videtur ex illo Platonis dicto, per iocos pueriles sciuntur regni prospera vel adversa: quid igitur armati tui Soone sibi velint? an ignorant quod Thomas Walsynghamus de parliamento Cantabrigiæ sub Rich. 2. habito scribit, vbi nova ait statuta fuisse ordinata de stipendijs famulorum, de mendicis, de armis nō portandis, de ludis non exercendis præter ad arcum? &c.

Antiqua Oxoniensis tranquillitas.

229 Verum his omissis veniamus ad reliqua controversiæ capita quæ inter nos & Londinensem discutienda sūt: quorum primum est de vtriusq; Academiæ doctrina ac literis: alterum de scholasticorum numero.

230 Ac mihi quidem, adeo magnifice de vtriusq; Academiæ literis, sentiendum video, vt illam Pauli Iovij de vtraque Academia sententiā, vndequaq; amplectar. *Vigent* (inquit) *in Anglia duo gymnasia alterum apud Oxoniū supra Thamesin alterum Cantabrigia non longè ab Eligensis vrbis paludibus: in hac ingenuorum adolescentium ingens numerus ad perdiscendas liberales disciplinas concurrit. professoribus enim stipendia alimētaq; discipulis antiqua Regum liberalitate & optimorum Antistitum testamentis persolvuntur: condidere siquidem multis ante seculis supra 27 Collegia constructis è lapide peramplis ædibus, quibus ad sempiternam beneficentiæ laudem, conditores cognomenta & insignia reliquerunt: nihil autem ea iuventutis educatione institutioneq; modestius religiosius atq; frugalius: vt non mirum sit inde provenisse ingenia, quæ in dialectica philosophiaq; & in sacris demum literis, Europam*

De literis vtriusq; Academiæ in genere.

Europam omnem subtilitatis admiratione cõpleuerunt, & tum maxime cum maiores nostri repudiatis optimarum scientiarum authoribus, nihil potius quam difficiles captionum nodos & convoluta disputantium sophismata mirarentur. hæc ille: cui ego Nicholaum Fierbertum quanquam Oxoniensem adiungerem, cuius in hac re ea fuit censura, vt licet perquam pauca obstarẽt quo minus huius & illius ornamenta conferantur, *vtramq; tamen simul sumptam vel cæteris totius mundi Academijs præferendam vel comparandam* iudicaverit.

231 Londinensis tamen hac æquitate minime contentus, non solùm experimento quodam, verumetiam gravissimorum scriptorum autoritate, Polydori, Erasmi, & aliorum, adeo de alumnis suis gloriatur, vt non solum cum Oxoniensibus comparandos, sed & facilè præponendos censuerit.

233 Experimẽtum est, quod anno domini 1533. Georgius Throgmortonus, de illa quæstione quâ de iuris civilis præstantia supra medicinam & Ioannes Aschwellus, (vterq; iuvenis Oxoniensis) de illâ, quâ, *An mulier morti condemnata & bis suspensa ruptis laqueis tertio suspendi debeat*, quæsitum est Cantabrigiæ disputatum venere: vbi Throgmortonus in sua quæstione, à Io. Redmanno alijsq; Cantabrigiensibus adeo misere afflictus est, vt Aschwellus quoq; de sua defendenda, summopere desperans, ægritudine simulata se clam subduxerit. Quasi necesse esset illic ægritudinem simulare, vbi grassante olim pestilentiâ (autore Walsinghamo in Rich. 2.) homines sospites subita correpti mentis frenesi sine sensu aut viatico moriebantur. Aut quasi isti duo Oxonienses tyrones illud minus simul aggredi auderent, quod multò antea Ioan. Argentin ex eodem cœtu, Cantabrigiæ facere solus ausus erat; qui quid rei illic gesserit, ex titulo quorundam eiusdem Argentini exercitiorum apud Gul Worcestrensem, facile intelligi potest: sic enim scribit. *Actus Magistri Ioannis Argentin publice habitus in Universitate Cantabrigiæ, contra omnes Regentes huius Universitatis quoad oppositiones in anno Christi* 1407. tum ipsius Cantiones subiungit cum hoc exordio

Experimentũ Londinensis.

Ioannes Argentyn.

Non

Neu sis turba Regens nostros tacitura per annos;
& hoc quoq; Epilogo
Et velit huc conferre pedem sacra turba Regentum
Vt ferat an motis sociem benè carmina nervis.
hæc Gul. Worcestrensis.

234 Sed audaces mihi crede Oxonienses, qui eodē autore Walsinghamo, non solum dubia & inextricabilia toti mundo declarare, sed & ipsos Parisienses subtilitatis Magistros vti supra ostendimus, (vt omittam hic Rogeri Bacon octodecim annorum puerum Ioannem Londinensem, quem Oxoniæ ab ipso edoctum, is omnibus mūdi sapientibus præferendum censuit) & hic rursus Cantabrigienses, ad doctum certamen provocare ausi fuerint.

235 Nam, quòd ad Throgmortonum attinet, fuit is admodum iuvenis, nec ætatis adhuc satis confirmatæ, vti ex fidelissimis testimonijs didici: qui tamen ob id summam laudē meruit, quod cum non pro doctissimo ab Oxoniensibus haberetur, vnus tamen ausus esset Vniversam Cantabrigiam ad certamen provocare: quod neminem Cantabrigiensem Oxoniæ fecisse vnquam constat: eos enim Cantabrigienses qui in causa religionis cum P. Martyre aut Crāmero & Ridleyo disputatum Oxoniam devenisse memini, alio certe loco habendos censeo.

Responsio ad experimentū seu instantiam Londinensis.

236 Ac si Antiquario Oxoniēsi credendū sit (quod quidem faciam ego nisi quis dedoceat) is in quibusdam suis annotationibus quas ipsi vidimus, scriptum reliquit, suo tempore duos artium Magistros Cantabrigienses, Bancum scilicet ac Bernardum in ædibus Christi Oxoniæ commorantes superfuisse, & oculatos & auritos illarum disputationum Cātabrigiæ habitarum testes: qui Throgmortonum illum Oxoniensem tyronem, tanta laude certamen illud inijsse tantoq; pectore adversus omnes Academiæ illius Antagonistas, partes suas egisse, asserebant, vt illorum iudicio, victoris non victi nomen meruerit; Ashwellus autem vt Throgmortono aliquantum ætate superior fuerat, ita Oxoniensis Antiquarius

illius

illius Contubernalis, eum non disputandi, sed tantùm concomitandi atq; spectandi causa, Cantabrigiam cum Throgmortono profectum fuisse affirmat: quare quod Londinensis addit, vtrumq; Oxoniæ infamiæ causa exulasse, est profectò ab omni veritate alienum.

237 Pergit tamen Londinēsis, ac de experimentis literarum comparandis, *historicos* (inquit) *excute omnes, Fastos omnes & tempora evolvito mundi, & superiores aut saltem pares semper invenies Cantabrigienses &c.* quasi tanta esset vel Oxoniensis vel Cantabrigiensis eruditionis canities, vt in vetustissimis mūdi fastis singulis tēporibusq; occurreret? Equidē (absit arrogantiæ nomen) quosdam fastos evolvi, antiquissima mundi tempora consului, ac vt plura nō recenseam, Henrici Pātaleontis, Ecclesiæ chronologiam à primis incunabulis repetitam legi; in qua sub Patrum & luminum Ecclesiæ titulo, multos Oxonienses, Cantabrigiensem vero neminem reperisse me memini.

Inanis Londinensis gloriatio.

238 Idem in Michaele Neandro, parte secunda orbis terræ, & in Cardano lib. 16. de scientijs observavi, cui certè duos Oxoniensium meorum principes Scotū dico atq; Swicetum cum Euclide spectatissimo subtilitatis artifice comparanti & inter duodecim subtilitatis Magistros quorum primus est Archimedes recensenti, graviter succensuit Scaliger exercitat. 324 Sect. 1. non solum quod Archimedem illis iniquè pręposuerit, sed etiā quod alios duos eiusdem quoque palestræ Athletas, Occhamum, & ad sensum ipsius Cardani in responsione ad illam obiectionem, Hentisbarū prætermisserit, Oxoniensem vtrumq;; de nullo autem Cantabrigiensi aut popstosito aut omisso ex illo illustrium virorum ordine atq; catalogo eum Cardano succensuisse lego. Quis enim Tritemio, Lelando atq; Baleo merito succenseret eo quod Oxonienses vltra tercentum, Cantabrigienses vero nō plures vno supra centum & viginti scriptores, in suis catalogis commemorarunt? quanquam & nobis multo plures quotidię fere occurrerunt, quos illi inter Oxonienses meos non

Plures scriptores Oxonienses quàm Cantabrigienses.

numerarunt, quod idem de vtriusq; Academiæ prælatis dico quorum Oxonienses quidem sexaginta duos, Cantabrigienses vero tantum vnum & viginti in suo Episcoporum catalogo Godwynus recenset, & tu tamen mi Londinensis, Historicos omnes atq; si placet fastos pro antiquis Cantabrigiensibus tuis appellas?

239 Perge igitur ad Polydorum Vergilium, *illi enim homini Italo & in neutram partem inclinato notum & confessū quoq; esse dicis, Cantabrigiensem Academiam cum Oxoniensi & potuisse semper & nunc quoq; posse de virtutis, literarum, ingeniorum, fœtusq; sui gloriâ certare, fortasse etiam superare.*

Argumentū Londinensis ex Polydoro petitum.

240 A me vero exorandus es, vt Polydori verba diligētèr attēdas *μηδὲ δίκην δικάσης πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσης*: is enim libro historiæ 5. sic scribit; *Oxonia statim à principio tum divinarum humanarumq; literarum studijs, tum mira hominum doctrinis incumbentium frequentia multo celeberrima esse capit, deinceps vsque eo floruit, vt iam facile cum quovis alio totius orbis gymnasio de nominis gloria certare possit &c*: tū addit: *certat nominis celebritate cū hoc Oxoniensi gymnasio, Academia quæ Cantabrigiæ apprimè floret: quæ tametsi discipulorum numero minus vincit, bonarum tamen artium Vbertate nequaquam impar est.* hæc Polydorus.

Polydorus non suffragatur Londinensi.

241 Dic mihi iam te obsecro, an Polydorus, Cantabrigiam cum Oxonia certare semper potuisse, fortasse etiam superare, scripserit? ego enim ex his nihil aliud intelligo, nisi Cantabrigiam Oxoniæ esse æmulam, quæ nunquam est æqualis cum Archetypo præstantiæ.

242 Quanquam enim Polydorus Cantabrigiam bonarum artium vbertate nequaquam imparem Oxonia scribat, tamen Io. Maior etiam Cantabrigiensis trimestris lib. 1. de Gestis Scot. cap. 5. postquam de Oxonia locutus, doctissimos illius proceres, Io. Duns Doctorem Subtilem, Alex: Halensem, Rich. Middletonum Ockamum, Adamum Hybernicum, Rob. Holkottum, Bokinghamum, Eliphatum, Climitonem Langley, Io Roditon, Swiset Calculatorem acutissimum, Hentisbarum dialecticum exercitatissimum, Strodū,

Brad-

Bradwardinũ(quẽ Lodovicus Vives lib.3.de causis corruptarum artium,in geometria,& Cuthbertum Tonstallum Balliolensis Collegij alumnum in arithmetica legendum præcipit)enumerasset,in hunc modum statim addit,*est & alia Vniversitas Cantabrigiæ;Oxonia paulò inferior tam in scholasticorũ numero quàm in literis &c.* hæc Io.Maior, quem ego cum Polydoro facilè conferendum existimo, cuius miror sententiã de origine Cantabrigiæ reiecisse(Sigeberto enim tribuit) de literis vero & eruditione Londinensem admisisse.

Sententia Io: Maioris de doctrina Cantabrig.

243 Accedit huc Lelandus qui in Cygnea cantione nõ solum vtriusq; Academiæ professores sui temporis enumerat sed etiam ita enumerat,vt nemo adeo desipiat,qui eum Oxoniensibus primas concessisse non intelligat;non enim credo eum ignorasse quid alibi de Gulielmo Stapylhart retulerit,quem talem fuisse prædicat *qualem nec sua ætas quantumcunq; aurea sit,inter doctos collocare dedignaretur,nisi fortè elegantulus aliquis,parvum esse existimet, Philosophiæ & Theologiæ penetralia vastissima quidem illa perlustrasse; & nisi sciolus aliquis humile quidpiam esse ducat,principem locum interpretandi sacras literas Oxonia habuisse.*

Sententia Lelandi de literis Oxoniens.

244 Quo in loco satis magnificũ Professoris munus apud Oxonienses insinuat,quod & multò luculentiùs temporibus retroactis elucet;nã sub Henr:3°. Io:Blondus bonas artes publico stipendio Oxoniæ docuit,& post eũ Io:Basingus vir in trivio & quadrivio eruditissimus.

245 Henrico autem Sexto imperante,nõ amplius pro vili pretio & privatim,*sed gratis,integrè,atq; publicè omnes artes ac disciplinæ legebantur,quo quidem commodo(si Oxoniam accipias) cætera in toto orbe studia* in litteris Vniversitatis Oxon ad Henricum sextum,*eo tempore caruisse dicuntur*. Quare vt non omittam in Lelando locum,vbi de Tyssingtono sic scribit, *quanto Oxonium fructuosa vrbs bonarum artium exercitatione cæteris præstat vrbibus,tanto clarior mihi quidem videtur Tyssingtoni eruditio*,in quo quis non videt eum Oxoniam Cantabrigiæ præposuisse?venio ad Erasmum,qui in sua ad Dom: Montioyum

Egregium Acãdem.Oxon. argumentum.

Alterum ex Lelando argumentum.

ioyum epistola sic scribit.

246 *Unicè Mecenas antehac gratulatus sum Angliæ tuæ, quæ tot haberet viros egregia doctrinâ præditos: nunc propemodum invidere incipio, quæ sic efflorescat omni genere studiorum, vt omnibus regionibus laudem præripiat, ac penè tenebras offundat: quanquam ista laus haud ita nova est vestræ Insulæ, in qua constat iam olim eximios viros extitisse: declarant id vel Academiæ vestræ quæ vetustate nobilitateq; cum vetustissimis ac celeberrimis certant: Deamo Richardum Episcopum Wynton, qui magnificentissimum Collegium suo sumptu proprio dicavit bonis literis: magis autem exosculor egregium ac prorsus Heroicum animum Reverendissimi Thomæ Cardinalis Eboracensis, cuius prudentia schola Oxoniensis, non solum omni linguarum ac studiorum genere, verum & moribus qui deceant optima studia, condecorabitur: nam Cantabrigiensis Academia iampridem omnibus floret ornamentis, Præside Ioanne Episcopo Roffensi, qui nulla in parte egregium non agit Præsidem.* hæc Erasmus; qui Cantabrigiensem Academiam iam in præsenti, Oxoniensē vero posthæc in futuro omnibus ornamentis condecoratam iri significat, inquit Londinensis.

Londinensis Argumentū ex Erasmo.

247 Ac nobis quidem gloriæ potius quam ignominiæ futurum est, quod Oxoniensis eruditio adeo latè propagata est, vt exteris quoq; hominibus Cantabrigiensis scholæ quæ ab Oxoniensi emanavit, literæ atq; studia innotescerēt; quæ fortè ne nimium extollenda censeas, revoca in memoriam id quod idem Erasmus ad H. Bovillum scribit, *Ante annos fermo triginta nihil tradebatur* (inquit) *in schola Cantabrigiensi, præter Alexandrum parva Logicalia vt vocant, & vetera illa Aristotelis dictata, Scoticaq; quæstiones &c.* hæc Erasmus,

Responsio ad Erasmum & Londinensē.

248 Quod si tum primum elegantiores literæ accessērint (quanquam satis constat Cantabrigienses etiam eo ipso tempore adeo ab elegantioribus studijs abhorruisse, vt ipsius Erasmi eruditam ac verè Latinam novi testamenti versionē, edicto suo iugulaverint) quis ob id ex Erasmo Cantabrigiam Oxoniæ anteponendam censebit?

249 At nulla vnquam ætate tam barbaris studijs dedi-

tam fuisse Oxoniam comperies; quin tanquam fœcundissima meliorum disciplinarum linguarumq; parens viros semper (vt cætera taceam) Latinè, Græcè, & Hebraicè doctissimos aluerit: argumento sunt præter alios benè multos Robertus Grostedus sive Capito, Oxoniensis, & Gregorius Huntingdonus individuus eiusdem Achates qui regnante Henrico eius nominis 3. linguarum studiosissimi perhibentur; quorũ ille moriens bibliothecam suam quam habuit Græcis & Hebraicis voluminibus instructissimam huius hortatu sive potius ob affectionem qua Adamum de Marisco complexus est, Franciscanorum Oxoniensium bibliothecæ legavit anno domini 1255. sedente tunc Cancellario Magistro Radulfo de Sempringham.

Oxoniensis eruditio.

Rob. Grosted.

250 Eo tẽpore floruit Oxoniæ Nicholaus Græcus Abbas posteà monasterij D. Albani, cuius ope, Robertus Grostedus testamenta duodecim patriarcharum quæ Iudæi & hæretici diù anteà occultaverant, è Græco in Latinum transtulit autore Math. Paris. in maiori Chronica, anno 1242. porro Nicholaum hunc Oxoniæ primum & deinde Lutetię studuisse author est Lelandus, qui eius etiam in illis studijs diligentiam mirificè laudat: floruit quoquè Rogerus Bacon, qui præter exquisitam Matheseos ac aliarum etiamnum disciplinarum peritiam, Græcæ & Hebraicæ linguæ fuit peritissimus quemadmodum Græca & Hebraica volumina quæ extant adhuc eius olim manu annotata palam testantur; quid reliquos?

Rog. Bacon.

251 Fuisse tamen Oxoniæ fateor postea cum scholastica doctrina in pretio haberetur quibus Latini sermonis mũdities non vsquequaquè exculta est, vt ex Scoti, Baconthorpij, Holcotti, Burlæi & similium scriptis deprehendere licet: sed quicquid eloquentiæ diminutum est in illis, abstrusissimarum disciplinarum cognitione abundè pensatũ videbis: quãquam dubitari quidem potest num re ipsâ compti politique sermonis ignari essent isti, an potius ad altiora summo studio nitentes, eloquendi rationem dissimulassent, contenti qua-

licunq; sermonis apparatu & recepto magis quam eleganti scribendi genere mentis cogitata expressisse.

Rog: Swicetus.

252 Ex quibus est Rogerus Swicetus primus artis calculatoriæ autor, cuius olim scripta in omnibus exterorum ferè gymnasijs nec non domi Oxoniæ è cathedra, accuratæ philosophiæ studentibus, legi atq; exponi cõsuevere: quem vna cum Ioanne Duns aliàs Scoto ordinis Seraphici minorum, in comitatu Northumbriæ in villicula parochiæ de Emyldõ vocatâ Dunstan nato, Mertonensis collegij socio, vna cum Ockamo & Hentilbaro, Hieronymus Cardanus itemq; Scaliger, inter duodecim subtilitatis Magistros (vbi nullus est Cantabrigiensis) enumerat.

253 Non defuerũt politioris literaturæ magistri Lodovicus Vives & I. Picus qui in illius scripta ꝙ nihil ipsi in subtilitate potuissent, acerrimè invecti fuerint; non secùs q̃ Petrarcha in senẽ Dialecticũ Oxoniensem scilicet Strodũ, qui si Petrarchã cõtra subtilitatis studia scribentẽ vnquã convenisset, profectò eum vno sophismate vel altero penitus excussisset.

254 At Iulius Scaliger magnus subtilitatis artifex hunc Swicetum Calculatorem, studiorum suorum facile principẽ agnoscere non veretur: *humani enim ingenij modum penè omnem eum excessisse*, Ockamum quoque alterum Oxoniensem *omnia vetera ingenia subvertisse, & nova ob invictas & incomprehensibiles subtilitates fabricasse atquè confirmasse*, scribit, exercitat: 324. sect. 1. nec mirum tibi videatur quod in vnius argumenti Calculatoris de reactione etiam contra experimentum, solutione, tota laboraret posteritas, autore Cardano lib. 16. de scientijs: & tu tamen ex Polydoro, Cantabrigiam tuam cum Oxonia de fœtus sui gloria certare posse contendis?

Ars Calculatoria unde dicitur.

255 Porrò, Ars Calculatoria dicitur, ob accuratam proportionum trutinam in qua pensitanda quasi calculis esset opus, quod in sophisticis olim disputationibus vsu venit, in quibus ob iteratas & multiplicatas negationes & affirmationes vt certius deprehenderetur, pari an impari loco negatio vel affirmatio versaretur, pendẽte adhuc lite, fabæ, pisæ, vel cal-

culi

culi deferebantur, autore Io. Sariſburienſi, 1. Metalogici, cap 3. quibus cum præ ſenectute diutiùs vti non potuiſſet, quæ non calculis ſicut ætate florenti ſolebat, ea ſuis lachrymis tãquam calculis penſitabat, ſivè quod veteri diligentiâ recenter frueretur, ſive (quod paulò iniquiùs alij ſunt interpretati) quæ olim iuvenis in ſcripta retuliſſet, effæta tunc ætate, intelligendo minùs aſſequeretur, quod in memoriam mihi revocat illam in ſophiſtriâ ſuâ obligationem, *pono tibi iſtam, omnis homo diſputans eſt Oxonij, &c. dignus tamen quem neque ſenium ſenem faceret, neque natura lex vita privaret, niſi meliorem vitam apparaſſet,* inquit de Swiceto Iul. Scaliger. exercitat. 340. ſect. 1. qui in illius campis non mediocriter verſatus, non ſolum *ab Oxonio*(1) ſecundum huiuſce & aliorum Oxonienſiũ morem, ſolidè ſcilicet & quaſi calculo rem premens ſe cum Cardano adverſario diſputaturum dixit exercitat. 16. ſect. 2. ſed etiam in Oxonio (quemadmodũ ex ipſius verbis colligo exercitat. xcIx. ſect. 1. *Lutetiæ*, inquit, *aut Oxonij modicâ indutì togulâ, hyemes non ſolum ferre ſed etiam frangere didicimus*) egregijs his artibus excolendis perquàm liberaliter operam poſuerit. Iul. Scaliger Oxoniæ ſtudnit.

256 Nè verò omninò indignè in iſtis verſari videamur proferamus tibi teſtimonia de Oxonienſium eruditione ac literis non ſolùm in vniverſum, ſed & preſſiùs reſpectu Pariſiorum & Cantabrigiæ potiſſimum tuæ, vt provinciam tuam omninò difficillimam intelligas, niſi illis quæ ſuperiùs dicta ſunt acquieſcendum duxeris.

257 Ac principiò quidem cum Henrici Regis Angliæ poſt conqueſtum tertij temporibus, Magnates Anglię vnanimi aſſenſu, de periculis Reip. civilibuſq; diſcordijs, maximè verò de inopia & imminutione cleri Anglicani, apud Alexandrum 4. Anagninum Pontificem Rom. conqueſti eſſent, is anno dom. 1259. quemadmodum apud Annales Burtonẽſes qui ab anno domini M°. iiij°. indictione 2ª. incipiunt, reperio, reſcriptis ad Magnates Anglię litteris ſic reſpondet. Illuſtria Oxonienſis eruditionis teſtimonia.

258 *Illud quod de modica ſapientum paucitate Anglicæ nationis*

tionis quorum antiquitùs multitudo inveniri consueverat, non videmus: cum per Dei gratiam vix reperiatur regnum aliquod seu provincia in orbe terrarum, quod vel quæ maiorem vel adeò magnam sicut regnum Angliæ habeat virorum copiam peritorum: in hoc etenim regno invenitur his temporibus fons amænissimus Heliconis, de cuius liquore dulcissimo, non solum incolæ regni eiusdem verum alienigenæ sua suavia sumunt & hauriunt pocula per quæ arida eorum fæcundantur corda & sitibūda reficiuntur pectora copiose: hic liberales philosophiæ artes quibus rudia hominum erudiantur ingenia, resident hinc procedit inclyta multorum doctorum & sanctorum prosapia de quorum consortio supremus gaudet exercitus, & coronatur in cælis acies bonorum; & per quos Christianus illustratur populus & fides Catholica roboratur, & de quorum etiam pectoribus alti eruperunt, iam & erumpunt putei scripturæ qui documentorum fluentis rigant provincias convicinas. Hæc Alex. Anagninus.

259 Qui non solum Anglorum literas ac eruditionem laudat, propter amænissimum Heliconis fontē in regno Angliæ scaturientem, sed etiam eundem ab Oxonia fontem erupisse, non obscure quidem significat; tum quod Oxoniæ complures vt Lyncolniensem, Baconum, Adamum de Marisco &c. Cantabrigiæ vero nullos vel paucissimos ea tempora produxerunt melioris notæ alumnos, tum quòd Cantabrigia pontificibus Romanis adeo ignota tum fuerat, vt non nisi multò postea regnante scilicet Edwardo Angliæ Rege 2. Vniversitas primum vt ante diximus fieret: Oxoniensis vero studij nomen, totum terrarum orbem sua gloria impleverit, ac postremò quod hæc verba de fonte literarum præcipuo in Angliæ regno intelligenda videntur.

Oxoniensis Helicon.

260 Oxonia verò est *fons & alueus Anglici studij præcipuus* (quanquam Cantabrigiam quoq; fontem parvū & fluvium P. Blesensis superius dixit) autore in sua charta Edwardo tertio, immo non fons, sed *ipsum circularis eruditionis mare in plures facultatum rivulos derivatum*, teste Lelando, *& regni Angliæ iocale nobile, vbi fons Theologicæ facultatis scaturit & vbi trivium*

Varij Oxoniensis Acad. tituli à literis petiti.

trivium & quadrivium sua fũdamenta posuerunt, autore Edwardo 2°. in sua ad Papam Io: 22. anno regni XI, & ad Oxoniẽses pro capellano Universitatis charta;; *Ecclesiæ fundamentum* autore Math. Paris *& approbatum ab antiquo studium*, teste H. 3. in sua ad eosdem charta: *tanquam vitis abundans, multos in vinea domini palmites producens fructuosos*, & *peculiaris regni Anglici Thesaurus & super aurum & topazion pretiosus*, autore iterũ Edwardo tertio in suis ad Oxonienses chartis; *sapientiæ quondã culmen & mirabilia toti mundo proponens*, vbi fælix Theologiæ remigium authore Thoma Walsinghamo, & Gregorio papa XII apud eundem, Thoma Arundelio, & Gul. Lynwooddo in constitutionibus provincial.

261 *Est quoq; mater fœcundissima clericorum, virtutis speculum, cœlum stellatum illuminans mundum, & originalis fons sapientiæ indesinenter emittens rivulos scientiæ septiformis.*, autore Gul: Rimston seu Remyngton, in sua concione quam anno dom. 1372. in synodo Eboracensi habuit: Dicam quoquè ex poeta Astronomico, qui dum in typo suo sic scribit

Falciger ignivomis percelsa Draconibus astra,
Vectus ad imbriferi Capricorni sydera tendens
Qua ferus obliquâ subsedit Aquarius vrnâ
Possidet expositum quicquid sub sole cadente est.
Submersamq; helicen, Ruscos Bavarosq; Getasq;
Oxoniam Augustam & Macidum campestria rura;
Hic artes studiumq; trahit, terraque fodinas
Materiamq; manu certâ duplicarier arte.

262 Saturnum ad ingenij culturam maximam vim obtinere ostendit: in Anglia verò id prę̃stare propter Oxoniam Augustã, cui etsi Capricornus immineat vt Oxonienses Mathematici & Christoph. Pezelius in præceptis Genethliacis affirmant, Saturnus tamen quia dominus est Capricorni domus, præesse dicitur.

Saturnus, quare Oxoniæ imminet.

263 Accedit deniquè Rogerus Baconus eiusdem temporis scriptor, qui licet tantos labores in comparandis vndiquè doctissimorum hominum monumentis hausisset, tantos

in sapientum amicitijs acquirendis Oxoniç & Parisijs fecisset sumptus, nihil tamen habeat ex quo quicquam vel de literis vel de hominibus ipsis Cantabrigiensibus, extorquere quis possit; cùm tamen Parisienses, & Oxonienses, ac alios exteros sapientiæ nomine celebres, inveniet; nec credibile est eũ ipsum Cantabrigienses sapientes omissurum, si quos vel omninò, vel scitu dignos illis suis temporibus antiquis fateor, Cãtabrigiæ invenisset.

264 Quæ omnia ad Alexandri litteras refero, quas de solâ Oxonia intelligendas esse non dubito, cùm de Cantabrigia provt ex hisce liquet omninò intelligi nequeant. Cuius rei si quis sit qui certiorem fidem desiderat, is mecum diligenter recenseat, ex quibus tandem studiorum ac laborum curriculis, Oxonienses heroes tam insignem laudem meruerunt.

265 Nam vt à sacrarum literarum studijs exordiar, quis ignorat Alexandrum Neckhamum lib. de Nat. Rerum 2. Theologiæ lauream Parisiensibus concessisse? ad quorum certè imitationem Robertus Lyncolniensis circa annum Dom. 1240. Oxonienses suos hâc epistolâ hortatus est, quam etsi forte longam, tamẽ propter antiquitatem (scribebatur enim annno Domini 1238) & autoritatem, subiungere non verebor.

Epistola Roberti Lyncoln ad Oxonienses pro textu S. Scripturæ exponendo;

266 *Robertus D. gratia Lyncolniensis Episcopus dilectis in Christo filijs Magistris Oxon in Theologia Regentibus, salutem, gratiam, ac benedictionem: Periti ædificiorum constructores omni prospiciunt diligentia, quod lapides omnes in fundamento ponendi vere sint fundamentales; omnis videlicet ædificij supererigendi supportationi sua soliditate convenientes & apti: vos autem estis domus dei constructores superædificantes eam super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso angulari lapide Christo Iesu: lapides igitur fundamentales ædificij cuius vos estis architectonici, præter quos nemo potest alios invenire, aut in fundamento ponere, libri sunt prophetarum, inter quos legislator Moyses non immerito est annumerandus: libri quoq; Apostolorum & Evangelij quos lapides fundamentales vos in fundamento ponitis & disponitis, cum eosdem libros*

bros per donum discretionis spirituum secundum mentem editorum, auditoribus exponitis: Omni igitur circumspectione vobis cavendū est, ne inter fundamentales lapides vel pro fundamentalibus nō fūdamentales ponantur; ne fortè minor non fundamentalium soliditas superædificata prius pareat rimosum, & demum ruinosum. Tempus autem maximè proprium ponendi & disponendi prædictos lapides in fundamento (est enim tempus fundandi sicut est tempus ædificandi) hora est matutina qua ordinariè legitis: decet igitur vestras lectiones omnes (maxime tali tempore legendas) esse de libris novi testamenti vel veteris, ne si secùs fiat, inter fundamentales, vel pro fundamentalibus lapidibus, minime tales ponantur: tempus quoque, unicuique negotio congruum contra scripturæ doctrinam & rerum naturalem ordinem, non tribuatur, ne à patrum atque maiorum vestrorū vestigijs, & conformitate Regentium Parisius Theologorum, manifestè recedatur. Quia igitur totis affectamus charitatis visceribus quod omnia inter vos etiam honeste & secundum ordinem fiant (sicut præcipit Apostolus) vestram discretionem omni qua possumus affectione & devotione rogamus, monemus, & exhortamur in domino nostro Iesu Christo, quatenus omnes lectiones vestræ ordinariæ hora legendæ matutina, de novo sint testamento vel veteri, vt sitis similes patri familias, immo potius ipsi patresfamilias proferentes de thesauris vestris nova atque vetera, non alia quædam velut horum media, aut ab ἀγιογραφοῖς pluribus superædificata, quorum doctrina est aliud tempus convenientius accommodandum &c. hæc Lyncolniensis integerrimus atque amātissimus Oxoniensium pater, *cuius comparatio ad omnes doctores modernos* (inquit Io. Tysslyngtonus in sua adversus Wicklefum confessione) *est veluti comparatio solis ad lunam quando eclipsatur.*

Parisiensiū & Oxon. Theologorum conformitas.

267 Oxoniæ vero cum tantos cognitionis flores delibasse, autor est provt supra diximus in Oxoniensium catalogo Gulielmus Worcestrensis; quanquam Baleus huiusce rei non meminit: cui accedit Thomas Gascoigne præclarus Lyncolniensis admirator, qui in fine operis Lyncolniensis de cura Pastorali hæc addit. *Explicit tractatus S. memoria doctoris Roberti Grosted quondam Lyncolniensis Episcopi de potestate & cu-*

Rob. Grosted fuit Oxoniensis.

ra pastorali: & idem doctor fecit alium libellum de consimili materia qui incipit, Natis & educatis &c. Iste dominus Lyncolniensis fuit doctor S. Theologiæ Oxoniensis vt patet in littera testimoniali quam post mortem eius scripsit clerus Oxoniæ Clementi 4. papæ pro eius Canonizatione facieda: & in illa littera testatur Universitas Oxoniæ quod propter magna & plura miracula & propter emanationē olei ab eius tumba, Sanctus Robertus in Anglia dicebatur, & est copia huius litteræ in monasterio Canonicorum de Osney: Idem in sermone D. Lyncolniensis de Levitis: & in Speculo laicorum satis quidem innotescit, nec non ex hac ipsius epistola evincitur in qua ad biblici textus lectionem Oxonienses Theologos depositis summulis, vehementer hortatur, eumq; & Parisiensium & maiorum suorum fuisse morem (antiquitatis hoc est argumentum) integerrimus pater asserit.

268 Illa verò Parisiensium Theologorum cultura parum fuit diuturna, crescentibus inter eos & Prædicatores odijs, qui purioris Theologiæ loco (autore Matheo Paris) Ioachimi Abbatis deliramenta sub Evangelij æterni titulo in impuris suis vmbraculis tractabant, latiusq; propagassent, si nō restitisset quorundam Parisiensium pietas, qui Evangelio illi Anathema de Roma accersebant, nam quod Baleus cent. 4. cap. 24. in appendice quasi ex Matheo Paris, novum illud Evangelium etiam in Oxoniensibus scholis tractatum commemorat, vehementer errat, nec erroris sui Matheum habet autorem. Error Balæi.

269 Postea ius civile apud Gallos & alibi in magno pretio esse cæpit; quod cum Parisienses Theologi animadvertissent in tantas vt vocant vtrumnositates se coniecerunt, ne propter rerum suarum exilitatem ab alijs contemnerentur, vt omnino immemores sui, ipsum S. Scripturæ textum deserentes summulis atq; sententijs totos se traderent: illam legendi rationem, Rogerus Baconus Oxoniēsis, cap. de 4. Theologorum peccato in opere maiore ad Clementem quartū gravissimè reprehendit. Parisiensiū defectus.

270 *Bacchalaureus* (inquit) *qui legit textum succumbit le-*

ctio-

ctori sententiarum Parisiis & vbicunq; in omnibus honoratur & praefertur: nam Parisiis, ille qui legit sententias habet principalem horam legendi secundum suam voluntatem, habet & socium & cameram apud religiosos: sed qui legit bibliam caret his & mendicat horam legendi secundum quod placet lectori sententiarum: & qui legit summas disputat vbiq; & pro Magistro habetur, reliquus qui textum legit non potest disputare, sicut fuit hoc anno Bononiae & in multis aliis locis quod est absurdum: manifestum est igitur quod textus illius facultatis subiicitur vni summae Magistrali: sed propter hoc est statutum cuiuslibet facultatis, nam omnis alia facultas vtitur textu suo solo, & legitur textus in scholis, quod scito textu sciuntur omnia quae pertinent ad facultatem propter quam textus sunt facti, & longè maius est quod textus hic de ore domini & sanctorum allatus mundo, est ita magnus quod vix sufficeret aliquis lector ad perlegendum eum in tota vita sua: alibi Magistri textum legunt, demum facti doctores non vsi sunt nisi hoc textu; neq; sapientes antiqui quorum aliquos vidimus vt fuit dominus Robertus Episcopus Lyncoln & frater Adamus de Marisco & alij maximi viri &c. haec de lectionibus Rogerus.

Rog: Bacon ad legendum S. Scripturae textum hortatur.

271 In opinionibus, idem si opus esset demonstrarem: ac Thomam Bradwardynum nostrum proferrem; cũ quo, falsâ de praedestinatione dei Parisijs opinione imbuto, Oxoniamq; reverso, Ioannes Baconus sive Baconthorpius Doctoris Resoluti nomine notissimus tanto pectore, tamque acerrime disputavit; vt eum tandem excuteret renitentem, ac ad suam opinionẽ perduceret fatente ipso Bacono lib. 4. sententiarum, distinct. 1. quaest. 4. De erroribus, quoq; amplissimus esset dicendi locus, nisi Thomas Walleis alias Gualẽsis, Oxoniensis alumnus nobilissimus, de beatifica Visione, Ioannis pontificis R. 23. foedissimo errori, viriliter sese opposuisset, vt Ockhamum iam nullo loco commemorem.

272 De concionibus ac disputationibus Oxoniensium Theologorum, ex Thoma Gascoigne in verbo, Praedicator, accipies: *Sancti doctores antiqui, puta beatus Augustinus, & beatus Bernardus qui praedicabant clero vel populo, non sumebant in-*

Disputationes Theologicæ Oxon.

principio sui sermonis aliquod thema vel textum, sed proposuerunt in principio sui sermonis certam materiam vel diversas materias necessarias de quibus loqui intendebant in illa die &c. & consimiliter (inquit) *solebant doctores Theologiæ Oxoniæ nullam quæstionem disputandam in scholis Oxoniæ proponere nisi textum aliquē, S. scripturæ, puta, Vtrùm Deus noster refugium et virtus sit adiutor in tribulationibus, quod non, arguitur sic & sic: Item quæro in 2ª materia, An Deus videat cogitationes hominum et hic quæro talia vel talia; & iste modus antiquus disputandi fuit servatus Oxoniæ inter Theologos, vsquè ad bonæ memoriæ doctorem Richardum Flemminge Eboracensis diœcesis, Episcopum Lyncoln qui circa annum D. 1420. induxit Oxoniæ modum vsitatum iam inter Theologos Oxoniæ in quæstione proponenda & in 4. quæstionibus proponendis concernentibus primum & secundum, & tertium & quartum librum sententiarum, &c* hæc Tho. Gascoigne.

273 De pietate verò ac religione Oxoniensium, ex tēporali ipsorum fælicitate iudicium ferendum est : quemadmodùm enim tres temporalis Academiæ Oxoniensis fælicitatis causas invenio,
1 quod plurimos in Ecclesia dei sanctitatis nomine celeberrimos produxerit,
2 quod Orthodoxæ fidei tuendæ ac propagandæ semper incubuerit,
3 quod in patronos ac benefactores gratissima semper extiterit, ita sex illius fælicitatis gradus potissimum deprehendere licet.

Sex temporalis Oxoniensium fælicitatis gradus.

1 274 Primum (vt antiquiores præteream) sub Aluredo ipso summo omnium restitutore, quasi divinitus nobis dato atq; concesso, vt de Oxoniensibus suis quam optimè mereri posset :
2 secundùm sub Henrico primo qui Anglicanæ linguę conservatæ causa, incredibili amore Oxonienses prosecutus est :
3 tertium sub Edwardo tertio cuius auspicijs triginta millia scholarium Oxoniæ floruisse dicuntur; Richardus Buriensis φιλοβίβλος literas plurimum auxit. Anglia Scotia & Hybernia factæ sunt Oxoniæ tributariæ vti postea dicam: cives Oxonienses in libertatem Londonensium (quod multo antea Rich. 1. concesserat) asciti, & Oxoniensis clerus in religiosos
4 & laicam gentem ius & imperium exercuit: quartū sub Henri-

ri-

rico 5.& 6.quo tempore vnum gradum temporalis fælicitatis totius regni Angliæ Bozius constituit,quem & Oxoniæ ob id constituo,non solum Henrici quinti causa qui in Oxonienses incredibiliter propendebat, sed etiam Humphredi Glocestriæ ducis, cuius in eosdem benignitas æternis nobis monumentis consignanda est.

275 Ac ne quicquam prætercam quod iure vendicandum est,quis ignorat eo primùm tempore, præclaris Oxoniensium meritis in concilio Constantiensi,Anglos inter 5. nationes tunc habitos,ac primatum ab Hispanis reportasse?qua de re supra fusiùs dictum est.Quintum sub Henrico octavo, 5
quo tempore fortissimus ille Oxoniensiũ Camillus, & magnificentissimus Mæcenas Wolsæus, tanto ac tam elato animo ad ornandos Oxonienses accessit,vt si vita proposito suo respondisset,nescio quid magni atq; stupendi effecisset: illud tamen effecit,vt meritò inter summos Oxoniensium temporalis fælicitatis autores habeatur: Sextus gradus est quo iam 6
floret Academia Oxoniensis sub serenissimo illius nominis Rege Iacobo primo,qui non ita pridem Academiam Oxoniensem & præsentia sua illustravit, & ingenio suo ornavit verè heroico, beneficijs quoquè maximis cumulavit vt Bodleyanam bibliothecam omittam, quæ illustrem in hoc gradu locum iure optimo vendicare debet.

276 Nequè verò desunt certissimi effectus, quibus temporalis Oxoniæ fælicitas ista de qua diximus facilè si observentur,dignosci queat,non solùm quòd aliquando extinctas penè in ipsa Anglia,Gallia,Scotia, Hybernia & passim alibi per Europam Vniversam literas(& frequenter Cantabrigię) resuscitaverit,ac refocillaverit,verumetiam ipsius imperij ratione semper observabis,totius reipublicæ fortunam nescio quo pacto,Oxoniensium fatis semper accommodatam, & ex ijs modo quodam pendere;cum ex huiusmodi gestis literatorum(quod sentit Plato)noscũtur regni prospera vel adversa;& Chronica si penses &c:dixit superiùs poeta fatidicus Talbottus.

Temporalis fælicitatis Oxon. effectus.

277 Addo

277 Addo etiàm illos reges, pontifices atquè Magnates, florẽtissimos fuisse omnium in hoc regno à tempore quo divinitus apud Anglos Oxoniensis schola tanquam Lucifer vt ait Rossus exorta primùm est, qui aut ipsi Oxoniæ studuerunt, aut in Oxoniense Lycæum antiquissimum ac sapientiæ studijs deditissimum, benignissimi Mecenates extiterunt; exemplo sint superiores illi de quibus modò diximus, quibus etiam si fas esset aut opus, plures id generis adiungerem; At pessimè semper ijs successit qui præclarum hoc virtutis ac literarum studium enervare conati sunt.

Algarus.

278 Annon Algarus Comes qui de Oxoniensibus delẽdis cogitavit, pænas cæcitatis dedit, ac postea in latrina perijt? Frideswidæ numen (hoc est) religiosus metus, reges illos deterruit qui malè aliquid in Oxonienses auderent: Gulielmus Neustriorum dux sublata Aluredianorum pensione, barbarie atque ruditate omnem pene Angliam inquinavit, vt Oxoniensibus Musis paulatim tamen iterum divinitùs renascẽtibus (illa enim ætas Cantabrigiæ studium non vidit) nihil difficilius esset, quam tantam barbariem ex suis finibus ejicere, atq; omnia pristino nitori restituere.

Gulielmus Angliæ Conquisitor.

279 Richardus secundus Oxoniensibus parum propitius, quiquè multifariàm vim literatorum privilegijs malo animo intulit, non immunis evasit eo tempore quo Thomas Glocestriæ dux illi rebellis, regias copias iuxta Oxoniam fugavit ac misere dissipavit, Thoma Arũdelio Archiepiscopo Cant: in exilium misso, qui rescindendis Oxoniensium privilegijs, Regi author extitisset. Hæc de Theologia.

280 In Mathematicis disciplinis quanquam solum Rogerum Baconum nominasse satis esset, is tamen quoniam duos Oxonienses Mathematicos in opere maiore ad Clem. 4. profert, Robertum nostrum Lyncolniensem, fratremque Adamum de Marisco quos per Mathematicæ potestatem, omnium rerum causas explicare potuisse affirmat, ideò ex eodẽ addo in opere minore in præfatione ad Clem. 4. *Perspectivã suo tẽpore nec Parisijs nec alibi apud Latinos nisi bis Oxoniæ in Anglia fuisse lectam.*

281 Fuit

281 Fuit igitur alter hic Parisiensium & Cantabrigiēsium defectus; Oxoniēsiū verò summa, vti videtur, perfectio, quòd omnium Latinorum primi,(nā Lyncolniensis illā Matheseos partem Arabicis antea symbolis involutam, Latino eloquio exposuit, quem Io:Peckham Cantuariēsis postea secutus est) perspectiuæ communis præcepta in suis trivijs tradiderunt.

Defectus Parisiēsiū & Cantabrigiensi in Mathematicis.

282 Quod in causa fuit, quòd Parisienses vt vsu posteriores, ita in doctrinæ præceptis Oxoniēsibus inferiores, à viris doctis nonnunquam reperiri soleant, quod à P. Cervelo Darocensi in quæstione de sana radiorum visualium intelligentia observatum est; vbi cum Platonicorum & Parisiensium de radio visuali sententias recensuisset, Oxonienses inquit non solum contra antiquos philosophos, radios visuales ab oculis emicantes, & contra Parisiēses, similitudines aut intentiones colorum quibus illi visionem fieri asseruerunt, negare, sed etiam affirmare, solam præsentiam obiecti erga potentiam ad visionem sufficere (*mentiri enim in suis determinationibus Oxonienses nesciunt*, autore Ioanne Gersone in concione ad Pisas euntes) quod ille Augustini autoritate confirmat, *ex obiecto & potentia paritur notitia*.

Oxoniensis Perspectiva.

283 Quæ & Baconi quoq; sententia est in eximio illo de perspectiva communi libro, satisq; ipsius Cæsaris experimento confirmata, qui dum expeditionem in Britanniam pararet eodem Bacono referente, maximorum ope speculorum à gallicano littore, totius Britannicæ regionis civitatū & castrorum situm atq; tractum intuebatur. hæc Baconus summus ille aureæ illius ætatis signifer, in Mathematicis adeo versatus, vt quadraturam circuli Aristoteli incognitam, sibi suisq; veraciter notam in parte prima operis maioris, non obscurè significet: nempe hæc fuit illorum Oxoniensiū laus, vt quæ toti mundo dubia atq; inextricabilia censerentur, ea & proponerent autore Walsinghamo & solverent.

Baconus τετραγωνισμὸν novit.

284 Cum vero Oxoniæ non deessent ex Religiosorū secta, qui minùs bene de pluralitate formarum sentientes, v-

Religiosorum error de pluralitate formarũ Oxoniæ condemnatus.

nam tantum homini formam intellectivam scilicet, corrupta in illius infusione sensitiua & vegetativa cõcederent, ne si plures essent, inde forte sequeretur, Christi corpus vivum & mortuum idem numero non esse, Robertus Kylwarby Cathedralis Theologiæ Oxoniæ professor sub quo S. Thomas Cantilupus Vesperias suas autore Capgrauo in Theologia tenebat, tum vero Archiepiscopus Cantuariensis, vnanimi cæterorum Regentium & non Regentium assensu circa annum domini 1276. illam opinionem tanquàm erroneam & orthodoxæ fidei parum congruam Oxoniæ condemnauit, quod in libro de erroribus in Anglia & Parisijs condemnatis, cuius meminit M. Tho. Iames in Caij & Gonelli bibliothecæ manuscriptis, manifestiùs proculdubio patebit, quanquam nec Matheus Cantuariensis prætererit in vita R. Kylwarby, nec Io. Viguerius in tractatu de anima sensitiva, nec Alphonsus à Vera cruce lib. 3. de Anima.

285 Qua sententia ex Oxoniensibus scholis, vel potius ex Religiosorum vmbraculis explosâ, cæptum est verè atquè solidè philosophari vsq; ad tempora Richardi Knapwell ordinis prędicatorum, qui eo vsq; antiquum suorum dogma renovavit, ac adversus Ioannem Peckam Cantuariensẽ Archiepiscopum Oxóniæ strenuè defendit, vt Archiepiscopi quoquè iurisdictionem plurimùm læderet, ex quo variæ vtrinque lites natæ atquè profectæ sunt, autore Matheo Cantuariensi.

Parisiensiũ error de generatione misti.

286 Hic ego si in philosophicum pulverem cum Parisiensibus descenderem, permultos certe ipsorum in philosophia defectus merito obijcerem, quorum opinionem qua ad generandum mixtum, quodlibet elementum iuxta vires suas integras localiter concurrere olim asseruerint, Anglicos hoc est Oxonienses meos, vt *ieiunam & impossibilem* deseruisse autor est Rogerus Baconus in lib. de Rerum Generationibus cap. 1. quòd si quinq; scientiarum præcipuarum vsu Parisienses id temporis caruisse dixero ex eodẽ Bacono in cap. de 3. theologiæ peccato, cui foret incredibile, eos & Physica

&

& Metaphysica Aristotelis damnasse atq; explosisse, quod de ijsdem refert Baconus in opere minore ad Clem. 4? Non ita Oxonienses Theophrasti, qui ab omni ætate, Aristotelis se totos disciplinis imbuendos tradiderunt; eiusq; institutioné, esse veluti Appiam quandam viam ad omnes scientias censuerunt. Parisienses olim Physica & Metaphys: Aristotelis damnarunt.

287 Testis est Ioannes Monachus qui in Aluerediana restitutione Dialecticam illius suis auditoribus exposuit: testis est Ingulphus Croylandensis qui nonnihil ante Angliæ cóquestum, Oxoniæ vti ipse scribit in historia sua, prima Aristoteleæ rudimenta delibavit disciplinæ: hinc argutiæ subtilitatis fabricæ, hinc accuratæ proportionum calculationes, hinc densum illud Britannicorum Dialecticorum agmen & Oxoniense, Ergo, præpotentis apodictici vocula, quã Franciscus Petrarcha lib. 12. Rerum senilium epistola 2. tantopere formidavit: *Vrbane (inquit) facis & graviter, quòd non infers stomachosum illud, Ergo, Parisiense & Oxoniense, quod mille iam destruxit ingenia*; scilicet, creando nova; vt recte de Ockamo nostro alibi Scaliger. Neq; enim ego veteres illos multò ante Oxoniensium Dialecticorum ætatem, magis excusandos cẽseo, quòd Dialecticæ ignari extiterunt; (cuius rei Rog. Baconus, parte primâ operis Maioris cap. 13. hanc rationẽ affert, *Platonis libros Doctores omnes assumebant in manus quoniam translati fuerunt: sed libri Aristotelis tunc non fuerunt translati: nam Augustinus fuit primus translator Aristotelis & expositor*;) quàm Oxonienses meos laudandos, eo quòd Aristoteli, Peripateticæ philosophiæ principi iam in Lat. linguam a nonnullis satis aptè translato, sed imprimis Græco; siquidem *dulcius ex ipso fõte bibũtur aqua*, eiusq; optimis interpretibus, tam diligenter, semper se tradiderunt; id quod ex ista cuiusdam supplicatione patebit. *Decimo quarto die Iunij, petita est gratia sub hac forma: supplicat venerabili congregationi Regentium, Dominus Willielmus Okeborne, Baccalaureus facultatis artium nuper licentiatus vti pellura; quatenus lectura librorum Aristotelis Prædicamentorum, Priorum, Posteriorum, Peryermeniarum: librorum*

Oxonienses semper Aristotelici fuerunt.

Primus Aristotelis interpres Lat.

Supplicatio in domo Regentium Oxon.

rum de Anima: novem librorum Metaphysicorum cum commentis Doctoris subtilis & Auerrois: librorum de Calo & Mundo: Partium de libris Physicis: sex librorum Ethicorum; & lectura ad vnũ Politicorum, possit sibi stare pro completa forma, ad effectum, quod possit admitti ad incipiendum in facultate Artium. Ista gratia est concessa sub istis conditionibus, quod soluat 20. ad fabricam novarũ scholarum, & quod semel respondeat ante gradum, & sub istis conditionibus ab altero Procuratorum legitime pronuntiatur. Hæc in Registro. . Anno Dom. 1448. Cancellario Magistro Gilberto Kymer, Procuratoribus Ioanne Gygur, & Gul. Bate.

288 Testis deniq; est ipsa Cantabrigia cuius inter cætera vnum est de Logica Aristotelis (non Rami) tyronibus prælegenda statutũ ab Oxonia (vti supra diximus) mutuatũ: nam Aristotelis dictata Scoticasq; quæstiones, Cantabrigienses suo tempore tractasse, author est, quemadmodum supradiximus, Erasmus, vt nõ immerito Io. Anglicus in Scoticarum quęstionum expositionibus, illam de vniversalis accidentis in subiecto inexistentia quæstionem *non secundum Logichetam M. Pauli Veneti*, quem in hac re errasse censet, *sed secundum veram Logicam Oxoniensem*, vti ipse scribit, definiuerit.

Oxoniensis Logica Vera.

289 Eloquentiã quoq; defuisse Gallis etiam eo ipso tẽpore quo Parisiense studium maximè floruisse dicitur, hoc est circa annum Dom. 1431. vt in Conflatum Fr. Mayronis incertus author, antiquus tamen in bibliotheca Mertonensi Oxoniæ annotavit, author est in sermone de S. Ludovico, Parisiensis Canc: Io. Gerson *vtinam* (inquit) *ingẽtibus & maximis regum nostrorum virtutibus pares in eloquentia scriptores accessissent: Gallia sane quanquam Dei nutu abunde aucta formataq; sit, apud omnes tamen & maxime posteros clarior & quodammodo immortalior effulsisset*: & in sermone in festo. S. Ludovici, de exilitate Parisiensis studij vehementer conqueritur, quod eo iam redactum videbatur, vt in adolescentibus *non nisi in primitivis & grammaticalibus erudiendis versaretur, qui antea, non nisi talibus prius imbuti illuc accedere consueverant.*

Defectus Parisiẽsiũ in eloquentia.

290 Ta-

290 Taceo præposteram olim Parisiensium in legendo ac docendo methodum, à Iacobo Spielegio in Guntherum Poetam de gestis Frederici non omissam: perfunctorium prælegendi munus, à Daniele de Merlac aliàs Morley Oxon: homine, qui quovis Cãtabrig: scriptore antiquior est, floruit enim circa an: D. 1180, in sua ad librum de naturis inferiorũ & superiorum quem, si Baleo credimus, Ioan. Oxenford ẽsi dedicavit præfatione, observauit: *Cum dudum* (inquit) *ab Anglia me causa studij accepissem & Parisiis aliquandiu moram fecissem, videbam quosdam bestiales in scholis gravi autoritate sedes occupare &c*: Prælectorum aliquot ignorantiam, si non invidia P. Ramus in scholis Mathematicis, publico cuidam Parisijs professori exprobaverit quod cum in definitionem trianguli apud Aristotelem incidisset, eam nullo modo auditoribus exponere potuerit, quòd æqualitatem trium angulorũ in triangulo, duobus rectis, ignoraverit: mores deniq; olim minus forte sanctiores, si vera illa fuerint quæ de meretricijs illis nõ in lupanaribus sed in ipsis Parisiensium scholis ac auditorijs, prostibulis, Petrus de Casa qui & Petrus Hierosolomytanus dicitur in libro de Imagine mundi cap. 107 (floruit vero circa annum Dom. 1327) satis dolenter prodidit.

Alij Parisiensium defectus.

291 Et quanquam Polydorus, summam Oxoniensis scholæ etiam à primo vt ille vocat initio perfectionem agnoscat, non ignoro tamen tulisse tempora, quibus Titius atq; Seius, veteres Academicos Platonem, Aristotelemq; cum reliquis ingenuarum artium autoribus, ex Oxoniensium subsellijs penitus eiecissent, nisi is de quo modò diximus Daniel Morleyus quasi ab exilio revocasset, & nullius criminis compertos, pristinæ dignitati restituisset.

Oxoniensiũ olim defectus.

292 Parisijs vero ius civile omninò non legitur, vel propter impedimentum Theologiæ, autore Io. Sturmio in sua ad Laurentium Tuppium epistola, aut ipsarum rerum tenuitatem, si artes liberales propter se, leges vero propter salaria expeti Math. Parisiensis sub An. 1254. recte dixerit. Canonicum tamen ius legitur, vt idem Sturmius ad Hugonẽ Blo-

tium: Steph. Pasquier lib. 3. des Rescherches de la France, Erasmus Rot. Parisijs Quercus loquitur & Beta sapit. P. Blesensis Epist. 62. ad R. Blond, *nunc agere causas Parisiis, nunc reverti Bononiam, nunc Lyncolniam proficisci, nunc moram Oxenfordia ordinas ac disponis*, vt nullus sit interim illi versiculo locus quo Causidici Brytanni suam à Gallis facundiam derivasse dicuntur, cum anteà ex Io. Gersone Gallos olim eloquentiæ atque facundiæ inopes extitisse docuerimus.

293 Quod si ego hic Lugdunensium patrum consilium atq; prudentiam meritissimis laudibus extollerem, qui sicut Iustinianus iuris civilis à se ipso conscriptum corpus, Romam Constantinopolin, Berytumq; tanquam ad Academias Cæsarea sua autoritate fundatas ac stabilitas perlegendum trāsmisit, ita illi ad reformandum regulandumq; Canonici iuris studium Bonifacij octavi autoritate ad Oxoniensis Vniversitatis studium librum Decretalium sextum, in Ecclesia fratrū prædicatorum anno. Dom. 1298. indictione 12, die Mercurij qui fuit 19 Novembris, Oxoniæ publicatum, tractandum ac perlegendum transmiserunt, vereor ne quis hinc censeat, Cantabrigiam tuam fuisse omissam, vel quòd eo tempore Vniversitas nondum esset constituta per curiam Rom. sicut Oxonium, vel quòd tantarum rerum amplitudini minùs accommodata censeretur, quod de aliquibus locis ac studijs Petrus Anacharanus in verbo Bononiæ tradit: *Dirigitur* (inquit) *liber iste scholaribus studentibus Bononiæ, per quod datur intelligi quod non in villis vel castris, sed in Regijs ciuitatibus iura Canonica & iura civilia sunt docenda: & studentes alibi privilegium non habent: adverte tamen quod licet civitas sit Regia & insignis tamen si non habeat hoc ex privilegio vt est illa, vel ex antiqua consuetudine vt est Padua non possunt ibi iura doceri*, hæc ille.

Iuris Canonici studium in Vniversit: Oxon.

Decretalium & Clementinarum liber quare Cantabrigiā missus non est

294 At Bonifacius summus pontifex Rom. pro Decretalium Sexto, ad Oxoniam vt ad vniversitatem scripsit, quēadmodum ex illius bulla libro præfixa patet: quærunt autem legis periti, an si summus pontifex sub Vniversitatis nomine ad locum aliquem scribat, pro Vniversitate approbare videatur

Oxonia approbata Vniversitas ratione libri Decretalium Oxoniam transmissi.

atur, *Dic*(inquit Antonius Abutrio parte 1. Decret.1.) *si exigatur consensus vt approbatio, approbare videtur ex certâ scientia, requiritur enim eius consensus vt dispensatio.*

295 A toto vero concilio Lugdunensi exigebatur summi pontificis consensus; erat igitur hinc Oxonia vna cum cęteris 4 studijs Paris, Salamant. Bonon. Aurel. ad quæ pariter Sextus liber Decretalium dirigebatur, Vniversitatis nomine ac privilegio insignita exclusâ Cantabrigiâ, non solùm hîc sed etiam apud Bartholomeum Cassanæum qui parte decima, conclusione 32. catalogi gloriæ mundi, hanc studiorum divisionem instituit, quędam nempe tum generalia tum actu privilegiata esse, vt Parisios, Paduã, Aureliã, Pictaviã, Caturcenẽ, Papia, Mediolanũ, Constantinop. Romanum; Alexandr. Berytum, Oxon, Salamant. Bonon; quędam actu privilegiata non generalia, vt Montis pessulan. Andegavens. Dolonens. Viennam: quædam denique generalia sed non actu privilegiata.

In distributione studiorum nulla fit Cantabrigiæ mentio.

296 In huius primo divisionis membro, Oxoniam inter præcipua, Cantabrigiam verò nullo comprehendit, non tam privilegiorum inopiâ quã loci ipsius aptitudine gerendis hisce rebus minùs accommodatam; cùm è contra in verbo (*Oxonia*) summam loci aptitudinem ad discendũ, & in verbo (*doctoribus & magistris*) eandem in personis ad docendum aptitudinem, incertus author in salutationem ipsam annotavit, quod Io. Picardus Bononiæ, verbatim accommodat in suis in Clementinas commentarijs, de quibus mox dicturi sumus.

De linguis.

297 Nam vt de linguis ipsis doctrinarum instrumentis certa ratione dicatur, quis ignorat Clementẽ pontificẽ Rom. illius nominis quintum cum prudenter animadvertisset, quibus hortamentis ad linguarum studia procuranda Rogerus Baconus primarius Oxoniæ vir, Clementem quartum prædecessorem eius excitasset, Clementinam quandam titulo de Magistris hoc est de linguarum non item artium liberalium (quod lib. Academiarũ 2, Iacobus Middẽdorpius fingit) profes-

Iac: Middendorpij figmentum.

fessoribus, in concilio Viennensi edidisse, cum cæteris constitutionibus quas in vnū corpus redactas & à suo nomine Clementinas dictas (glossatores verò septimum Decretaliū vocant) Ioannes 21. dictus 22. confirmavit; quanquàm aliquantum innovavit, & publicorum gymnasiorum doctoribus mādavit vt librum ipsum publicè legerent, quod Clemens ipse si vita superfuisset, vti scribit Ioannes papa in sua præfixa Clementinarum libro bulla, & Gulielmus Rede in suo chronico, facere decrevisset.

Clementinarum Liber.

298 Ea verò de linguarum professoribus in Catholicis studijs constitutio, in libro Clementinarum qui anno D. 1317. aut 1318 (quo tempore ab eodem Ioanne Cantabrigia Vniversitas primùm sicut Oxoniū facta est licet nihil ista ad Cātabrigiam pertineant) in festo conversionis, S. Pauli Oxoniæ publicatus est, sic habet.

Constitutio Clementis quinti de linguarum professoribus apud Oxon.

299 *Vt igitur peritia linguarum huiusmodi possit habiliter per instructionis efficaciam obtineri, hoc sacro approbante concilio scholas in subscriptarum linguarum generibus, vbicunque Romanam curiam residere contigerit, nec non in Parisiensi, Oxoniensi, Bononiensi, & Salamantino studijs providimus erigendas: statuentes vt in quolibet locorum ipsorum teneantur viri Catholici sufficientem habentes Hebraicæ, Græcæ, Arabicæ & Chaldeæ linguæ notitiam, duo videlicet vniuscuiusquè linguæ periti, qui scholas regant inibi, & libros de linguis ipsis in Latinum fideliter transferentes, alios linguas ipsas solicitè doceant earumq; peritiam studiosa in illos instructione transfundant, vt instructi & docti sufficienter in linguis huiusmodi, fructum speratum possint (deo autore) producere fidem propagaturi salubriter in ipsos populos infideles: quibus equidem in Rom. curia legentibus, per sedem Apostolicam: in studijs verò Paris per regē Frāciæ: in Oxon, Angliæ, Scotiæ, Hyberniæ ac Walliæ, in Bononia per Italiæ, in Salamant. per Hispaniæ prælatos, monasteria, capitula, conventus, collegia exempta & non exempta & Ecclesiarum rectores in stipendijs competentibus & sumptibus volumus provideri, &c.*

Inepta Londinensis calūnia.

300 Quam Clementinam, defectus & imperfectionis argumentum Londinensis obijcit; quasi si Cantabrigia tua fuisset

isset prius Oxonia perfectior, concilium sine ratione relicta præstantiore Academia in Angliâ, minus præstantem eligisset; & cum variæ sint in Gallia Academię, relictis ijs, solam eligeret Parisiensem: quam ego nec non Oxoniensem, etiam multò ante hanc Clementinam editam, Cantabrigiensi prępponere ausim.

301 Quod si quem Londinensis, defectum, Gregorius Tholozanus lib. de Rep. 18. incrementum vocat, & Cassanęus (sicut est revera) privilegium, quo Rodolphus Hospinianus Oxoniam cum præcipuis totius orbis studijs comparandam censuit in lib. de origine scholarum, profectò non video cur ista de Magistris Clemētina non multo magis inter Oxoniensis Academiæ privilegia ac Memorabilia repòni mereatur, quàm illa Thomæ Arundelij de Wyclevistis apud Lynwooddum constitutio tantum provincialis, quam omissa hac œcumenicâ, Rob. Harus in Oxoniensis Acad. Memorabilibus transcripsit.

362 Et quanquam sint qui in hac Clementina, non studiorum ipsorum ordinem, sed gratificationem provinciarū spectari debere asserant, meritò tamen insignissimus Iurisconsultus D. Gentilis, Oxoniensis scholæ præcedentiam (est enim secunda Ecclesiæ schola, immo prima, quia fundamentum autore Math Parisiensi) ex ista studiorum Catholicorū enumeratione, in oratione pro laudibus eiusdem, probavit & confirmavit: quemadmodum è contra ex Oxoniensis studij in hac constitutione præcedentia, H. Abyngdon in concilio Constantiensi, vti supra diximus, Vniversæ Anglicæ nationis primatum adversus Hispanos tuebatur.

Oxoniēsis scholæ præcedentia.

303 Qua propter si in hac Clementina, Oxoniense studium (cuius appellatione generalem intelligit Vniversitatē vt ait glossator) cæteris provinciarum studijs generalibus præponatur, quanto magis Cantabrigiensi eiusdē provinciæ scholæ, anteponendum? *habet hinc Ecclesia Universitates, in quibus ad S. Biblia transferēda, peregrinæ linguæ docentur*, inquit in sua adversus translationem Anglicanam determinatione

Sensus & dignitas illius constitutionis.

Gulielmus Butler in Bibliotheca Mertonēsi, & si vis ad Talmudicos quoq; libros interpretandos præsidia, de quibus maximè hanc constitutionem intelligi author est de Arcanis Catholicæ Veritatis lib. 2. cap. 7. Petrus Gallatinus quem ob eam sententiam Sixtus Senensis, bibliothecæ S. secundo iure quidem reprehendit; & Eugenius quartus Pontifex Rō in consilio Basiliensi, Iudæorum & Neophytorum saluti nihil vtilius iudicavit, quam si Viennensem hanc constitutionem renovaret, debita stipendiorum ratione habita; cui studiorum ipsorum Rectores in assumptione Rectoratus sui iuramento tenerentur.

Error Petri Galatini.

304 Illa enim Græcæ linguæ in quibusdam corruptioribus exēplaribus omissio, nonnullis glossatoribus occasionē prębuit, vt in Originali quidē extitisse, cancellatatā tamen faterētur quod hanc constitutionē de illis tantū linguis quibus vtuntur infideles, propriè intelligi censeant, Græcos autem in fide constitutos esse, nec ab Ecclesia Catholica nisi in vno tantum de spiritus sancti productione articulo dissentire: nō igitur de Græcis ipsis tantum laborandum, quantum de alijs populis convertendis qui longius â fide abesse dignoscuntur: atque hanc deletæ illius vocis rationem fuisse existimant.

Græcæ linguæ in Clementinâ illâ omissio

305 Audiant tamen Honoratissimum Trilinguium meorum patrem Richardum Foxum etiam horum Decretalium doctorem autore Rosso in suo de Regibus libro, Episcopum Wyntoniensem, qui in suis Collegij Corporis Christi Oxon statutis, *ideo in præclaro illo suo aluear io eximium Græcitatis professorem semper existere voluit, quod sacro Sancti Canones* (Clemētinas intelligit) *pro bonis literis & imprimis Christianis instituerunt ac iusserunt, eum in hac Universitate Oxoniensi perinde ac paucis alijs celeberrimis gymnasiis nunquam desiderari*; nec tamē se eos (hoc est cæteros Angliæ, Scotię & Hyberniæ prælatos) hac ratione excusari velle qui Græcam lectionem in eo suis impensis sustentare debeant, hæc ille: euius exemplo, non ita pridem Io. Spencerus S. Theologiæ doctor, pietatis ac doctrinæ nomine clarissimus illius Collegij Præses, ad magnum

Valida fides.

suo-

ſuorũm profectum & ornamentum, Hebraicam prælectionẽ in eodem Collegio ſuis ſumptibus inſtituit.

316 Ego vero ſic exiſtimo, illis tribus linguis quas Chriſtus in cruce Sanctificavit atq; etiam alijs potiſsimum conſultum fuiſſe, quòd has linguas maxima detrimenta olim accepiſſe crediderim, Chaldæam ſcilicet tranſlato ad Perſas imperio, Hebraicam, Iudæis ob cædem Chriſti vbiq; terrarum diſſipatis, Græcam, Græcis priùs à Romanis tum à Turcis miſere afflictis, in quorum gratiam Gregorius 13. linguæque conſervandæ cauſa Collegium ijs Romæ inſtituiſſe dicitur.

307 Qui vero quaſi de executore nunquam proviſum eſſet, aut quòd in Anglia vnus Prelatus (vt fingunt) alteri nõ ſubijcitur, hancconſtitutionem nunquam in vſum deveniſſe affirmant, Gul. Harpeſſeildum legant, qui circa annum Dom. 1318, *Hebraicam linguam in Oxonia per quendam Iudeum ad fidem Chriſti converſum legi cæpiſſe, tradit, cuius ſalario atq; ſtipendio, & aliorum quorundam cleri negotiorum procurationi ex pecunia qua quiſq; ex clero ſui ſacerdotij ratione, vnum videlicet denarium in ſingulas marcas contribuendo ſatiſfactum eſt*: hæc ille. cui accedit Math Cantuarienſis in vita Gualteri Reynoldes, niſi quòd, cùm Harpeſſeildus dicat vnum denarium in ſingulas marcas, *hic vnum quadrantem in ſingulis libris Eccleſiaſticorum proventuum ad illius lectoris ſalarium erogatum fuiſſe*, ſcribit.

Conſtitutio Clementina aliquâ ex parte Oxoniæ in uſum devenit.

308 Atq; ita Scotia quæ gemmas, Hybernia quæ ceras, Wallia quæ lupos Anglorum Regibus tributi loco pendere ſolebat, tum cum vniuerſa Anglia atq; etiam Cantabrigiâ ipſâ (Collegia enim exempta & non exempta in hac Clementina continentur) Oxonienſi Academiæ, facta fuit tributaria, certa ſtipendiorum ratione conſtituta, licet incerta pro ratione meritorum, quod in Italiæ gymnaſijs fieri, author eſt Andreas Fricius in libro de ſcholis, & Simon Maricius in libro de origine ſcholarum.

Cantabrigia quomodo Oxoniæ tributaria.

309 Quod ſi tantam Oxonienſis ſcholæ perfectionem Londinenſis cum defectu coniunctam eſſe dicat, in ſuam tãdem oculos niſi cæcus fuerit cõijciat; ſuoſq; vſq; adeo à græ-

citatis ſtudijs averſos profecto videbit, vt imperante Henrico illius nominis octavo, de græcis literis propè actum fuiſſet niſi Ioannes Roffenſis, & Richardus Crocus habitis duabus orationibus, in quibus Cantabrigienſes ad græcas tandem literas capeſſendas vehementer hortatus eſt, cauſam literarum ſuſcepiſſet, & ab exemplo Oxonienſium quos ad græcas ſe literas convertiſſe, vigilaſſe, ieiunaſſe, ſudaſſe, prælectores Græcos ſibi comparaſſe, (Cantabrigienſes autem eieciſſe ſcribit) aliquantulum eos commoviſſet.

Cantabrigia olim à Græcis literis averſa.

310 Eum porrò Crocum quicquid Londinenſis obſtrepit, Oxonienſem fuiſſe, non obſcurum eſt, cum ipſe ſe Linacri & Grocini Oxonienſium diſcipulum fuiſſe in 2. oratione apertè fateatur. Qui vero capitales græcitatis hoſtes Cantabrigiæ fuerant, cùm tanti oratoris aculeos diutiùs ferre nō potuiſſent, Oxoniā minimè rogati hoſpites ſe contulerunt vbi nova indies machinati, ſeipſos Troianos, Priami & Hectoris nominibus inſignitos, reliquos vero græcitatis ſtudijs deditos arrogantes & perfidos Græcos appellabant: ex quibus fortiſſimus fuit tunc Oxonienſis Achilles Thomas Morus, qui non ſolum hac de re ad Commiſſarium & Procuratores Oxonienſes ab Abyngdonia pereruditè ſcripſit (quarum litterarum bonam partem Thomas Stapletonus de tribus Thomis recenſet, ego vero ni longior æquo eſſem integras recenſuiſſem) ſed etiam omnem operam adhibuit, vt infælix illiū ab Oxoniæ finibus pelleretur, Phrygeſq; ſerò ſapientes aliò ſe conferrent.

Rich: Crocus fuit Oxonienſis.

Græcitatis ſtudia Oxoniæ impedita.

311 Martinum porrò Dorpium Lovanienſem profeſſorem, quem Eraſmus quanta potuit facundia; ad græcitatis ſtudia flectere nunquàm potuerat, Thomas Morus vſquè adeò flectit, vti iam à ſuis Lovanienſibus ob ſententiam mutatam de cathedra deturbatus fuiſſet, niſi idem opem attuliſſet, & Lovanienſes ipſos ad idem ſtudium quoque mirificè accendiſſet, autore in loco prædicto Stapletono: hæc ſunt præclara Thomæ Mori geſta, Oxonienſis quondam alumni vti ipſe in Epiſtola ſua fatetur, in Aula S. Mariæ cui circa idē tem-

Thomæ Mori geſta apud Lovanienſes.

tempus præfuit Card. Alanus autore Nich. Fierberto in descript. Oxon Acad: educati, autore Io. Ropero in illius vita, & Sapletono; & post Thomã Lovellum Academię Oxoniensis Senescalli, quam dignitatem à Cantabrigiensibus magnis muneribus ipsi oblatam, vt in libro Epistolarum Academiæ Oxon liquet, recusavit atq; neglexit: quanquã non ignorem Londinensem suo more, & assaeclam eius Middendorpium hunc eundem, Cantabrigiensium albo, sed ignorantissimè, ascripsisse. Thomas Morus Oxoniẽsis.

312 Ita igitur illius auspicijs græcitatis studia Oxoniæ floruerunt, Græcique vndiq; libri passim abundabant, vt Simon Grinæus homo exterus qui ad Grecos autores, precipue Procli commentarios comparandos tam Europam penè omnem quam Angliam peragrasset, ab Oxoniensibus maxime omnium adiutum, ex quorum bibliothecis splendidissimis & instructissimis, non paucos commẽtationum Procli libros se in Epistola ad Ioannem Thomæ Mori filium, asportasse fateatur.

313 Nec Cantabrigia sinè dubio posteà græcarum literarũ minùs ferax extitisset, si nõ Io. Checus, is cuius Hyeronymus Cardanus geniturã in mediũ affert satis sinistram, omnia susq; deq; miscuisset, dumq; sonos litterarum vsu receptos & antiquos immutaret, υ vt ʋ & β non proprio & genuino more vt u Latinum, sed vt b efferens, suam pronuntiandi formã, antiquissimam, alteram verò illam nuperrimam, recentissimamq; contendisset: quam & obtinuisset quidem nisi primo Epistolis humanissimis in quibus Oxoniensem pronuntiandi consuetudinem à qua Cantabrigienses suos temere discedere noluit, satis laudat, deinde acerrimis edictis, Stephanus Wyntoniensis Præsul, illius Academiæ Cancellarius tantę temeritati occurrendum censuisset. Io: Chekus.

314 Londinensis quoquè, quanquam nulli suorum errori defendendo vnquam defuit, hic tamen in libello suo de Græcæ Latinæq; linguæ pronuntiatione Chekum suum deseruit, nec solùm ex Calphurnio homine græco qui Cardinalis Londinensis Cheki pronuntiationem deseruit.

Wolsæi auspicijs Oxoniæ docuit, sed etiam ex consuetudine atque vsu exterarum gentium, in suo de libris proprijs libello veram & Oxoniensem pronuntiandi formam confirmavit, valedicta Cheki pronũtiatione, qua ille Babyloniam vt rectè Wyntoniensis, immo remp. Cyclopum vbi autore Euripide ἀκούει οὐδεὶς οὐδὲν οὐδενός in Cantabrigiam induxisse atquè propagasse voluerat.

315 Quid igitur Londinensi in mentem venerit, vt novam illam pronuntiationem, à Cheko excogitatam, publico totius Vniversitatis Cantabrigiensis decreto, libro historiæ Cantabrigiæ 2 stabilitam scribat, cum è contra Wyntoniensis Cancellarius vnanimi Senatus Cantabrigiensis assensu, novam pronuntiationem sustulisset, ac veterem edicto promulgato confirmasset, an, D. 1542. 18. Calend. Iunias, ego certè divinare nequeo.

316 Quòd si de Oxoniensium hominum virtute ac literis plura adhuc scire desideras, non primis solum temporibus, quibus Ioannes Sarisburiensis Oxoniensis vti supra probavimus alumnus, sempiternum nomen adeptus est, quòd bonas artes in Anglia passim obsoletas ab interitu vindicaverit, & Cornificium quendam qui monachorum nomine in illas debacchatus esset, aduersus quem Metalogicum suum instituit, tandem sapere docuisset, sed etiam cum multo postea sub Edwardo 3 Robertus de Leycestria idem ab Oxonia præstiterit, ad Erasmum redeo qui ex Gulielmo Latimero & Grocino præceptoribus suis Oxoniensibus quidem facile quid Oxoniæ literarum superesset cognoscere potuerat.

Erasmus de literis Oxoniensibus optimè censuit.

317 Quod & novisse satis constat dum Robertum Piscatorem Italiæ tunc agentem in Angliam his lenocinijs invitavit: *cælum* (inquit) *tam amænissimum tum saluberrimum hic offendi, tantum autem humanitatis atq; eruditionis non illius protritæ ac trivialis, sed reconditæ, exactæ, Latinæ, Græcaq;, vt iam Italiam nisi visendi gratia haud multum desiderarem: Coletum meũ cum audio; Platonem ipsum mihi videor audire: In Grocino quis illum absolutum disciplinarum orbem non miretur? Linacri iudicio quid*

quid acutius, quid altius, quid emunctius? Thomæ Mori ingenio quid vnquam finxit natura vel mollius vel dulcius, vel fælicius? iã quid ego reliquum catalogum recenseam? mirum est dictu, quam hic passim, quam densè veterum literarum seges efflorescat. hæc Erasmus;

318 Cuius iste solos Oxonienses continet catalogus; vt eiusdem ad Claymundum Epistolam omittam, in qua de vno in Oxonia Trilinguium Collegio, multo magnificentius, quam de vniversa Cantabrigia in Epistola ad Montioyum locutus est: & ad Lodovicum Vivem, Oxoniam vetustissimã & clarissimam scholam nominare non dubitavit; quod certè honoroficentius elogium esse quis non videt, quam dixisse Cantabrigiam postquam barbaris studijs valedicto, linguas ac meliores disciplinas amplecti cæperat, cum primis potuisse Christiani orbis gymnasijs (scilicet fortasse cum Oxonia vt scribit Polydorus) certare.

319 Iam vero quoties illud Ioannis Sturmij in libro de ludis literarum recte aperiendis in mentem mihi venit, Academias scilicet eas quæ plus possunt, professores artium de suis comparare debere, magnarum vero dignitatem postulare vt maiorum artium professores constituant, illisq; quæ minus possunt suppeditent, toties clarissimi viri Davidis Boys Oxoniensis memoriam apud me recolo; qui ad Oxonienses literas propagandas Cantabrigiam se contulit, vbi Ioannis Barnynghami Oxoniensis item profundissimi, sentẽtias publicè, exposuisse dicitur, quas postea 4 voluminibus pulcherrimè scriptis, Cantabrigiensi bibliothecæ dono dedit autore Baleo. Oxoniensium merita de Cantabrigiensibus

320 Idem fecerunt Roberti Pulleni Oxoniensis discipuli, qui lectiones suas Cantabrigiæ à Rosso continuasse dicuntur: idem Io. Bromyerde & Lodovicus Caerleon Oxonienses à Cantabrigiensibus illuc invitati, vt iure optimo illorũ studijs præessent: Idem revera Tho. Morus ex cuius schola prodijt Gulielmus Gonellus, Ioannis Clementis celeberrimi Oxoniensis Æsculapij & linguarum peritissimi, in eadem

schola

schola successor, qui Cantabrigienses ipsos hortatu Mori, cū Oxoniensis esset, græcis literis imbuebat. qua in re, maiorem ego in Cantabrigiensium olim studijs defectum merito observare possem si velim, quam in Oxoniensium meorum studijs, Londinensis: secus enim non video, quare Cantabrigienses illis quidem temporibus aures suas animosq; Oxoniēsium præceptis tam libenter accommodarent: & sophismata quoq; cum consequentijs Roberti Allyngtoni Oxoniensis alumni doctissimi in vsum sum edenda curarent, Anno 1510. sic enim in illorum fine lego: *Explicit libellus Sophistarum ad vsum Cantibrigien: Londonijs pervigili cura impressus per me Wynandum de Worde &c.* & tamen Robertus Allyngtonus Oxoniensis fuit, quemadmodum ex Lelando atq; Baleo in illius vita constat, floruitq; anno D. post millesimum quadringentesimo.

Cātabrigiēses olim Oxoniēsium ingenijs vixi.

321 Taceo reliquos: Etonenses aliquot scilicet discipulos Oxoniæ destinatos vti supra diximus, iam vti videtur, Cātabrigiensibus, ad remp. suam amplificandam concessos: triginta quoq; alios, quos apud Oxoniam Richardi Foxi Wintoniensis honoratissimi rogatu, Ioannes Morton Oxoniensis, & Cantuariensis Archipræsul, per 30 annos testamento suo Oxoniæ curavit alendos, quorum aliquot postea pia nōnullorum sollicitatione Cantabrigiæ relegantur. & duodecim illos Discipulos quos Gulielmus Lyhart, Collegij Orialensis quondam prefectus, Norwicēsis postea Episcopus, per totam suam vitam Cantabrigiæ aluit.

322 Thomas Linacer vero Oxoniensis vt ex Lelando & Archivis inter epistolas patet, quem Io. Claymundus Cōment. in librum C. Plinij 7. cap. 51. *Anglorum præcipuum lumen ac singulare decus* vocat, vnam in medicina lectionem Cantabrigiæ sicuti duas Oxoniæ & medicorum Collegium Londini posuit; quem Londinensis ipse tanti fecit, vt ei tanquam Diuo marmoreum sumptuosi operis locellum in ecclesia Paulina Lōdini dedicaverit: fortasse quod Middendorpij errore, Linacrum pro Cantabrigiensi habendum censue-

Io: Claymūdus

Error Middendorpij.

rat

rit, quem Collegij omnium animarum Socium fuisse Oxoniȩ Archiva testantur.

323 Ego vero Londinensis pietatem in Oxoniensi Linacro adornando, æque laudo, ac in comparandis Ioannis Clementis & Ioannis Claymundi Oxoniensium quoq; libris, ijsq; procurandis, quod ipse in libello de libris proprijs fatetur, industriam ac diligentiam certe mirificam.

324 His addam illos qui magna proficiendi spe, relictâ olim Cantabrigiâ, ad Castaleas aquas in Oxoniæ non vado, sed mari & pelago vt ait Lelandus imbibendas transierunt. quod profecto amænitati & commoditati loci, posse ascribi non ignoro: quicquid enim Gulielmus Stephanides, in vrbis suæ Lōdon: laudē scribat, tamen certum est Oxoniā aliquando iudicio & opinione quorūdā principū olim fuisse præpositam; in quorum numero est H. primus, tertius & quintus, Richardus & Edwardus primus &c. Maria quoq; Regina valedicta Londonia, Parliamentum ac terminum, Oxoniā quā terris magis omnibus vnam dilexit transtulisse decreverat, nisi fæni ac pabuli illic comparandi inopia, vti scribit incertus Author in sua pro civitate London Apologia, consilium eius retardasset: quod profecto non satis admiror, cum maximâ rerum copiâ & affluentiâ tot omnium ordinum congressus, tot Parliamenta, & Episcoporum synodos. H. 3. temporibus Oxoniæ olim celebrata fuisse in historijs nostris legerim. Aut quicquid temperamenti cæli, aut naturalis patriæ regionisque commoditatis, Ægyptios, Scythis priores & antiquiores autore Iustino lib. historiæ 2. comprobabat, id Oxonienses; Cantabrigiensibus ipsis & priores, & ingenijs olim fortasse fæliciores sine dubio comprobabit.

Oxoniæ temperies, & salubritas, & commoditas sitûs.

325 Oxoniæ enim tria illa studentium commoda quæ Hybernici professores à Carolo Magno olim petijsse dicuntur, *bonos locos, animas ingeniosas, & alimenta*, invenies: hic amęnissimum cælum Erasmus, sub quo divini habitabant Platones: iucundissima ambulacra beatus Edmundus, in quibus bonum illum genium convenisse dicitur, qui autore Capgra-

Tria studentium cōmoda.

uio in scholis quoq; ei semper assidebat, ὄλβιοι γὰρ κείνην πόλιν ἄνερες οἰκήσουσι, quod de Byzantio, Stephanus περὶ πόλεων. multo igitur magis id de Oxonia dicam, quod de vrbe Cestria author satis rarus & antiquus Lucianus monachus, *itaq; mi domine frater, aut Philosophia fuit, aut philosophiam consuluit, qui situm delegit, qui nomen aptavit*: & meritissimè de Oxonia, quæ industria philosophorum qui de Græcia venerunt, autore Gualtero Burley, sic fuit ordinata.

Cantabrigiēses proficiendi spe Oxoniā devenerunt.

326 Verum hic non locum sed locatum (hoc enim est *Oxonium quare venisti præmeditare*) Gulielmus Encourt Cantabrigiensis potissimum spectabat, qui vberioris sciētiæ causa, Oxonium petijt, vbi brevi tantum profecit, vt autore Lelando Magister evaserit: idem Baleus de Roberto Leycestrēsi & de Ioanne Godwycke, qui vt studiorum suorum cursum fælicius absolverent (vt ait de Rob. Leycestrensi) Oxoniense gymnasium alacres, & (quod ait de Ioanne Goodwycke) discendi ardore flagrantes petierunt.

327 In horum numero ipse est Lelandus qui ad Tho. Wolsæi Collegium festinavit, cygnumq; suum sibi hâc de re gratulantem inducit, *Nostræ gloria crevit inde stirpis &c.* accessisset quoq; Ioannes Maior, nisi à Cantabrigiensibus, invitus prohibitus fuisset, cuius rei causas satis frivolas in Epistola sua ad Thomam Wolsæum cui remunerandi loco Ethica dedicavit, proferre coactus est: Cranmerus vero ob coniugium Cantabrigiæ neglectus, ad Cardinalis Collegium festinanter accessurus, amicis suis in via occurrit, qui eum à suo proposito dehortati sunt, vel eo nomine quod cum se Theologiæ ascripserit, non magnificentiam (quam Oxoniæ obtinuisset) sed humilitatē sequeretur, autore in illius vita Matheo Cantuariensi.

Literæ Oxonienses ad exteros usq; propagatæ.

328 Tum vero exteras quoq; aures Oxoniensis cultura demulcebat: Richardus Crocus græcas literas ab Oxonia ad Lypsiense studium derivavit: Thomas Morus Lovanienses ad græcitatis studia convertit; Coletus qui non Londini vt ait Polydorus, sed Oxoniæ vt ait Matheus Cantuariensis

Pau-

Paulinas Epistolas doctissimè interpretatus est, primo literas ab Oxonia in Italiam, deinde ab Italia in Londinum transtulit, suorumq; civium ingenia, Gulielmi Lilij Oxoniensis item hominis qui Regiam grammaticam edidit (nempè Ioannem Sulpitium ac Pomponium Sabinum præclaros grammatices magistros Romæ audiverat) industria ac literis excolebat.

329 Idem fecit Io. Gunthorp Oxoniensis, qui post reditum ab Italia, Cantabrigiā se contulit, vbi doctrinam suam, fælicissimis ingenij monumentis testatissimam reliquit: Io. Phreas Balliolensis Collegij socius, medicinam Ferrariæ vel Paduæ docuit; hic Diodorum Siculum de græco in Latinum transtulit, quod Poggio Florentino falsò ascribitur; extat enim adhuc archetypon eiusdem in bibliotheca Collegij Balliolensis ipsius manu scriptum, multo ante quam Poggij nomine divulgaretur: Cornelius quoq; Vitellius autore Polydoro Italiæ literas Oxoniā transtulit, quanquam Ioannem Chandelerum literatissimum virum & novi Collegij Custodem, qui adversus eundem autore Baleo quasdam orationes composuit, acerrimum adversarium habuit.

Diodori Siculi versio Poggio falsò ascripta.

330 Gulielmus Gray Balliolensis quoquè collegij socius, postquàm Guarinum Verronensem disertissimum hominem in Italia audivisset, adq; suos instructus Italicis delitijs redijsset, in Episcopum Eliensem cooptatus est. At certè Ioannes Tipitoftus nobilis ille Wygorniæ Comes, Hyberniæ protex, Balliolensis verò alumnus, omnes Italiæ bibliothecas spoliavit vt Angliam, vt Oxoniam exornaret suam; quarū tamen delitiarum gustum aliquem appoluit, in Vaticana enim orationem habuit tam disertam, tamq; divinam, vt à Pio secundo Pontifice Romano & purpuratis patribus multas lachrymas (quibus vocum pondera tribuit Ovidius) excussisse dicatur.

Io: Tipitoftus

331 Ac mihi quidem quoniam tot ac tanta Oxoniensium benemerita, paribus honorū præmijs compensanda videntur, ideò ea à maioribus nostris ratio excogitata est, qua

non delicatis balneorũ ablutionibus quod Athenis fieri solebat authore Gr. Nazianzeno in orat: in laudem, S. Basilij, non accuratis sonorum & cantilenarum more cicadarum modulationibus vt apud barbaros, vndè adolescentem ab ᾄδειν quod est canere & λέσχαι quod est scholæ, deduci, Ioannes Goropius Hermathenarum quarto existimat; non obscuris Dupondiorum, Edictaliũ, Papinianistarum λύτων atque προλύτων, veterum Iurisconsultorum cognominibus, sed per bullatarum vestium & pręsertim pilei impositionem, antiqua cõsuetudine, doctissimi Oxonienses, studiorum suorum pręmia gradusque consecuti sunt, tam in synodalibus convocationis vbi autore Rosso in suo de Regibus libro, *per pilei in capite appositionem Archipræsulis vel Episcopi manu, in doctores & prædicatores sunt admissi*, quàm in ipso gymnasio Oxoniensi, qua de re Thomas Gascoigne libro prædicto in verbo (Pileum) sic refert.

Origo graduũ Academicorũ

332 *Pileum quartũ genus vestimenti dati à domino Deo Doctoribus suæ legis Mosaycæ fuit rotundum, quale pictum in Vlysse conspicimus quasi supera sit media divisa, & pars vna ponatur in capite: hoc græci ac nostri tiaram, nonnulli galerum vocant: non habet acumen in summo, nec totum vsque ad comas caput tegit, sed tertiã partem à fronte inopertam relinquit & in occipitio vitta constrictum est vt non facile labatur ex capite: est autem byssinum, hæc Hieronymus in Epistola ad Fabiolam de veste sacerdotali. Oxoniæ enim ex antiquo statuto & ex antiqua consuetudine non habent vti pileis rotundis nisi doctores, S. Theologiæ & iuris Canonici doctores, et in medicinis & legibus doctores & sic Vniversitas studij Oxoniensis à principio fundationis suæ per regem Alfredum qui etiam Aluredus vocatur, facere consuevit, & sic vsitatum fuit Oxoniæ anno Christi 1456. tempore meo*, inquit Thomas Gascoigne.

Pileum Oxoniense.

333 Hodiernæ verò graduandi consuetudinis ac formę iam vbique receptæ originem si quęras, quoniam Valentinus Erythræus in sua de honoribus & gradibus Academicis oratione invenire non potuit, respondebit tibi Io. Whethãsted seu Frumentarius, titulo de historijs & historiographis parte pri-

primâ: ritum scilicet incipiendi sivè graduandi in scholis, *ortū & initium habuisse iuxta autorem dialogi inter Orthodoxum et Catechumenum, circa annum Dominicæ incarnationis* 1151. *tum siquidem Petrus Lombardus compilavit sententias quibus collectis & compilatis, ad statim posterius iam apud Parisios in Francia quàm etiam apud Bononiam in Italia cœperunt viri eruditione expediti in suis facultatibus graduari; anteà licet varij, multifarij perdocti fuerint, non tamen in ea forma qua nunc graduati erant: nam continuè antè eius canonizationem, S. Thomas non Doctor Thomas, immo verius frater Thomas ab allegantibus fuerat in scholis nominatus*: Cui cōsētit B. Rhenanus, in sua de quibusdā Tertulliani dogmatibus admonitione, *quod videlicet circa an. salutis* 1140 *apud Parisios multi fuerunt qui summulas ex antiquis Theologis consarcinarunt, vt P. Longobardus, P. Abulardus, Io. Belethus, &c. sed summulæ Longobardi ab alijs recipi cœperunt & ita probari vt qui has edidicissent & alijs prælegissent, Doctoris titulum accepêre qui per exhibitionem baculi concedebatur, à bacillo bacularij dicti, vt fuerit velut quoddam mancipationis signum in huiusmodi aliquod studium baculi traditio quo sic ab alienis distinguerentur, imitatione antiquitatis si non Romanorum, certe vel Francorum in Gallia, vel Gothorum atque Longobardorum in Italia: quod de promotione loquor, sub idem tempus in iure apud Bononiā aiunt accidisse post editam à Gratiano Decretorum Rapsodiam: mox cum Doctorum numerus augeretur edita sunt constitutiones de promotione, & de numero annorū, & sancitum est, vt de divinis differentes, non modo recepta scholæ decreta sequerentur, sed & vocabulis vterentur, & loquendi formulis in eâ schola natis ad servandam scilicet doctrinæ concordiam*, cuius de veterum verborum vsu sententiæ, consentit 2. Metalogici cap. 4. Io. Sarisburiensis. Ex his refellitur Iunius qui in Academia sua hos eosdē vti diximus hodiernos gradus, vsquè adeò antiquos fuisse dicit, vt à Caroli Magni temporibus & primis illis scholæ Parisiensis initijs repetendos censuerit.

Moderna graduandi consuetudo vnde.

Bacularij.

Error Fr. Iunij

334 Ad Cantabrigiensem vero scholam, modernā hanc graduandi cōsuetudinem, adeò serò, tardeque devenisse existimo, vt antè nullos illic nostro more graduatos, quàm Oxoni-

niensium statutis ac priuilegijs adornata ac instituta, sub Edwardo secundo per curiam Rom. Vniversitas primùm constitueretur, extitisse credidissem, nisi in Baleo, primum omniũ, gradum doctoratus, Humphredũ Neckton circa annũ 1259. suscepisse Cantabrigiæ, legissem.

Primus graduatus Cantabrigiensis.

335 Quod ego certè de suâ sectâ non intelligo, quasi primus suæ sectæ Carmeliticæ gradum illum suscepisset, sed quasi simpliciter & absolutè primus quemadmodùm de eo cecinit Lelandus

Laudibus Humphredum Neckton celebremus opimis
Cui data Grantanæ, laurea prima scholæ.

prima scilicet & dignitate atq; tempore, si Arthurianos, Honorianos Sergianos, immo Lucianos & Cadwalladrinos illos de quibus supra Doctores, Cantabrigiæ quondam, multis nominibus florentes, excipiendos forte memineris.

336 Illa vero pilei conferendi solennitas qua Venerabiles literatique viri in doctoratus & prælationes antiquitus admitti consueverunt autore Rosso, ab Aluredianis ipsis tẽporibus antiquissimis, ad moderna certe tempora Oxoniæ autore Thoma Gascoigne permansit, novis solennitatibus adventantibus, minime extincta, quæ à Parisijs, statim ab ipso ortu Oxonium commigrarunt.

Oxonienses graduati antiquiores.

337 Nam Robertum Pullum siue Pullenum quem de doctore Scholastico, sedes Apostolica Cancellarium fecit autore Io. Sarisburiensi in Metalogico (quanquam Rog. Waltham in compendio Morali non Cancellarium qui eodem tempore cessavit in curia Rom: quo Dapifer in curia Regis Gallorum, sed Vicecancellarium eo tempore sicut & multo antea in Apostolica sede extitisse dicat) & Theobaldũ Stampẽsem qui se Magistrum Oxẽfordiæ vocat quemadmodum superius dictum est, vt complures alios omittam, Oxoniæ circiter ea tempora floruisse ex Baleo atq; Lelando, ijsq; quæ supra in medium allata sunt, satis constat; qui tamen multo ante primum Cantabrigiensem graduatum Humphredum Neckton, & vixerunt & claruerunt, & illis philosophiæ vesti-

ſtibus induti de quibus Edwardus ſecundus in ſua ad Oxonienſes charta pro Capellano Vniverſitatis, cunctis ętatibus futuris illuxerunt & illuceſcent.

338 Atq; his quidem initijs modernus graduandi ritus ab Oxonia, ad Cantabrigienſem vſq; Academiā fælici imitatione emanavit effluxitq; quod ſi cui dubium aut incredibile videatur, is apud me reputet, non ſolum privatam ſingulorum penè Collegiorum Cantabrigiæ à tempore Oxonienſis Wickami œconomiam quod alibi diximus, ſed etiam publicam Academiæ adminiſtrandæ gerendæq; formam ab Oxonia illuc derivatam; iubente Edwardo ni fallor ſecundo, cum de ornamentis ac veſtibus Academicis apud Cantabrigienſes olim litigari cæptum eſſet, vt ſe in hac re Oxonienſium inſtitutis diligenter inhærendo accommodarent, ſtatutis quoq; ac privilegijs Oxonienſium illuc, vt ante diximus, quo primum tempore, Cantabrigia Vniverſitas facta eſt, propagatis, quod ex conſuetudinibus ipſis facile deprehendere licet.

Creationes, ſtatuta & conſuetudines Cantabrigiæ ab Oxonia derivantur.

339 Extat enim in bibliotheca Magdalanenſi Oxon liber ſatis vetus MS, qui Oxonienſem creandorum magiſtrorum in veſperijs vſum, moremq; continet, in quibus reſponſurus, cucullo faciei atq; capiti obducto inter ſuos tanquam verecundiæ litans, aut quod diſputantes ignorare videatur, ſedere ſolebat, quæriq; ab illo tria, *ſub quo ſcilicet, in quo loco, & quo in tempore inciperet*, quibus reſponderi *ſub meipſo licet indigno in Eccleſia S. Mariæ Virginis: & craſtina die ante Nonam.*

340 Quæ Oxonienſis conſuetudo valde antiqua (ſicut ex illo libro didici) neſcio quomodo domi iam deſueta, Cantabrigiæ inter cæteras ſolennitates ſatis religioſè obſervatur in magiſtrorum creationibus ac inceptionibus quas illi forte à comitijs Oxonienſibus, Commencements (niſi Aurelianēſe fuiſſe ante hęc prodidiſſē) vulgo dici voluerūt, & quod de illa conſuetudine dixi de cōmendationibus etiam ac benedictionibus quæ in veſperijs Oxon antiquitus teſte Tho. Walſinghamo in Edwardo primo vbi de inceptionibus. S. Tho-

mæ

mæ Herefordensis loquitur, & Ioanne Lawerne, Wygornensi monacho. S. Theologiæ in Collegio Gloucestrēsi Doctore, in lecturis suis Theologicis Oxoniæ habitis circa annū 1430. atq, etiam de antiqua Oxoniæ per distinctiones legendi forma qua Syluester Gyraldus antiquorum more Romanorum, Topographiam Hyberniæ, tribus diebus iuxta triplicem rerū distinctionem in Oxoniensibus scholis circiter annos abhinc quadringentos autore Camdeno in sua ad illam Topographiam præfatione exponebat, abunde satis confirmari potest.

Antiqua legēdi forma apud Oxoniam.

341 Quid est igitur mi Londinensis, quod tu vnicum tantum respicias Academiæ tuæ statutum, quo à tuis in salutem & gratiam Oxoniensiū cautum esse dicis libro antiquitatis Cantabrigiæ 2. ne quis extra Academiam tuam, alibi in Anglia præterquam Oxoniæ in aliqua facultate incipiat, aut lectiones suas solenniter resumat?

Londinensis calumnia.

342 Quasi in tuorum gratiam quamprimum sicut Oxonium Vniversitas tua fieret, idem non esset Oxoniæ in iuramentis Magistrorum de non resumendis (non dico Henrici Simeonis gradibus quem in artibus Oxoniæ Regentem imperante Ioanne, vt apud exteros in monasterium coaptaretur vbi nulla in sęcularibus artibus regendi facultas conceditur, baccalaureum se finxisse ferunt) lectionibus alibi in hoc regno, quàm hic Oxoniæ & Cantabrigiæ quoq;, statutū: illā verò multiplicem statutorum ac priuilegiorū Oxoniensiū tuis indultorum, vim atq; virtutem, quâ Academia tua hactenus floruit atq; florebit, omnino non respicias, immo negligas, & quod ingrati hominis est, tanti beneficij memoriam penitus obliterare conaris.

Simeonis gradus.

343 Certe vt prima illa graduandi forma apud Oxoniam & simplicissima, ab Aluredianis temporibus repetita & cum cæteris quæ serius accesserunt cærimonijs hactenus adhibita antiquissima est & solēnissima, ita moderna hæc splēdoris Academici bene merentibus concessio & vsurpatio, siue antiquitatis siue solennitatis, siue alterius nescio cuius

mo-

momēti ratione, omnibus semper visa est titulis præstare, qui in Cantabrigiensium creationibus conferuntur.

344 Illud si placet cōfirmabo, non solùm quòd cùm regnante Edwardo. 4., quatuor Mendicantium ordines, de difficultate assequendi gradus atq; etiam sumptibus, siquidē Cātabrgiæ pro sex Marcis, Oxoniæ verò non minoris quàm decem librarum expensis, doctoratus apicem obtinerent, conquesti fuissent; cùm tamen multo magis Oxoniæ quam alibi iuxta veterem illorum consuetudinem insignia sui gradus suscipere cuperent, vt scribit Gulielmus. S. Edmundi Abbas in Epistola ad Priorem monachorum studentium Oxoniæ in libro Lecturarum Ioannis Lawerne; responsum illis esset, quod in sumptibus excessisset, id in exercitiorum genere, & magnificentia & solennitate gradus facile compensari; quāquam in pascendis Cantabrigiensis Academiæ Regentibus non minùs illic quam Oxoniæ profusum esset, quæ ex Archivis Academiæ satis constāt; sed etiam quòd ea fuerit Oxoniensium graduum dignitas & amplitudo, vt etiam Parisiensibus ipsis si non præponendos at æquandos certè Edwardus secundus iudicaverit, ac proinde ad Io. Vicesimum primum seu vicesimum secundum Pontificem Rom: sic scribit.

Graduum Oxoniensium am p'itudo & dignitas.

345 *Sanctissimo in Christo patri Ioanni diuina providētia sacro sancta Romana ac vniversalis Ecclesia summo pontifici, Edwardus eadem gratia rex Anglia, Dominus Hybernia & dux Aquitania devota pedum oscula beatorum. sane intelleximus hanc dudū à fælicis memoria Domino Bonifacio papa octavo pradecessore vestro, Vniversitatibus regni Francia gratiam fuisse concessam, vt omnes qui gradum Magistralis honoris in quacunq; facultate asseouti fuerint, in ijsdem possint vbiq; terrarum lectiones resumere, & easdem continuare pro sua libito voluntatis absq; nova examinationis vel approbationis praludijs seu debito iterandi principij aut petenda gratia cuiuscunq;: verum quia dubium non est (secundum veterum testimonia scripturarum) Gallicanum studium ab Anglicanis nostris originale traxisse principium, constatq; talem Apostolica dispensationis gratiam, in Anglicani studij redundare dispendium*

Charta Edwardi secundi Pro mutua Oxoniensis studij & Parisiensis societate.

dium si vniversitas nostra Oxon cum prædictis Vniversitatibus regni Franciæ in libertatibus & scholasticis actibus non concurrat, sanctitati vestræ affectuosa instantia supplicamus, quatenus ad pacem mutuam inter viros scholasticos nutriendam, Universitatem prædictam Oxon consimili velitis privilegio decorare: nos siquidem plurimum gauderemus si in nostri & Vniversitatis nostræ prædicta favorem quod à providentia vestra deposcimus exaudiretis gratiose: quia valde nobis molestum foret, si tanta Universitas, aliqua nostris adversa temporibus pateretur, aut ad insolitam servitutem redigeretur. &c. hæc Edwardus anno regni sui vndecimo vel duodecimo.

346 Quo vti diximus tempore, Cantabrigia primùm Vniversitas sicut Oxonium facta est ab eodem pontifice Rom: qui Thomam Aquinatem doctorem Parisiensem, & Thomam Herefordensem eiusdem ordinis Oxoniensem Sanctorum Albo ascripsit; quis vero huiusce petitionis fuerit exitus, Gulielmus Rede in suo Chronico commemorat.

Gratia Oxoniensibus concessa.

347 Eo enim tempore *regem Angliæ quosdam ex optimatibus cum multis donis, iocalibus, & vasis aureis ad papam misisse scribit, quibus* (inquit) *papa fecit multas gratias & Magistris Regentibus in Vniversitate Oxon.* hinc iura hinc antiqua Parisiẽsis & Oxoniensis Academiæ fædera atq; commercia, de quibus apud autores sæpissimè, & Michael Cornubiensis sive Blaunpayn (apud Baleum) de Henrico Abricensi Normanno,

Et procul & propius iam Francus & Anglicus aquè
Norunt Parisiis quid feceris Oxoniæq;.

quanquam etiam in Chronico innominati autoris quæ incipit ab anno Domini 1259. multo ante hanc concessionem, Ioannem Peckam Parisijs in Theologia & Oxoniæ lectiones suas resumpsisse, legerim.

348 Tu vero hanc Edwardi epistolam diligenter recolas, & quæ Oxonienses olim in suis ad eundem pontificem de Alcuino suo Parisiensis gymnasij autore litteris asseruerunt prout ante diximus, satis solide confirmata videbis: errasse quoq; Ioannem Gersonem, qui in propositione coram

Error Io: Gersonis.

pa-

papa *Benedicto*, Academiam suam omnium primogenitam appellat, quæ si fuisset, Britonibus profecto artes illic mendicantibus, autore Boëtio in libro prædicto, philosophiæ pocula propinasset potiùs quam Arthuri mortem ijs obiecisset, autore Petro de Casa in libro de imagine mūdi, cap. de corruptione civitatis Parisiensis.

349 Quemadmodum enim antea circa annum Domini 1279. dissentientibus nationibus de primatu apud Parisios, Prærogativa Anglis solis à pontificio Legato Simone adiudicata est propter Bedam Anglum, qui primus (mediante scilicet Alcuino) Gallos eruduisse dicitur, autore Gul. Worcestrensi & continuatore Hovedeni vsq; ad Edwardum tertiū, ita hic Edwardus secundus, Alcuini nomine (eum enim tacite subinnuit) pari quo Parisienses honore afficiēdos esse Oxonienses suos contendit. Angli primatum Parisiensis studij obtinent.

350 Atquè vt illic oratio nostra exeat, vbi Londinensis incæpit, venio nunc à literis Oxoniensiū & gradibus ad numerum ipsum: *nam si à fœtus numero ordiamur* (inquit is lib. Cant. Antiquit. primo) *Ioannes Maior homo Scotus & recens Historicus scribit, ætate sua annis abhinc plus minus 50. retroactis, extitisse Cātabrigiæ quatuor aut quinque millia scholasticorum: quo tempore plures Oxonij non fuisse idem Maior author est, quamvis innumerum ab ipso initio Oxoniensis profiteatur: immò verò quo propiùs ad initia Oxoniensis schola accedes eò pauciores invenies: anno enim verbi incarnati 1209. autoribus Radulfo Nigro & Matheo Parisio tria tantum millia erant: eorū verba hæc sunt. Clericus quidam apud Oxoniam mulierem quandā casu interfecit, &c. vndè recesserunt ab Oxonia ad tria millia clericorum tam magistri quā discipuli, ita quod nec vnus ex omni vniversitate remansit, &c.* De numero fœtus vtriusq; Academiæ.

351 Respondeo, totam Angliam illo tempore quēadmodum ex ijsdem autoribus constat, bellis civilibus & interdicto laborasse; non mirum igitur esse præsertim in longa vacatione, si tria tantum scholasticorum millia Oxoniæ remansisse constaret: quod vero dicat Matheus ne vnum quidem ex tanto numero Oxoniæ fuisse relictum, nescio quid Lelan- Responsio ad argumentū Londinensis.

do atque Baleo responderem, qui illo scilicet anno nempe 1209. quanquam fortasse non eodem tempore, sylvestrū Gyraldum topographiam suam in Oxoniensibus scholis (tametsi in vacatione non dico) exposuisse, Gualterum Mapū, Mauritium Morganium & alios Oxoniæ floruisse prodiderunt.

Incerta Matthæi Parisi relatio.

352 Cantabrigiæ verò ijsdem causis vigentibus tria vel duo scholasticorum millia eo tempore studuisse, doceat aliquis si posset: quanquā hic ex Aristotele ὀλιγανθρωπίαν Lacædemoniorum remp. evertisse, illic verò ex Io. Gersone in Sermone de S. Ludovico, Parisiensem πολυανθρωπίαν, infaustū admodùm auguriū (nam in morituro animali omnes spiritus ad cor confluunt) fuisse didicerim.

353 De numero igitur non magnoperè contendendum esset, nisi Londinensis magni aliquid ex eo se lucratum fuisse existimasset, qui vtinam Ioannem Maiorem paulò fideliùs in hac contentione produxisset: inquit enim Io. Maiorem *plures Oxoniæ quam Cantabrigiæ suo tempore studentes non agnovisse:* cū tamen vno in loco scilicet capite de Gestis Scot. 5. Cantabrigiam, tam in scholasticorum numero quàm in literis Oxoniā paulò inferiorem (cui quòd ad numerum consentit Polydorus) in alio vero loco circiter finem illius capitis in vtraque Vniversitate simul & coniunctim, non separatim vt interpretatur Londinensis, quatuor aut quinque millia scholasticorum inveniri, Ioannes Maior scribat.

Londinensis dolus.

354 Quod si à primis Academiæ Oxoniensis incunabulis, quod libenter observari Londinensis cupit, res repetenda fuerit, fateor equidem cum Aluredus ad restituendam Oxoniensem Academiam accessisset, quæ prima omnium in hoc regno post veterum translationem, tanquàm Attica tellus è diluvijs effulsit, pauciores fuisse scholares quàm priscis tēporibus ob tyrannidem Paganorum, autore Asserio.

355 At si veteres illos scholares quorum incertus nobis est numerus, quos Aluredus Oxoniæ superstites invenit, illis addideris 78. quos ipse autore Rosso in tribus suis collegijs

Oxoniensis fœtus numerus.

in-

instar sociorum collocavit, & quos ex omni gente sua congregavit, autore Asserio, cùm edixisset vt omnes quibus essent filij eos literis imbuendos curarent, autore Alredo Rhievallensi, idquè Oxoniæ, vbi grammaticalis ludus ijs aperiebatur autore Lelando, profectò non dubito quin multò plures cogitabis quàm qui, non dicam ex parvo illo fonte de quo P. Blesensis in Appendice notissimo, emanare, sed in paruis horreis & domibus (vbi Monachi Croylandenses primo docuerunt) contineri potuerunt.

356 Nequè verò desunt alia huiusce assertionis argumēta: nam Theobaldus Stampensis de quo supra diximus, aulæ nescio cuius Oxoniç olim vt videtur Principalis, centum clericis præfuisse dicitur: ex quo quid de cæteris sentiendum fuerit aliqua ex parte constat si vnius Principalis regimini atquè curæ tot clerici demandati fuerint: quod idem quoq; ex scriptoribus vtriusq; Acad. statuendū est; nam si multo plures Oxonienses quā Cantabrigienses scriptores extiterunt quod supra affirmavimus, quis profectò Oxonienses meos aut numerosiores, aut priores, aut illis doctiores olim fuisse negabit?

357 Præter aulas etiam circiter 200. vt alibi recensebimus, locellos, introitus, cameras de quibus Gulielmus Lynwoddus in constitutionem Thomæ Arundelij de Wiclefianis libris abolendis, cùm nō vltra viginti veteres aulas in Cātabrigia Londinensis recenseat, complura fuerunt scholariū Oxoniæ hospitia, quæ revera ædes erant Burgensium certo pretio conductæ, quarum numerum hinc coniicere liquet, quod in Oxonia septingenta & quinquaginta, in Cātabrigia vero tercentum & octoginta septem tantum mansiònes, Liber Censualis apud Camdenum commemorat.

Aulæ Antiquæ Oxon.

Oxoniensis urbs multò amplior est & erat Cantabrigiâ.

358 Quatuor vero scholares in vno hospitio, hoc est in vna camera (sic enim interdum hospitium pro camera sumitur) studuisse, author est Math: Paris. in loco prædicto de suspensis clericis: & tres scholares in camera beati Richardi Oxoniæ in hospitio quodam studuisse refert Io. Capgravus in illius vita, quia copia scholarium & frequentia, loci angustias

peperit: innumerabilem enim scholariũ Oxoniensium multitudinem Bonifacio Cantuariensi occurrisse, in Henrico 3. idem Parisiensis refert, etiam ante Scholarium Parisiensium adventum, cuius nullam Londinensis excogitare potuit rationem nisi quod Oxonia Galliæ vicinior & proximior Cãtabrigiâ fuerit, quod de omissa quoq; Cantabrigiæ mentione apud varios autores quoties de Oxonia & studijs huius regni loquendum esset, respondere potuisset.

Innumerabilis olim Oxoniensium multitudo.

Inanis coniectura Londinensis.

359 Quid igitur (vt Franciscanos omittam qui è Gallia in Angliam anno Domini 1227. devenientes, statim Oxoniam convolarunt, & scholam illic aperuerunt teste Baleo in vita Rich: Kyngesthorpe) fratres prædicatores induxit, vt post primum in Anglia appulsum circiter idem tempus anno ni fallor 1231. à Cantuaria celerrimè Londinum venientes, Cantabrigiam non adierunt, sed summa festinatione Oxoniam contenderunt, vbi statim officinas suas eruditionis & cognitionis plenissimas aperuerunt autore in historia sua Nicholao Triveto?

Franciscanorũ & Prædicotorum adventus Oxon.

360 Loci proculdubio celebritas atq; frequentia: ea enim ea inquam fuit causa, quæ hanc vocem à Richardo Fitzrauf Armachano in propositione coram papa extorquebat, *In studio Oxon meo tempore* (id est temporibus Edwardi secundi & tertij) *erant triginta millia studentium, his diebus vix reperiuntur sex millia &c* quod Londinẽsi miraculi instar videatur si velit, modo quod iam fecit (cum tam illustre testimonium in suorum numerum nequaquam quærere ne dum invenire poterit) victum se superatumq; fateatur.

Triginta millia studentium Oxon.

362 A Reginaldo Polo autem qui summum Academicæ dignitatis apicem in Oxonia post Dominum Io. Mason obtinuit, tuendo atq; augendo studentium numero optimè consultum est, dum inter articulos in Academiæ Oxoniensis visitatione inquirẽdos, *an solitus esset in Vniversitate Oxon studentium numerus & si diminutus esset causa diceretur*, imprimis inquirendum statuit atq; decrevit.

Quæstio de numero studentium in visitatione Oxon.

362 Hæc Reginaldus Polus, S. Mariæ non Siciliæ vt falso

sô Lôdinensis, in Cosmedin diaconus Cardinalis bis ni fallor ad papatum electus, Archiepiscopus Cant. & ab anno Domini 1556. vsquè ad annum 1560. vt Archiva testâtur, supremus Academiæ, non Cantabrigiensis, quod libro historiæ Cantabr. 2. Londinensis falsò affirmat, sed Oxoniensis Cancellarius.

Error Londinensis.

363 Oxoniensem enim fuisse (quicquid crepat Londinensis) author est in illius vita Andreas Duditius & Matheus Cantuariensis; porrò, anno Domini 1523. indictione vndecima, pontificatus Adriani sexti primo, Februarij decimo quarto, vna cum Domino Ioanne Foxo, per Io. Claymundū Presidentem, in verum & perpetuum collegij Corporis Christi in Vniversitate Oxon socium, fuisse admissum, illius Collegij Regestrum fidelissimè testatur. Hodiernus autem scholarium Oxoniensium numerus quemadmodum anno Domini 1607. ex diligenti lustratione (ni fallor) compertum habeo, circiter tria millia plus minùs, continet: Cantabrigiæ an tot fuerint, illud, certe dubito: siquidem anno D. 1574, scholares Cantabrigiæ fuerunt numero tantum 1767, quemadmodum ex ipsius Londinensis computo liquet; lib. hist. Cantabrig. 1. Homerus Iliados secundo, Græcos numerosiores Troianis hoc experimento probat, quia si Græcis in convivio considentibus Troiani ministrarent, πολλαὶ μὲν δεκάδες δεῦοιατο οἰνοχόοιο.

Cardinalis Polus, Collegij Corp. Christi Oxon. alūnus.

364 Hæc de historia, rebusq; vestris Doctissimi Oxonienses ad omnem posteritatem transmittenda censui: in quibus quantum ego operæ, fidei, ac diligētiæ, tantum vos amoris ac benevolentię ponite: si quid præstiti (quod sentio quam sit exiguum) id totum Vestrum esse nec sine cōmunis causæ periculo cui subvenire religione quadam singuli tenemur aut à vobis deseri aut ab alijs convelli aut labefactari posse, dico & edico. Mihi vero pro mercede abunde satisfiet, si lectorem cùm diligentem, tùm correctorem meorum, peritum atq; modestum invenero: quemadmodum enim nec lectorem mihi, ita nec correctorem, nimium sibi deditum esse cupio: si quid veri ex antiquis historiarum oraculis in medium

Conclusio totius operis.

al-

allatum viderit, sciat quidem id in existendo esse suum, in amando vero & prosequendo esse tum eius, tum meum: sin vero falsi nonnihil deprehēderit id agnosco in condēdo esse non tam meum, quam eorū qui me deceperunt: in cavendo autem (vti spero) & eius esse quidem, & meum. Quod autē magnitudine operis, & monumentorum comparandorum difficultate desideratur, illud votis expleo.

365 Paci interim atq; concordiæ studeamus ὄρκια φίλα mi Londinensis, & sancta fœdera inter vtramq; Academiam stabiliantur: ne si secus fiat, si assiduis vtrinq; factionibus ac simultatibus res agatur, illud aliquando eveniat, vt vel translatis Academijs vel imminutis vehemēter privilegijs quod olim cogitatum est, autore in Epistola ad Oxonienses Gulielmo Warrhamo, omnis literarum spendor & amplitudo in squalorem convertatur; atque ita dum vna alteram antiquitate cæterisq; ornamentis (ac certe vtinam ambæ essent quemadmodum illę duæ vrbes Anchiala & Tharsus à Sardanapalo, vno die conditæ, autore Stephano περὶ πόλεων) superare contendit, aut in certissimum discrimen vtraq; deventura, aut penitus interitura fuerit. Quod Deus Opt: Max: avertat.

Libri Tertij finis.

Τῷ θεῷ καὶ ἀνθρώποις χάρις.

INDEX RERUM ET VERBORUM quæ in hisce tribus Apologiæ *nostræ libris continentur.*

Octo.

P

FINIS.

CATALOGVS AVTHORVM VEterum & Recentiorum quibus Author ipse in his tribus libris & sequentibus Miscelaneis vsus est.

A

Petrus Abulardus
Anonymus Abingdonensis.
Tabella Ecclesię Abingdonensis.
Chronicō Abingdonense.
Accursius.
Rad: Agasus.
Aimonis / Aidonis } Chronica.
Ælianus.
S.Albani Chronicon.
Aluredi Regis Pastorale.
Petrus de Aliaco.
Alciatus.
Hen: Altisiodorensis.
Aldelmus Malmesburiensis.
Alphonsus à vera Cruce.
P.Æmilius Veronensis.
Io: Anglicus in Historia Aurea.
Io: Anglicus in Rythmicis
Io: Anglicus in Scoti quęstiones.
Antoninus Imperator.
Io: Angelus.
Anonymus in Ranulf: Hygden.
Anonymi plures MS. in Bibliothecâ Oxon.
D. Antoninus Historicus.
P. Anacharanus.
P. Appianus.
Aristot: de Regimine Principum.
Arzachel Toletanus.
Asserius Menevensis.
Iō: Azorius.
Antonius Abutrio.
Azpilcueta.
Aristoteles.
Anonymus quidam, S. Edmundi monachus, qui Mariano Scoto Manuscripto optimo exemplari Broomiano adiungitur.
Steph: Africanus Presbyt.

B

Rog. Baconus.
Rob. Baconus.
Io: Balæus.
Historia Barnewellensis.
Baronius.
Archiva Collegij de Balliolo.
Concilium Basiliense.
Bedas Venerab.
Alfredus Beverlacensis.
Philippus Bergomas.
Petrus Belsonsus.
P. Bellforrest.
Tabella Benefactorū Collegij Vniversitatis Oxon.
Liber Bedellorum Oxon.
S. Bernardus.
Michael Blaunpayn seu Cornubiensis.
Petrus Blesensis.
Boetius Philosophus.
Hector Boethius.
S. Bonaventura.
Io: à Bosco Cælestino.
Simon de Boraston.
Gul: Boolde Monachus Cantuar.
Georgius Bruinus.
Bruti Chronicon.
Iocelinus Bracklandius.
Simon Bredon.
Tycho Brahe.
Lib: Monasterij de Brinton
Bostonus Buriensis.
Io: Burgensis sive de Bury.
Rich: de Bury, φιλοβίβλος.
Gualterus Burley.
Gul: Budæus.
Gul: Butler.
Galfr: le Baker.
Abrahamus Bucholcerus.
Io: Buddenus.

C

Tho: Caius Oxoniens: Antiquarius.
Io: Caius Cantabrigiens: Antiquarius.
Gul: Camdenus.
Caradocus Lancarnavensis.
Nich: Cātilepus Nigri codicis author.
Gul: Caxtonus.
Io: Capgraue.
Hieronymus Cardanus: Math.

Math: Cantuariensis.
Edmundus Campianus.
Barthol: Cassaneus.
Rob: Canutus Frideswidę Prior.
Cantabrigiensis quidã typus.
Petrus de Casa sive P. Hierosolomytanus.
Catalogus testium veritatis.
Calendarium festorũ Collegij Vniversitatis Oxon.
Liber Censualis.
Carionis Chron.
Chronica Chronicarum.
Galfredus Chaucerus.
Nathan Chytræus.
Extractus Chronicorũ Cisterciensium.
Thomas Chalonerus.
Io: Checus.
P: Cirvelus Darocensis.
Io: Claymundus.
Rich: Cluniacensis.
Liber Clementinarum.
Cooperus, continuator Lanqueti.
Ægidius Corrazet.
Conciliũ Constantiense.
Constantius Lugdunensis
Copernicus Mathemat.
Hugo Coriatus.
Rich: Crocus.
Aymo Crauetta de antiquit: temporum.
Antonius Cucchius.
M.T.Cicero.
Jac: Christmannus in Alfraganum.

D

Augustinus Dathus.
Dando Carmelita.
Ioseph: Damnonius.
Liber septimus Decretaliũ
Ranulfus de Diceto.
Geruasius Dorobornensis
Eadmerus Dorobornensis
Damascenus.
Osbernus Dorobornensis.
Simeon Dunelmensis.
Antiquitates Dunelm.
Lib. de Ecclesiæ Dunelm. exordio & procursu.
Alius liber Dunelm: de Natiuitate & Cõuersatione Bedæ.
Decretalia.

E

Historia Elienſis.
Eguinarthus.
Oxonienſis Acad: Epiſtolæ.
Io Erigena in epiſtola ad lib. de Reg. Princ.
Eraſmus Roterodamus.
Tho. Elmham.
Alex. Eſſebienſis.
Io. Eſchendon Mathemat. Oxon.
Ethelwerdus Hiſtoricus.
Euſebius.
Martinus Everartus.
Io. Eureſdenus.
Euripides.
Valentinus Erythræus.

F

Fabianus in Chron. Concord:
Faſciculus Temporũ.
Nich. Fierbertus de deſcriptione. Academiæ & vrbis Oxon.
Ric. Fitzrauf Armachanus
Rich Fleming in libro Procuratorio.
Antonius Florentius.
Io. Foxus Martyrolog.
Steph. Forcatulus.
Fr. Forreſt.
Andreas Fricius.
Frideſwidæ chronicon.
Frideſwidę miracula autore Philippo Priore.
Io. Funccius.
Folchardus Dorobornenſis. Ex quo annotauit mihi quidam illud de Io Beuerlacenſi teſtimonium quo libro Apologiæ 2. pag, 171 Sectio. 146. vſus ſum: verum poſtea comperi, ea non eſſe Folchardi, ſed alterius incerti authoris Hiſtorici verba, Folchardo lõge recentioris: ſiquidem Folchardus anno D. 1060. floruiſſe dicitur autore Lelando: hic vero de quo dixi incertus author, anno Dõ. 1373. floruit, quemadmodum ex ipſius hiſtoria liquet: ſic vero incipit. *Antiquioribus Brytonum* &c.

Pe-

G

PEtrus Galatinus.
Petrus Gallacinius
Rob. Gaguinus.
Tho. Gascoigne.
Steph. Gardinerus.
Albericus Gentilis.
Gesnerus.
Sigibertus Gemblacensis.
Io Gerson.
Bernardus Gerardus.
S. Germānus.
Gildas { Sapiens. Albanius. Badonicus. Cambrius.
Nic. Giles.
Syluester Gyraldus.
Io. Goropius.
Rob. de Glocestria.
Gotcelinus.
Io. Gowerus.
Gontletus author Gallus.
Franciscus Godwynus.
Tho. Graius siue Montacutius.
Saxo Grammaticus.
Annales Græcoladenses.
Graftonus.
Io. Gualterus.
Godefridus Prior. S. Swythuni Wynton.
Simon Grynæus.

H

RIch. Hagulstadensis.
Io. Hatcherus.
Rob. Harus in Memorabilibus & Priuilegijs Vniuersitatis Oxon.
Io. Hanuyll seu Architrenius.
Io. Hardingus.
Jo. Harpesfeildus.
Jo. Hawlus.
Rog. Herefordensis.
Hieronym. Henninges.
Gualterus Hemingforde.
Ranulphus Higdē. seu Cicestrensis.
Hydense Chronicō
Hookerus.
Jo. Holbrooke.
Rod. Hospinianus.
Hollinshedus.
Rog. Houēdenus.
Continuator Hovēdeni.

Li-

Liber Hoſpitalis. S. Joannis extra portam Orient. Oxon.
Homerus.

J

Tho. Iames in Ecloga MS. & catalogo librorum in pub. biblioth. Oxon.
Iuſtinianus Jmp.
Alanus de Jnſulis.
Paulus Iovius.
Hiſtoria Jorenalenſis.
Ioſephus Iſcanus.
Jo. Juellus.
Fr. Junius.
Jngulphus Croylandenſis
Jmproperiũ in Monachos

K

Kalendarium ex officina L. Straubij
Rob. Kentenenſis; ſive Robert. Anglicus Ioannis de S. Boſco commentator.
Nich. Kratzerus.

L

GVl. Lambertus.
Symmachus Lambithenſis.
Io. Lanquetus.
Diog. Laertius
Paulus Langius.
Io. Langdenus.
Wolfangus Lazius.
Ioan. Lawerne in lecturis Theologic. Oxon.
Io. Lelandus.
Cyprianus Leovitius.
Samuel Leuknerus.
Humphredus Lhuyd.
Georgius Lilius.
Io. Lydgatus.
Rob Lyncolnienſis.
Gul. Lynwoddus.
Annales Londinenſes.
Annæus Lucanus Poeta.
Ocellus Lucanus philoſophus antiquiſſimus.
Lucianus Monachus de laude vrbis Ceſtriæ.
Concilium Lugdunenſe.
Incertus quidam author in Apologia Vrbis London:

Nich.

Nich. Losæus de iure Vniversitatum.

M

IO. le Mayre Gallicè.
Archiva Magdalanensium Oxon.
Liber Magdalensis Bibliothecę de Creationibus Magistrorum secundum vsum Oxon.
Io: Maior.
Gualterus Mape, Archidiac: Oxon.
Radulphus Marrham.
Historia Magdeburgensis
Mauritij Chronicon.
Simon Maricius.
Gul: Malmesburiensis.
Memoriale historiarum.
Merlinus vates.
Io: Manduith Mathemat. Oxon.
Thomas Martinus.
Daniel Merlac aliàs Morley.
Middendorpius de Acad.
Adamus Muremutensis.
Galfredus Monumetensis & eius Deflorator.
Nich: Montacutius.
Paulus de Middleburgo.
Thomas Morus.
Thomas de la Moore.
Sebastianus Munsterus.

N

GRegorius Nazianzenus.
Nennius Bannochorensis.
Alex. Neckham.
Gul: Neoburgensis.
Vita, S. Neoti.
Annales, S. Neoti.
Niger codex Cantabrigiensis.
Radulfus Niger.
Alex: Neuyll.
Archiua vrbis Northampton.
Michael Neander.

O

Rheginon Ottho.
Abrahamus Ortelius.
Gualterus Odyngton.

Dauid Origanus.
Paulus Oroſius.
Thomas Orwinus.
Archiva Collegij Orialenſis.
Archiua vrbis Oxon.
Hiſtoriola Oxonienſis.
Rentale Oſneyenſe.
Chronicon Oſneyenſe autore Gulielmo de Quittona Abbate.
Ouidius.
Lucas Oſiander.

P

Henricus Pantaleon.
Matheus Pariſienſis.
Franciſcus Petrarcha.
Stephanus Paſquier.
Panormitanus.
Dauid Pencayer antiquiſſ. Brit. Chron.
Jo: Picus.
Jo: Phreas.
Plautus.
Plinius.
Jo: Pichardus.
Gul: Pictauienſis Luxouiorum Archidiaconus.
Platina.
Aſtronomicus Poeta quidam incertus.
Polychronicon magnum Collegij Balliolenſ.
David Powelus.
Jo. Priſæus.
Ptolomeus.
Chriſtopherus Pezelius.
Robertus Parſons.

Q

Fabius Quæſtor.

R

Petrus Ramus.
Gul. Rameſeganus.
Jo. Rawen.
Tabulę Gulielmi Rede mathemat. Oxon.
Eraſmus Reynoldes.
Chronicon Gul: Rede.
Hiſtoria Regia.
Rob. de Remington ſiue P. Yckam.
P. Rebuffus de priuilegijs ſcholarium.

Rege-

Regestrũ negotiorũ inter Prædicatores & Scholares Oxon.
Regestrum Mertonense.
Regestrum Collegij Corp. Christi Oxon.
Regestra varia Vniversitatis Oxon.
Regestrũ Vniuersitatis Paris.
Regestrum Balliolense.
Regestrũ Vniuersitatis Cãtabrigiens.
Beatus Rhenanus.
Rheginon.
Regestrum Eliense.
Gul: Rimstõ seu Remyngton.
Gul: Rishanger.
Gul. Rhieuallensis.
Rice marcus antiquissimus Britan. Chron.
Alfredus Rhieuallensis.
Rob. Richius.
Adrianus Romanus.
Daniel Rogersius.
Io. Rochforde.
Annales Roffenses.
Io. Roperus.
Io. Rossus Warwicensis.
Tho. Rudburne.
Regestrum Orialense.
Regestrum Lyncolniense.
Regestrum Exoniense.
Regestrum Collegij omnium Animarum fideliũ defunctorum.
Rabanus Maurus.

S

Iul. Cæs. Scaliger.
I. Sangallensis.
Sixtus Senensis.
Siffridus Presbyter.
Io. Sarisburiensis.
Seruius in Vergil.
Tho. Smithus.
Gul. Soonus.
Marianus Scotus.
Iacobus Spielegius.
Thomas Spot.
Statuta Vniversitatis Oxon.
Statuta Vniuersitatis Cantabrig.
Statuta Capellæ Canonicorum, S. Georgij in castro Oxon.
Statuta Aulæ Religiosorũ

Beatæ Mariæ Oxon.
Statuta Collegij Mertonē-ſis.
Statuta Collegij Vniuerſitatis Oxon.
Statura Coll. Corp. Chriſti Oxon.
Steph. περὶ ϖολεῶν.
Io. Sturmius.
Io. Stoueus.
Tho. Stapletonus.
Hieronymus Surita Antonini commentator.
Io. Stofflerinus.
Theobaldus Stampenſis.
Sulgeni vita.
Rog. Swicetus.
Statuta Aulæ Glocestren-ſis.
Io. Shepreuus in vita Claymundi.
Gul Stephanides in deſcriptione vrbis London.
Reginaldus Scot.

T

Tatianus.
Taxa Anglicana.
Tilletus.
Tilleyus.
Geruaſius Tilberienſis.
Io. Tilberienſis.
Io. Talbottus.
Bernardus Saccus Ticinē-ſis.
Teſtamentum Petri Beſiles Militis Abyngdon.
Elias Trykinghamus.
Nichol. Triuet.
Tho. Triuet.
Franciſcus Thynne.
Gregorius Tholozanus.
Io. Tritemius.
Io. Tyſſingtonus.
Tuiſco filius Noe.
Io. Twinus.
Turgotus Dunelmenſis.

V

Vergilius Maro.
Polydorus Vergilius
Ponticus Verunnius
Verſteganus.
Lodouicus Viues.
Io. Viguerius.
Archiva Collegij Vniverſitatis.
Speculū Vincentij.
Tho. Abbas Vitiliacenſis.

Con-

Concilium Viennenſe.
Vita Henrici Chichley autore incerto.

W

ROg: Waltham.
Rog. Walden.
Tho Waldenſis.
Tho. Walſinghamus.
Rich. Wallingforde ſive de ſancto Albano.
Matheus Weſtmonaſterienſis ſiue Florilegus.
Tho. Werkeworth Mathemat Oxon.
Io. Whethamſted.
Io. Whitus Baſingſtochius
Florentius Wygornenſis.
Tho. Wykeus.
Gul, Worceſtrēſis ſeu Botonerus,
Io. Woodeforde.
M. W. Author libri de Europæi orbis Academijs.

Z

Abrahamus Zacutus.
Card: Zabarella.

Catalogi Authorum Finis.

E*Rrata minora in hiſce tribus Apologiæ libris, non admodum anxiē obſervāda duximus. cuiuſmodi ſunt* Pag. 181. *ſcibis* pro *ſcribis*. & p. 209. *Achaionomia* pro *Archaionomia.* & p. 213. *caſtum* pro *caſtrum*. & p. 283. *Epiſcopip.* pro *Epiſcopi &c: Maiora vero ſunt*, p. 199. *ſi ita ſit quod.* pro *quod ſi ita ſit.* & p. 3. lin. 11. *Joannes* pro *Thomas*, & p. 331. *Aſſaphenſis*, pro *Landavenſis.*

MISCELLANEA QVÆDAM DE ANTIQVIS AVLIS ET STVDENTIVM COLLEGIIS QVONDAM ET HODIE, *in Vniversitate Oxon existentibus. Autore eodem.*

Parochia S. Aldati.



Vit hic Aldatus Claudiocestriæ olim Episcopus, qui Hengistum Saxonum Regem (autore Rosso) in frusta conscidit. Est illic platea à grandi ponte Grandepont dicta, Abbatis de Abendon curiâ quam illic tenere consueuit, celeberrima: pons ipse vltra quadraginta è Saxo arcubus constructus multo magis Ioannis Claymundi, Collegij Corporis Christi Præsidentis, illius vel primi côditoris vel insignis restitutoris, sicut de eo Io. Shepreuus in illius vita Grandepont

Egrederis portam quæ recta vergit in Austrum
Claymundi nummis compita strata vides,

quàm Rogeri Baconi cuius Musæum (ecce commentum) illic visitur, nomen & memoriam illustrat. . Vetusta Oxoniensium monumenta has Aulas in ista parochia commemorant.

Aulam scilicet Latarum Portarum in tenura Prioris & Conventus. S. Frideswidæ.
Bouinam aliàs Beefehall.
S. Iacobi.
Nunhall in tenura Principalis Latarum Portarum.
Hinxciņam.
Bedelli.
Michaelis.
Mynehall vel Mynehердhall in tenura eiusdem Principalis, vti constat ex Rentali Magdalanensi.

Et

Aula latarum portatum.

Et magnā Latatū Portarum Aulam, vulgo Broadgates, in tenura olim Prioris & conventus. S. Frideswidæ. Cuius Principales eo ordine commemorabūtur (quod in Aulis propter monumentorum inopiam vbiq; fecimus, hic temporum, illic nominum defectum invenientes) quo nobis occurrerunt.

Aulæ Lateportensis Principales

Gul. Wytham.	*Io. Bothe.*
Hill.	*Io. Story.*
Tho. Thonge.	*Gul. Geffrey.*
Rob. Hauerforth.	*Io. Williams.*
Gul. Lyster	*Henr. Yonge.*
Gul. Law.	*Tho. Donge.*
Rob. Topcluff.	*Mr. Archery.*
Tho. Walton.	*Gul Docket.*
Jo. Atkinson.	*Dr. Geruase.*
Rob. Halle.	*Dr. White.*
Rob. Mason.	*Mr. Randall.*
Io. Noble.	*Mr. Greene.*
Tho Iohnson	*Rich. Percy*
Gul. Yardelius.	*Georg. Greenfeilde.*
Rob. Sacheuerell.	*Georg. Summerster.*
Rich. Wimesly.	

Parochia omnium Animarum.

In vetustis scriptis, has tantum veteres Aulas hic reperio

Aulam { Latarum portarum Parvam
Dunelmensem alias Spicerhall
Delodedowensem.

fuit hic Capella. S. Catharinæ.

Collegium Lyncolniēse.

Præter has Collegium Lyncolniense visitur à Rich. Flemmyng, Lyncolniēse Antistite fundatum, cui Nicholaus Pōtius vir Mertonensis nō indoctus, sub Henrico quinto maximus adversarius extitit, quod & scriptis suis declaravit. Tho. Bekington Bathon & Wellens: Episcopus illud Collegium auxit, & contra obliuionem beneficiorum hostem, speculā

cum

cum dolio nominis sui symbolum, muris suis æternùm affigi curauit: & quicquid defuit, postea Thomas Rotheram aliàs Scot Archepisc. Eboracens. additis reditibus qui quinq; socijs alendis essent satis, suppleuit.

Rectores Collegij Lyncoln.

M. Gul. Chamberlen.	*M. Hugo Weston.*
M. Io. Beke.	*M. Christoph. Hargraue.*
M Io. Tristrope.	*D. Franciscus Babington.*
D. Georgius Strangways.	*M. Henr. Henshawe.*
M. Gul. Betham.	*M. Io. Bridgewater.*
M. Tho. Banke.	*M. Io. Tatam.*
M. Tho. Drax.	*D. Io. Vnderhill.*
D. Io. Cottisford.	*D. Rich. Kilbie.*

Parochia Sancti Clementis.

Plateam hic esse vulgo Estbridgstreate, ponteq;, à fundatore Collegij Magdalanensis Waynfleto vulgo ferunt cõstructum. cui ego quidem non inficias eo; sed fuisse illic põtem multo antea, ex libro Hospitalis S. Ioannis Baptistæ conuinco, vbi Henricus tertius non procul à ponte, Hospitale fundasse dicitur autore Florilego; ac Præmonstratenses illic sedisse non solum scripta, sed & hodierna adhuc monumenta ostendunt. Pons in Eastbridgestreet.

Parochia Sanctæ Crucis seu Holywell.

Cum inter Canonicos Dorcestrenses olim & Wyntonienses de loco sepulturæ S. Birini esset quæstio, Sanctus quidã Matheus nomine inclusus in Halywell extra Oxoniam, per visionem accepit, Birinum in pauimento Ecclesiæ Dorcestrensis, Bertinum verò ponè ostium referente Capgrauio sepeliri. Erant hic Aulæ duæ. S. Matheus de Halywel.

Aula { siue schola Parisiensis iuxta pratum quod adhuc Paris dicitur, è regione Hospitalis S. Ioannis Bapt.
Griffini, prout ex antiquis chartis constat. }

Præter Hospitale. S. Ioannis Baptistæ extra portam Orientalem Oxon vbi infirmi fratres alebantur, cuius fundator fuit vti diximus Henricus tertius anno gratiæ 1233. regni vero 17. autore Florilego, primum enim lapidem ipse posuit autore Rosso: suiq; charta concessit, vt lignorum causa, *vnum equum Sumeritium singulis diebus bis itinerantem ad boscum de Shotouer haberent*. varijs postea modis magna incrementa accepit: Henricus filius Simeonis (ex eius charta loquor) in sustentationem quinq; lectorum eidem Hospitali terras dedit: forisfacturæ & amerciamenta eidem cesserunt: Richardus secundus (cui de Woodstocke venienti frater Rich. Turwe tunc illius hospitalis Magister vna cum suis solenni processione occurrebat) vestimenta contulit, quibus in diuinis officijs vterentur: quo tempore, autore Rosso, etiam prima in eleemosynis & peregrinorum receptione obseruatio, *multo melius solito secundum primā fundationis formam continuabatur*: cessit postea in Collegium Magdalanense de quo & fundatore scripsit ornatissimus vir M. Io. Buddenus legum Doctor, dignissimus illius Collegij alumnus à quo didici hos fuisse

Hospitale S. Ioannis.

Collegij Magdalanensis Præsidentes.

M. Gul Hornley.
M. Gul. Tybbard.
M. Rich. Mayewe.
M. Io. Claymundus.
M. Knolles.
M. Owenus Oglethrope.
M. Cole.
M. Coueney.
M. Laur. Humphredus.
M. D. Nichol. Bonde.
D. Io. Hardinge.

Est quoq; Aula B. Mariæ Magdalenæ sacra, vbi Wainfletus olim Magdalenensium suorum cœtum posuisse ac cōstituisse, decreverat: sed excitato iuxta Collegio, omnis dignitas ab Aula ad Collegium translata est: Hi nihilominus occurrunt.

Prin

Principales.

Gul. Horley aut Hornley.	*Christoph. Rookes.*
Gul. Hasarde.	*M. Hengist.*
M. Stokys.	*Simon Parret.*
Io. Caly.	*Tho. Coueney.*
Rob. Perkins.	*Adrian: Hawthorne.*
Io. Burges.	*Rob. Lystar.*
Io. Greene.	*D. Hussee.*
Io. Wightyg.	*Io. Wylkinson.*
Rob. Parkhouse.	

Fuit quoq; hic Capella. S. Trinitatis ad portam Orientalē Oxon quæ ad fratres ordinis redemptionis captiuorum pertinuit, qui illic tanquam in Aula aut Collegio prout ex Archivis Oxoniensis Acad. didici, studere olim solebant.

Parochia. S. Ebbæ Virginis. Eboracensis.

Fuit hic Aula {
Paulina à Paulino primo Eboracensi Archiepisc. condita vti supra diximus
Bedelli.
Athelstani.
Dunstani.
Grossa.
Grouehall sive Greeuehall.
Beesehall.

Parochia S. Edwardi.

Quæ posterioribus temporibus ab Olivero Lyncolniensi Episcopo, Ecclesiæ Frideswidæ vnita & annexa est. Visebatur hic

Aula	Edwardi Aquilina Beccina Sampsonis	Aula	Shiphall. Pittancehall. Vinea. Hospitiū de Pecwater quod primo fuit Radulphi de Pecwater tenemētum.

S.Edwardi scholæ.

Erant hic etiam S.Edwardi scholæ quæ primo à Predicatoribus circa annum 1231. Oxoniam adventantibus aperiebātur, qui etiam in hac Parochia oratorium S. Mariæ Virgini Deiparæ sacrum condiderunt.

Parochia Sancti Egidij.

Aula Græca.

De cuius Ecclesia alibi libro Apologiæ 2. abundè dictum est. Quæ si vera sint, vt sunt verissima, necesse est profecto, vt plurimas hic quoq; scholariū Aulas extitisse olim fateamur. Etenim Aulam Græcam sive Græcorum de qua supra, Archiua luculenter ostendunt: Ac ne hæreas: fidem tibi ex Regestro faciam, in hunc modum *Ego Cancellarius Oxon, privo nūc te Thomam Hoope Bacchalaureum iuris Principalitate tua, in Aula Græca Oxoniæ, propter perturbationem pacis in vniversitate quā convictus es, & propter periurium tuum quod perpetrasti in non reuelando perturbatores pacis Vniversitatis Cancellario quos novisti esse pacis perturbatores, & quibus præcepisti verberare Heuricum Flynt in festo dicto Cathedra S. Petri anno Dom.* 1444. hæc ex Regestro.

Parochia Sanctæ Fridesvvidæ.

In qua præter antiquissimum Fridesvvidæ Prioratum de quo supra, fuit Aula dicta Elmehall. & Lumbardhall.

Pri-

Priores S. Frideswidæ.

Guymundus	*Rog. Walker*
Rob. de Ewelme	*Ioannes*
Philippus	*Rob. Merton*
Guliel. S. Aldati	*Alexander*
Io. de Lewkner	*Nich. de Hungerforde*
Rob. Canutus	*Simon*
Io. Woodeford	*Rich. Oxenford*

Collegiũ quoque Cantuariense de cuius fundatione Gulielmus Rede in Vitis Archiepiscoporum Cant. sic scribit: *Circa idem tempus scilicet anno* 1363. *Simon Islep Archiepiscopus Cantuariensis, incæpit facere Aulam scholarium in Oxonia, parochiæ beatæ Mariæ Oxon vicinam, quam vocari fecit Aulam Cantuariensem; & quasdam alias aulas vicinas per nimietatẽ venti demolitas, pro scholaribus ibi morari volentibus suo ærario perquisivit: in qua quidem Aula, scholares in iure civili in Canonico & in arte Dialectica, sub certo numero studere debentes disposuit; quos sub regimine unius Magistri cõmuniter vivere voluit; quibus Ecclesias de Pagham & de Iuechurch, pro sua sustentatione appropriare decrevit, sed morte præventus, huiusmodi opus imperfectum dimisit.* Hæc ille. Nunc in Cardinalitiũ Collegiũm sive Aedes Christi omnia concesserunt; à cuius prima fundatione, quâ Cardinalitium Collegium, & secundâ quâ Henrici Octavi Collegium, & tertiâ quâ Ecclesia Cathedralis B. Mariæ de Osney dicebatur, & hâc quoq; quartâ & novissimâ, quâ Ecclesia Christi Cathedralis Oxon ex fundatione Regis Henrici Octavi hodie dicitur, hi venerabiles viri Decani præfuerunt. Cõllegium Cantuariense.

Decani Ecclesiæ Cathedralis Christi Oxon.

D. Io. Hygden	*Georg. Carowe.*
D. Moore. hi	*Tho. Sampson.*
2. Cardinalitij	*Tho. Godwyne Episco-*
Decani sunt.	*pus Bathon et Wellens.*
Io. Oliver. Collegij	*Tho. Cooperus Episco-*
Henrici Octavi	*pus Wynton.*
Decanus.	*Io. Piers Archiepisco-*
Rich. Cox. primus	*pus Eboracensis.*
hodiernæ fundatio-	*Tobias Mathewe Ar-*
nis Decanus. Epis-	*chiepiscopus Eboracēsis*
copus Eliensis.	*Gul. Iames Episcopus*
Rich. Marshal.	*Dunelm.*
Trilingium meorū	*Th. Ravis Episc. Lōd.*
alumnus.	*Io. Kinge.*

Capella fuit S. Luciæ iuxta curiam, S. Frideswidæ.

Nec omittenda est Parochia, S. Georgij in Castro Oxon, vbi scholarium studentium domus & capella fuit, de cuius origine supra dictum est: fuit ibi Maryonhall, versus Osneyam Australem infra pontem de Bokbinders sita.

Parochia, S. Ioannis Baptistæ.

Ars typographica.

Artem typographicam Angliæ finibus recēter appulsam, Oxoniam primò devenisse, vndè Gulielmi Caxtoni opera Londinum quoque traductā esse, non solum antiqua scripta referunt, sed etiam illud indicat, quod Io. Scolar primus Oxoniensis typographus, officinam typographicam hic aperuit, & Ioannis Dedici Oxoniensis acutissimi in Moralia Commētarios in lucem edidit anno Dom. 1518. Cantabrigienses, citiùs an tam citò, huiusmodi imprimendi privilegium adepti sint, haud scio: etenim si adepti fuissent, profectò Rob. Alyngtoni Oxoniensis Sophismata & consequentias, non Lōdini apud Winandū de Worde vt ante diximus, anno Dom. 1510. sed Cantabrigiæ sine dubio in vsum suū edenda cura-

vis-

viſſent, verũ vt intelligas hunc quoque locũ doctorum homi-
num veſtigijs attritum olim fuiſſe, erat hic

Aula
- Vrbina, forte Vrbana, quam Aluredianis pene temporibus à ciuibus ipſis extructam fuiſſe Roſſus ſupra tradidit.
- Angularis.
- Nevellſyn.
- Crucis.
- Ariſtotelis.
- Bedelli.
- Boemiæ.
- Ioannis è regione ipſius Eccleſiæ.
- Ieſu
- Andreæ
- Nightingallhall
- Cervina. à Petro de Abendon Hoſpitali, S. Ioan. data.
- Grimſtede vulgo hoſpitium Grimſtede.

Et Albana, ſivè Aula Alba Magna.
Cuius Principales ſunt

Rob. Aſh
Simon Bell
Walt. Buckler
Rob. Tayler
Gul. Pedyll
Gul. Bys
M. Popwell
Rob. Martin
Io. Gygur
Gul. Shireff
Gul. Romeſey
Ludov. Mauritius
Tho. Danet
Rich. Smith
Mr. Rith
Rob. Hincke
Io. Eſtwycke
Gul. Marſhal
Arth. Atie
D. Radcliffe
Rob. Maſters
Hen. Maſters

Qua-

Quarum aliquot destructæ, in Coll: Corp: Christi ab honoratissimo Episcopo Wyntoniensi, Richardo Foxo fundatum concesserunt, de quo, si Deus voluerit fusiùs alibi fortasse à nobis dicendum erit. Nunc illorum clarissimorum virorum nomina memoriamq; recolam, qui magna laude ad Trilinguium meorum gubernacula sederunt. Hi sunt

Collegium Corporis Christi.

Io. Claymundus	*Tho. Greeneway*
Rob. Morwent	*Gul. Cole*
Gul. Chedsey	*Io. Raynoldes*
Gul. Butcher	*Io. Spencer*

Aliæ verò multò anteà, in Mertonenses ædes commigrarunt, quas Gualterus Merton tum clericus non Episcopus, Cancellarius tamen Regis quondam, scilicet ante Collegij fundationem, primo apud Mandon aut Maldon in Surrey anno Dom. 1264; deinde post bellum Baronicum Oxoniæ anno D. 1267, postremò quasi vltimam manũ adijciens anno Dom. 1274. Oxoniæ (quemadmodum ex statutis & Archivis Mertonensium quæ benignitate, clarissimi doctissimique viri Domini Henrici Savill Equitis Aurati & Custodis meritissimi vidimus) perpetuò posuit ac stabilivit, obijtq; anno Dom. 1277; ex quo sequitur eum triennio tantum Episcopũ Roffensen fuisse, siquidem in novissima fundatione quã postremò omnium scilicet anno Dom. 1274. stabilivit, seipsum non Episcopum sed clericum vocat: & quanquam ipse collegium suum pro sustentatione scholarium in duabus scientijs videlicet Theologia & Dialectica studentium ditissimè dotaverit, autore Galfredo le Baker in suo Chroniculo quod Oxoniæ apud Osney rogatu Thomæ de la Moore Militis cõscripsit, quod & Rogerus Walden quodammodo testatur de quo postea, varia tamen incrementa ab alijs accepit.

Collegium Mertonense.

Eius Fundator

Nam Io. Wylliot S. Theologiæ Doctor & Cancellarius Oxon tumultu electus vti supra diximus sub Ed. 3. illius collegij alumnus, Portionistarum aulam & exhibitionem instituit: bibliothecam cõstruxit Gul. Rede Mathematicus insignis, Episcopus Cicestrensis: Thomas Rudburne sub Rich. 2.

Eius incrementa.

Cus-

Custos, turrim supra portam ædificavit; manerium Custodis, Richardus FitzIames: Ecclesiam, Henricus Abyndon item Custos, campanis: Rich. Rawlyns, plumbeis laminis in tecto decoravit, & interiorem tecti partem ligneis tabulis ornavit.

De antiquitate vero istius, & Sancti Petri domus in Cantabrigia, mira est Londinensis inconstantia: quanquam enim libro antiquitatis Cantabrigiæ suæ primo, apertè fateatur se nullum scire Cantabrigiæ collegium ante annum Do. 1259. alibi tamen domum, S. Petri quam ille sine dubio primã agnoscit, non ante annum D. 1280, Edwardi primi nono fundatam scribit, vno vt ille supputat anno antè collegium Balliolense in Oxonia quod alibi anno 1283, alibi verò, anno 1288 fundatum esse scribit; cùm ipsi in Balliolensiũ Archivis Chartam quandam, annum gerentẽ 1264. viderimus, & Rogerum Walden non longè ab hac supputatione aberrantem (fundatum enim scribit anno 1266) legerimus.

Eius antiquitas.

Sed in vtriusque initijs ipsis fortasse haud magnum est discrimen (quanquam & hic etiam Mertonense collegiũ præcessisse per controversiam probare potuissem) hoc tantum interest, quod vltima Mertonensis collegij fundatio quæ gerit annum 1274, per quadraginta plus minus annos præcedit eam quam pro sua Hugonis alumni agnoscunt; qui tum se verè & primò fundatos agnoverunt, cum primũ Simonis de Monte acuto Eliensis Episcopi opera, statuta & ordinationes Mertonensium acceperunt; quod quidem fuit post quinque & quadraginta (fatente ipso Londinensi libro historiæ Cantabrig. 1.) à iactis fundamentis annos: & Academiam Cantabrigiensem, quòd ab Oxoniensi, statuta & privilegia quemadmodũ supra diximus mutuata fuerit, quis Oxoniẽsi recentiorem appellare dubitaverit? Tantum igitur est inter vtriusque collegij tempora discrimen.

Antiquius est Domo S. Petri in Cantabrigia.

Custodes Coll. Mertonensis.

Ggg

Petrus

Petrus Abyngdon aliàs Lakinge	*Hen. Sever*
Rich. Warblisdon	*Jo. Gygur*
Jo. de la More	*Rich Fitz James*
Io. Wantinge	*Tho. Harper*
Rob. Trenge	*Rich. Rawlins*
Gul. Durant	*Rowlandus Philipps*
Io. Bloxham	*Io. Chamber*
Jo. Wendover	*Henr. Tindall*
Edm. Beckingham	*Tho. Raynolds*
Tho. Rodeburne	*Iac. Gervase*
Rob. Gylbert	*Io. Man*
Henr. Abyngdon	*Tho. Bickley*
Elias Holcot	*Henr: Savill*

Parochia S. *Mariæ Virginis.*

In qua hæ veteres Aulæ extiterunt.

Aula
- Hereburghall in Catstret siue in vico Murilegorum.
- Nigra in vico scholarium.
- Vniversitatis in vico scholarium.
- Cathall.
- Bedelli in vico de Schydherde, inter Collegium Orialense ex parte Australi & Aulâ S. Mariæ ex parte boreali.
- Edmundi in vico scholarium magna.
- Droughterhall.
- Aula Physica vbi iã sunt ædes Dotchinianæ.
- Edmundi parva.
- Regia, Æneanasensis.
- Berfordensis in vico murilegorum.
- Thomæ olim dicta Cherleston, intra præcinctum Aulæ Æneæ.
- Cuthberti.
- Profunda.
- Bayliolensis etiam in hac parochia, vti constat ex Rentali Osneyensi.
- Edwardi parva.
- Leonis.
- Haberdashall.

Glans-

Aula

Glansſwyhall.
Bokbinderhall.
Georgij.
Iggthall.
Gulielmi vel hic in Kibaldſtret, vel in vico S. Ioannis.
Tyngwickeſynne in vico Murilegorum: quod hoſpitiū Nichol. de Tyngewicke ſub Edw. 1. duc bus meſſuagijs ad ſuſtentandum duos magiſtros in Dialectica Regētes dotauit: ſitum fuit inter ſcholas hoſpitalis S. Ioannis Bap. Oxon ex parte Auſtrali & curiam quæ vocatur Maryol Court ex parte Boreali: hæc in Archivis. Petrus Beſiles Miles Abyndonenſis qui apud fratres Prædicatores Oxon anno D. 1424. ſepultus eſt, & terras pro vno nigrorū Canonicorum in Oxonia Collegio, teſtamento ſuo legavit hoc hoſpitium quoq; reparandum curavit.
Corbetshall.
Aula alia Mariæ in vico ſcholarium.
Aula vitrea: ſive Glaſinhall, in vico ſcholarum monaſterij de Oſney, cum alia parua aula annexa, quæ fuit Abbatiſſæ Godſtockienſis.

Et Sanctæ Mariæ Aula, in Orialenſium tenura cuius hi ſūt

Principales.

Gul. Goten.
Tho. Stevens.
Gul. Aiſhford.
Gul. Bacon.
Gul. Staynton.
Gul. Croten.
Henr. Sampſon.
Henr. Lache.
Jo. Wilſhire.
Rob. Windſor.
Rich. Lorgaine.
Rob. Iames.
Io. Smith.
Henr. Popy.
Tho. Parys.
Io. Sadler.
M. Erytach.
Gul. Pye.
Io. Rexman.
Morganus Phil*lips: Aliàs* Sophiſta
Gul. Alen Card.
Io Xawe.
Io. Hurlock.
Rich. Pygot.
Tho. Philipſon.
Georg. *Dale.*
Rodolph. Braddill.

quæ

Quæ omnes iam propemodum, in Orialense, AEneanaſe-ſe, & Collegium omnium Animarum commigrarunt, de quorum fundatoribus, alios consulas: hic tantum Præfectos habiturus es.

Præpositi Collegij Orialensis.

M. Adamus Browne,	M. *Io, Hales.*
M. Willielmus de Leuertō	M. *Henr.* Sampson.
M Willielmus, de Haukesworth	M. *Tho. Hawkins.*
M. Willielmus Dauentre	M. *Io. Taylower.*
M *Willielmus Colyntre.*	M. *Tho. Carnish.*
M. *Io, Middleton*	M. *Edmundus Mylford.*
M. *Io. Possell.*	M. *Iacobus. More.*
M. *Willielmus Corff.*	M. *Thomas Ware.*
M. *Tho. Leintwarden.*	M. *Henr. Myn.*
M. *Henr. Kayle.*	M. *Willielmus Haynes.*
M. *Nich. Barry.*	M. *Io.* Smith.
M. *Io. Caupynter.*	M. *Rog. Marbeck.*
M. *Walterus Lyhart.*	M. *Io. Belly.*
	M. *Antonius. Blencowe.*

Collegium Orialense.

Sed quia de huiusce Collegij fundatore, apud omnes non convenit, ideo *Ioannis* Rossi sententiam subiungam, & rem in medio relinquam: *Rex Edwardus secundus natus est apud Caernarvan in Wallia: erat & ipse fundator Collegij Regalis de Oriell, & Fratrum Carmelitarum Oxon extra muros, ac Regiæ Aulæ Cantabrigiæ; & Fratrum* P*rædicatorum de Langley iuxta* S. *Albanum* hæc Rossus, in Edwardo 2. in lib. de Regibus,

Custodes Collegij Omnium animarum fidelium defunctorum.

M. *Rich. Andrewes*	M. *Rob. Woodward*
M. *Rog. Keys.*	M. *Rob. Stokely.*
M. Gul. *Kele.*	M. *Io. Warner.*
M. Gul Poteman.	M. *Seth. Holland.*
M. *Io, Stokie.*	M. *Io.* Pope.
M. *Tho.* Hobbys.	M. *Rich. Barber.*
M. Gul. *Brooke,*	M. *Rob. Houenden.*
M. *Io. Coale.*	

Prin.

Principales Collegij Æneanasensis.

Math. Smyth	*Rich. Harris.*
Io. Hawarden	*Alex. Nowell.*
Th, Blanchard.	*Tho, Singleton.*

Visitur hic Principalis Ecclesia cleri, beatæ Mariæ Virgini sacra, quæ non vno tempore omnia ornamēta sua acquisiuit: Richardus Fitz-Iames Episcopus London renouauit, Rich. Leichfeild Middlesexiæ & Bathoniæ Archidiac,: 200. libras structuris contulit, 120. volumina librariæ dedit, quam Edm. Sarum. Episc. supra domum congregationis condidit. Guliel. Gray Archidiaconus Berke Organa dedit quibus Academia in solennitatibus suis vteretur: cœmiterium pulcherrimo ornatur horologio eo quidem solari, quod Nicholaus Kratzerus Bavarrus Monucensis, qui iussu Henrici Octaui, Mathematica Oxoniæ lectitabat, posuisse, & in illius vsum Canones in Horoptrum scripsisse dicitur, quos in Bodleyana Bibliotheca Oxon vidimus.

Ecclesia B. Mariæ Virginis.

Nec procul est illa schola Theologica & bibliotheca celeberrima, de cuius origine partim ex ipso Londinensi, partim ex nostris pauca differenda sunt: etenim illa Schola, nec ab vno autore incępta & absoluta, nec ab Hūphredo Claudiocestriæ duce (vt quidam autumant) condita est. Certum est ædes quasdam in subvrbio villę Oxon inter Collegiū Baliolense ex parte orientali, & tenementum quoddam Prioris & Conventus Sanctæ Frideswidæ ex parte occidentali, ad Academiā Oxoniensem pertinuisse; Balliolensibus vero (Magistro illius domus Rob. Burley) concessas ea conditione, vt ijdem Balliolenses vnā vacuam placeam in Coll. Exon ex parte occidentali, & vicum scholarum ex parte orient: pedes 130 & vnum pollicem in ea latitudine continentem, in longitudine vero ab Exeter lane per muros vrbis à parte Boreali vsq; ad Mildred lane versus Austrum, centum sexa-

Origo publicę Bibliothecæ Vniversitatis Oxon.

ginta pedes &amplius certe ni fallor, pro annuo 5. solid. reditu æquis portionibus ad festum Sancti Michaelis Archangeli & Annuntiationis beatæ Mariæ solvendorum, Vniversitati concederent.

Eius incremẽta,

Sic igitur in eo loco iactis aliquantulum fundamentis, circa annum domini 1390, sexaginta fere annis intermissum opus erat: donec Richardus quidam Mey in artibus Magister, in summa sua senectute locuples, ad has scholas perficiendas pecunias largitus est. Tum vero opere iterum suscepto, exortus est mox alius Acad. Oxoniensis alumnus Tho. Kempe Lond. Episcopus, anno dom. 1470, regnante Edwardo quarto: is Oxoniensium rebus commotus, eas scholas fornicibus subterraneis & cavernis quas voltas nuncupant, fundavit, parietes qui neglecti 60. ferè annis stetissent, quadrato & polito lapide valuis turriculis, tectoq; absoluit, & doctoris cathedram artificiosè depictam ad naturalis cœli imaginem statuisse dicitur.

Wintoniensi sedi præsidebat tunc Gulielmus Wainflustus, vir ætate & doctrina venerabilis. Celeberrimũ is Magdalanense collegium eo tempore extruxerat, & Edwardus Rex egregia ædificia in VVindsorino castro molitus, latomos tam sedulo conquisivit, vt eos quos Wintoniensis ad suum collegium & Oxoniẽses ad suas scholas Theologicas paravissent, avocaret: sed Wintoniensis pro suis facile impetravit: Oxonienses haud ita saltem à rege obtinuerunt, vt quia verendum esset, ne si avocatis latomis opus iterum intermitteretur, ac morirentur patroni, non esset deinceps perficiendi spes, vt si Wintoniensis potestatem sibi faciat impetratis vtendi Latomis, ne hi abstraherentur: VVintoniensem postea tam de latomis quam de machinis & instrumentis sollicitant, quæ omnia à venerabili patre consecuti sunt.

Eius structura Periclitatur.

Iã verò ne de Oxoniẽsiũ literis præclare meritus dominus Humphredus Claudiocestriæ dux, debita laude careat, quid beneficij in Oxonienses suos contulerit breviter declarabo. Bibliothecam Oxoniensem omnium artium ac linguarum libris

Humphredus Gloucestriæ Dux.

bris, copiosissimè instruxit: libros vltra 200, libras vero vltra mille dedit. Ioannes Whethamsted verò abbas Sancti Albani, Humphredo duci ab intimis, qui aliàs Frumentarius & de grano tritici vocatur, aliam bibliothecam alijs libris refertam seorsim condidit, illamq; ducis, Granarium, suam vero Propinarium vocari voluit vt in vetustis Vniversitatis epistolis patet: quæ bibliothecæ ita erant colligatæ, vt vna semper alterâ vt cibus potu indigeret, priorq; secundam appeteret: illius bibliothecæ veteris vnicum habemus librum; secundam videlicet partem Valerij Maximi, Dyonisij de Burgo fratrum heremitarum Sancti Augustini commentarijs, & ipsius Iohãnis Abbatis tabulis illustratam. *Hunc librum ad vsum scholarium studentium Oxoniæ assignavit venerabilis pater Jo. Whetham-sted abbas monastery Sancti Albani vinculoq; anathematis innodavit illos omnes qui aut titulũ illius delere curaverit aut ad vsus applicare præsumpserit alienos.* Hæc in initio libri. Granarium & Propinarium.

Humphredum tamen ducem, illius bibliothecę Oxoniensis & scholarum Theologicarum non fuisse conditorem, ex litteris ipsius Acad. Oxon. ad eum Anno 1440. Iulij 14. transmissis patebit: vbi sic scribitur: *Itaq; locus huic rei nobis maximè videtur idoneus (*agitur enim ibi de loco ipso bibliothecæ ponendæ*) vbi venerabilis pater & Cancellarius noster semper* R. P. *amantissimus Mr Tho. Chace spectabilem novarum scholarum fabricam ad cætera suæ virtutis testimonia, insigni mensura ab humo erexit: quam nos citò quoad exigua suppetebat facultas promovimus: hic locus quod à strepitu seculari remotior, bibliothecæ admodũ idoneus videtur; cuius fundationis titulum si magnitudini vestræ accepta fuerit cum omni devotione offerimus, &c.* an verò Humphredus sibi assumpserit, haud constat: indignus certè tanta gratia non fuit, qui libros vltra 200. bibliothecæ contulit & omnes latinos proprios promiserat; quos omnes, post acerbũ Humphredi ducis fatum amisissemus, nisi M^r Io. Summerset de quo supra diximus, cuius custodiæ bona Humphredi ducis concredita sunt, non solum magnam illorum partẽ restituisset, sed etiam per venerabilem virum M. Gulielmũ Kele

Humphredus non fuit illius bibliothecæ fundator.

Io. Sũmerset.

Col-

Collegij omnium animarum fidelium defunctorum Cuſtodem pretioſiſſimas veſtes miſiſſet, quibus in divinis officijs Oxonienſes vterentur.

Verum poſt iſtos, nobilis Io. Tipetoft Balliolenſis, (vti ſuperius dixi) Comes Wygorniæ, & deputatus in Hybernia D. Georgij Clarentiæ Ducis anno regni regis Edwardi 4. ſeptimo, cum eſſet adoleſcens Oxoniæ inſtitutus, cum honoribus auctus eſſet Patauium profectus eſt, indeq; ad Oxonienſes ſuos ſcripſit de his libris quos in eorum gratiam comparaverat quorumq; indices tantum miſerat. Sed cum inter Edw. 4. & Hen. 6. de regno eſſet contentio, ob læſæ maieſtatis ſuſpicionem ſecuri percuſſus eſt an. 1469. & apud fratres prædicatores Londini ſepelitur: itaq; Oxonienſes Georgium Nevill Ebor. Archiep. regni Cancellariū, pro huius libris quos ad 500. ferè marcas æſtimant interpellant: ille pleroſq; conquiſiuit, & per litteras ſuas de reliquis ſpem fecit, præterquam de his qui in Hybernia fuerunt.

Veteris bibliothecæ inclinatio.

Florentem tamen Oxonienſem bibliothecam multi anni conſequentes acceperunt: vtinam vero illos ſuſtuliſſent quos præclariſſimæ illius Bibliothecæ diſſolutionis authores, ob magnitudinem credo ſceleris, nulla adhuc mentio prodidit. illud certe facinus Richardo Coxo & Ædis Chriſti ſub Edwardo 6. Decano poſteritas aſcripſit, & Bibliothecæ Oxon prædonem nuncupauit, qua fide neſcio: at ſcio non fuiſſe alienum ab illo, qui plura Collegia vniendo, Collegiorum fundationes & totam Oxonienſem œconomiam de medio ſuſtuliſſe decreverat, quod ex Archiuis patet. Sed iam ſummum fati ſui terminum complevit: obſcura antea & quaſi terræ filia, parentem & antiqui ſui generis autorem clariſſimum, qui eam quaſi de orco revocavit, Dominum Tho. Bodleyum Auratorum Equitum ordinis facile principem, invenit: qui quātū egerit, lege Magiſtrum Tho. Iames amicum meū ornatiſſimum illius bibliothecæ cuſtodem, in præfatione in ſuum Oxonienſis bibliothecæ librorum catalogum.

Illius ruina.

Eius noua inſtitutio per D. Tho. Bodleyū.

Pa-

Parochia S. Mariæ Magdalenæ

In qua, maiorum memoriâ hæ veteres Aulæ floruerunt

Aula
- Margaretæ ante fundationem Collegij Balliolensis, nā in antiquissimis fundationis illius Collegij chartis hujus Aulæ tanquam præexistentis mentionem reperio, & ex illa Balliolense Collegium creuit.
- Mariæ.
- Passerina.
- Welhall.
- Regia quoq; vt in charta Radulphi Peckweth apud librum Frideswidæ,
- Rosehall propè Turlokesynne.

Quarum plerasq; Balliolense Collegium à Io. de Balliolo, Ioannis de Balliolo Regis Scotiæ patre & Domina de Balliolo Deruorguilla vxore, fūdatū, & filij sui carcer constitutum, absorpsit: de illius fundatione Rogerus Walden historicus satis antiquus sic habet. *Anno Dom. 1269 obijt Ioannes de Balliolo, qui amator scholarium fecit propter deum perpetuam domum apud Oxoniam, tribuens singulis illis scholaribus omni hebdomada octo denarios ad communem eorum mensam est ibi alia domus scholarium melior illa vbi percipiunt ad communia summam: duodecim denariorū per circulum septimanæ de dono Episcopi Batensis* (Roffensem intelligit Mertonensis Collegij fundatorem) hæc Rogerus. Veteres autem annui reditus illius Collegij pro ratione census de quo hic author, sunt 99l.17s.xd.

Magistri Collegij Balliolensis.

Io. Foderinghay. primus Principalis
Rob. Twaits.
Io. Ably.
I. Wickleff
Rob. Burley.
Rich. Birningham
Gul. White.
Georgius Cootes.
Gul. Wright.
Franc. Babington.
Rich. Stubbes.
Iac. Glouceſter.
Anton. Garnet.
Rob. Hooper.
Iac. Brookes. poſtea Epiſc. Gloceſtrenſis
Io. Piers.
Adam Squier.
Edm. Lylly.

Collegium S. Bernardi.

Henricus Chichleyus quoq; Archiepiſcopus Cantuariēſis, pauperum ſcholaſticorum Collegium hic edidit: cuius ſtructuram cum minus probaſſet, ordinis S. Bernardi monachis, ea conditione dedit, vt novitios ſuos ſtudij gratia Oxoniam mitterent; vnde Collegium S. Bernardi, ſiue Aula Londinenſis & Burnellyn quoq; dictum, vti incertus author in vita Henrici Chichley Fundatoris annotauit. Ceſſit poſtea in Collegiū S. Io. Baptiſtæ, cui præfuerunt.

Collegiū S. Io: Baptiſtæ.

Præſidentes.

Alex Belcher.
Gul. Elie.
Gul. Stoke.
Io. Robinſon.
Tob. Mathewe.
Franciſ. Willis.
Ran. Hutchinſō.
Io. Buckeridge.

Præſidentes Collegij. S. Trinitatis.

Collegium S. Trinitatis.

Tho. Sleithurſt.
Arth. Yeldard.
Ranulph. Kettle

Pa.

Veteres Aulæ fuerunt hæ.

Aula {
Merston,
Knaphall iuxta angulũ versus Gildhal: vt Rẽtale Osney.
Couentriensis versus portam borealem, vt habet liber Hospitalis. S. Io. Baptistæ. nisi hæc alibi potius collocanda fuerit.
}

Est hic forense granarium satis amplum,

Hoc erexit opus talem Claymundus in vsum
Vt siccum possit saccus habere locum.

autore in illius vita Io. Shepræuo.

Parochia. S. Michaelis ad portam Australem

Cuius Ecclesiam Cardinalitium Collegium absorpsit. Aulæ fuerunt istæ.

Aula {
Pleucerhal dicta.
Margaretæ Alia.
Elmehal hic iterũ alia apud Rentale Osney ẽe
Petri.
Plũmerhal: seu Plumbeorũ (vti dicitur) placea.
}

Parochia S. Michaelis ad Portam Borealem

Nisi Aula Couentriensis & Aula. S. Thomæ hic statuenda fuerit, ex veteribus non invenio.

Collegium Exoniense cuius à principio Rectores propemodum Annui extiterunt, quos ideo prætereundos duxi: Rectores vero perpetui fuerunt isti tres,

Ioannes Neale.
Tho. Glasier.
Tho. Holland.

Principales Collegij Iesu:

D. Dauid Lewes.
D. Griffin LLhoyd.
D. Franc. Beuans.
D. Io. Williams.

Parochia, S. Mildredæ.

In qua has Aulas in vetustis scriptis reperio:

Aulam:
- Mildredæ.
- Chimneyhall: dictam.
- Pauperis, vt constat ex Rentali Osneyensi.

Parochia Petri & Pauli in Oriente.

Vidit superior ætas scholares in hisce Aulis studentes.

Aula:
- Neoti.
- Mariolis.
- S. Hugonis annexa Edmundi Aulæ.
- Nigra.
- Saraceni.
- Willoughby hall dicta.
- Puellarum vulgo Mayden hall, de qua fit mentio in Rētali Frideswidæ & in libro Hospitalis, S. Ioannis Baptistæ extra Port: Orient. Oxon.
- Bradwell, quæ pertinuit ad Orialenses.
- Magna Vniversitatis.
- Parva, versus portam Orientalem: de vtrâque superius.
- Burser hall.

Et

Et S. Edmundi Aula.
Cuius hi sunt Principales.

Gul. Britton	*M^r. Geffrey*
Io. Temps	*Milo Bracwright*
Tho. Lee	*M^r. Roberson*
Gul. Preston	*Thomas Peryson*
Io. Portreue	*Nichol. Cooke*
Nich. Truenes	*Nicol. Pullen*
Io. Fisher	*Philip. Iohnson*
Mr Pytts	*Henr. Robinson*
Io. Burbach	*Tho. Bowsfield*
Io. Cuthbertson	*Io. Aglionby*

Et Aula Cervina vulgo Hirthall, olim monasterij Glasconiensis colonia; vndè & 30 annui reditus libras percipere antea solebat; quibus nunc diu orbata, superiorum paulò temporum ac hominum iniquitatem deplorat. Tamen hos agnoscit

Principales.

M. Trewynard	*M. Perkins vel Parkhurst*
M. Westlake	*Tho. Mide*
Io. Andrewe	*M. Irish*
Walt. Windesor	*Rog. Brunhall*
Io. Tregarson	*Tho. Balle*
Rich. Maiowe	*Io. Norman*
Mic. Treweman	*Io. White*
Gul. Sendef	*Io. French*
Gul. Summaster	*Gul. More*
Io. Fermer	*Philip. Randall*
M. Rugge	*Ioh. Iueleigh*
Gul. Ewen	*Theodorus Pricius*

Et Collegium Vniversitatis, de quo in 2. Apologiæ nostræ libro, plurima diximus.

Magistri Collegij Universitatis.

S. Io. de Beverley primus	*Georg. Ellison*
S. Grymbaldus olim vti videtur huiusce coll. Magister	*Anton. Salvaine*
Rog. Caldwell. 1219.	*Iac. Dugdale*
Rich. Witton	*Tho. Key*
M. Rokleborough	*Gul. Iames*
Ranulph: Hamsterley	*Anton. Gates*
Leonar. Hutchinson	*Georg. Abbot*
Ioh Croffurth	
Rich. Salvaine	

Collegij Reginensis Praefecti.

Rich. de Retteford	*Edwardus* Rygge
Jo. de Hotham	*Io.* Pantry
Henr. Whitfield	Gul. *Denyse*
Tho. de Carlile	*Hugo Hodgeson*
Rog. Whelpdale	*Tho. Francis*
Gualt. Bell	*Lancelotus Shaw*
Rowland *Byris*	*Alanus Scot*
Gul. *Spenser*	*Barthol. Bowsefield*
Tho. Langton	*Henr.* Robinson
Christ. Braynebrigge	*Henr. Airay*

Et Coll. B. Mariæ Virgini sacrum: vulgo Collegiũ Novũ.

Custodes Collegij Novi.

M. Rich. *Toneworth*	*M.* Gul. Porter
M. Nich. Wiccham	*M. Io.* Reade
M. Tho. Cranelye	*M. Io. Tounge*
M. Rich. *Malforde*	*M. Io. London*
M. Io. Bouke	*M. Henr. Cole*
M. Gul. Escot	*M. Rad. Skinner*
M. Nich. Osylbury	*M. Tho. White*
M. Tho. Chaundeler	*D. Mart. Culpepper.*
M. Gualterus Hill	*D. Georg. Rimes.*

Pa

Duas tantum Aulas hic reperio

Aulam
- Albam.
- Draperhall dictam.
- B. Mariæ: Collegium revera fuit, Canonicorum Regula: rium ordinis S. Augustini à quodam Thoma Holden Armigero fundatum: quo tempore haud scio: ex statutorum tamē libro apparet circa annum Dom. 1348. valde floruisse: studentes vero vnus Prior Regebat. hæc ex libro statutorum illius Collegij.

Et hospitium, quod quoniam olim ad alumnos noui Collegij devenit, cùm antea Turlokesynne, & Trillokesynne, nunc Hospitium nouum dicitur.

Cuius hi sunt Principales.

Gul. Witney.	*Hugo Powell.*
Philip. Burgainy.	*Tho. Powell.*
Walt. Pauy.	*Rob. Logher aliàs Lucher*
Edw. Haightou..	*Felix Ludouicus*
Laur. Cokkys.	*D. Griffith.*
Philip. *Welsh.*	*D. Lewes.*
Dionisius Hogan.	*D. Gibbons*
Gul. Freeman.	*D. Abry.*
Galfredus *Theryow*	Io. *Payne.*
David Theins	*Rich. Bray.*
*D*r. Payne.	*Rob. Lucher. iterū.*
Gul Roberts.	*D. Lewes*
Rowland. Merricus	Rob. *Lucher. 3*
Rob. Carewe.	*D. Dun.*
*D*r. *Barret.*	*Edmund. Price.*
Henr. White.	*D. Beuans.*
Io. Lacy.	*Jo. Estmonde.*
Gul *Balborowe.*	Rob. *Crane.*
*M*r *Worthiall.*	I*o. Farrar.*

Parochia, S. Thomæ Apostoli, aliàs Nicholai.

Antiquum satis hic est literarum monumentum, Collegium Glocestrense à Ioanne Giffordo nescio quo (vt Baleo visum est) monachorum gratia fundatum: fuisse tamen Gilberti de Clare Glovernię ducis ædes, alij multò probabilius asserunt; quæ vt circa annum D. 1260. conditę sunt, ita quo tempore Aula Regia, Carmelitis, rogante Henrico de Hanna (vt ait Baleus) illius ordinis præfecto, favente ipsi Nicholao Noelsio ab Henrico tertio, hæ quoque ędes Benedictinis monachis concedebantur: deinde ab Humphredo Glocestriæ duce auctum fuisse hoc collegium ferunt, nec defuerunt Abbates cæterorum in Anglia cœnobiorum, qui novitios suos proficiendi atque discendi causa, huc transmiserunt; quibus vnus Prior præfuit, quanquam nec capitulum, nec sigillum apud se habebant commune, autore Walsynghamo in Rich. 2. Novissimè vero Thomas Whyte Collegij, S. Io. Baptistæ fundator, in Aulam, S. Ioanni Baptistę sacram erexit, cuius scholares primitùs anno D. 1560, Elizabethæ vero 2, festo Nativitatis, S. Ioannis Baptistæ communia susceperunt, quibus hi Principales præfuerunt

Gulielmus Stokes
Hen. Russell
Christoph. Bagshawe
Io. Dolaber
Io. *Hawley*.

Non procul hinc fuit Regalis loci (alias Rurylocke) in onachorum Cisterciensium Abbatia, quam (iuxta Rossum) Richardus primo Cornubiæ Comes, tum Alemaniæ rex fundavit; cuius illic cor sub mirandi operis pyramide, humatum est autore eodem, corpus vero Glocestriæ. At liber monasterij de Bruton in agro Summersetensi, Edmundum Richardi Comitis filium, illud Cisterciensis ordinis studium Oxoniæ posuisse, & monachos de Tame primo illic transtulisse, manerio de Erdyngtō quod iam Yarneton vocatur, dotasse, denique

Ro-

Robertum Burnell Bathon & Wellens. Episcopum & domini Regis Cancellarium, 3. Idus Decembris Abbatiam ipsam Northolneyæ nomine dedicasse scribit.

Ordines Religiosi Oxoniæ.

Ordo

Prædicatorum: qui in Parochia S. Edwardi primo consederunt: sed Henricus tertius locum ijs postea extra paruam portam Australem assignauit; vbi Isabella de Bellebec Oxoniæ Comitissa, Ecclesiam in qua ipsa sepulta est festo sanctorū Viti & Modesti à Rich. Grauesend Lyncolniensi Episcopo, sancto Nicholao dedicatā, statim posuit: Cœnobium alij condidere: cui præfuerūt isti Gilbertus de Fraxineo: Simon de Bovill: Hugo de Musterby; Thomas &c. Priores.

Franciscanorū, quorū scholā Oxoniæ posuit quidam Etonus Franciscanus, qui cum Agnello, & Gul. Esslebio sectæ suæ socijs è Gallia venit, anno 1227. autore Baleo in Richardo Kingesthrope: Rogerus Baconus in horum cœnobio floruisse creditur, *natus de generosa familia incolarum comitatus Dorcestriæ iuxta Ilchester. S. Theologiæ Doctor Parisiis, Oxoniæ incorporatus, & Oxoniæ in festo S. Barnabæ Apostoli ad fratres Minores sepultus*, autore Rosso.

Minoritarum.
Mendicantium
Augustinensium.
Bonorum virorum.
Alborum Monachorū.
Benedictinorum.
Cistercensium.
Eremitarū S. Augustini
Carmelitarum.

de quorum Collegijs partim supra diximus, partim vero intacta reliquimus, quia nihil de illis occurrit.

Plateæ & vici Oxoniæ.

Altus vicus.
Vicus Murilegorũ in Catstret
Iudaismus Magnus à Frideswidę fano ad Ecclesiã omniũ Sãctorum, Rossus.
Iudaismus paruus
Balliolum magnum.
Balliolum paruum.
Estbridgstret.
Southbridgstret.
Grandpont.
Schydyerdstret.
Kibble seu Kibaldstret.
Vicus Stockwell in parochia beatæ M. Magdalenę
Horsmangerstret sive Yrissmanstret.
Waltonstret à placea Carmelitarum ad messuagiũ de Walton.
Fishstret.
Candytche.
Panchridge.
Septem Mortalia peccata.
Wodstret ab Ecclesia Mich Aquilonaris ad Newyn
Vicus scholarium.
Parua area Prædicatorum.
Vicus Catenarum à Collegio Iesu ad plateam Aquilonarẽ à catenis advtrumq; finem constitutis Cheiney lane (vt non nulli censent) dicebatur.
Venella Edwardi.
Jureslane.
Venella alti vici.
Venella dicta Hamel.
Venella dicta Ovenee.
Venella dicta Lormeria in parochia, S. Michaelis ad portam Bor.
Bedfordlane.
Penyferthinge stret: platea est, S. Ebbæ vsque ad portã Occidentalem.
Mildred lane, à Collegio Æneanasensi versus Coll. Lyncoln.
Platea, S. Ioannis; à Collegio Exon ad Coll. Novum.
Sommerlane à Collegio Exon, versus Ecclesiam S. Michaelis Aquilonaris.
Shooelane, iuxta novum hospitium.

Grope-

Gropelane in parochia, S. Ioannis.
Kingestret aliàs Lumbardlane, & Slayenglane, à porta Australi magna vsque ad Australem paruam, quâ ad Prædicatorum pontem itur: vbi est aqua illa de Tryllemillstreame fœditatis nomine notissima, & obid Braciatoribus & pistoribus interdicta per Edwardum primum.

Præter illas quas modo in singulis Parochijs enumeravimus, alia Aularum nomina in vetustis Vniversitatis monumentis occurrunt: quas quia certo loco constituere nequeo, eas Alphabeticâ serie complectar..

A

Alba magna
Alba iuxta muros parua.
Alba annexa aulę S. Edmūdi.
Accipitris.

B

Bremehall.
Bassa annexa vineæ.
Burdwaldschole.
Boydyn iuxta aulam Periculosam.
Brackeley.
Bevana annexa Bovinæ.
Bastaris.
Buckleyhal. sivè Taketsynne & Takelesynn, domus Garbrandi.
Bellerophōtis curia: nisi fuerit aula, nescio quid fuit: occurrit in lib. Fridesw id.
Bolehall Aula. Taurina, distincta ab Aula Bovina quemadmodū in Archivis invenio.

C

Cosnyll.
Cobhall.
Colcellina.
Castrimargi.
Christophori.
Clackhall.
Catharina.
Chimeræ.
Cornehillhall.
Aula cum Camino vt in Rotulario Standish de Aulis Vniversitatis Oxon.

D

Duotha
Deipara
Dosier
Dagfeild

Drogdà
Damiani.

E

Elephantis
Edwardi iuxta ſcholas iuris Canonici.

F

Ferrea Aula.

G

Gerennia
Guphall

H

Hamptonhall
Hallboke.

I

Iuehall
Inghall
Iugge hall
Introitus, S. Ioannis

K

Kepeharme iuxta portam Orient: vt in ſuo rotulario, Stādiſhe.

L

Leporis
Ledinporche
Leberdhall

M

Martini magna
Martini parua
Merton magna
Merton parua
Marcelli
Militis vt in rotulario Standiſhe Regeſtrarij
Minotehall
S. Mariæ Introitus.

N

Niſca

P

Penbrochienſis
Peryhall
Periculoſa in Candytche: ædes Cauſeldianæ
Aula Pille iuxta capellam, S. Trinitatis
Profunda. ſivè Deepehall.

Stapel-

S

Stapellyn
Salisburiensis
Salarij
Schildhall seu Aula scuti.
Solerhall: verius (ni fallor) Scholerhall: Chaucerus talis meminit in Cantabrigia: at nostra pertinet ad Orialenses.
Shelteyhall
Sykelthall: annexa Aulæ Hamptoniæ.

T

Taklessyn.
Trilkesyn
Trabinea:
Introitus. S. Thomæ iuxta
Salsany.
Trentle hall.
Tauernehall

V

Vrea:
Vinea: sed hæc eadem est (ni fallor) cum hospitio de Peccwater.

W

Wlstani Aula.
Woodecockehall.

Scholarum quarundam Antiquarum nomina,

Magna schola theologica: & plures aliæ minores Theologicæ antea.
Scholæ magnæ iuxta parvam aream Prædicatorum.
Schola in venella, S. Edwardi.
Schola Canonistarum in parochia omnium Animarum.
Schola iuris Canonici.
Schola Iuris Ciuilis.
Schola in paruo Iudaismo.
Schola Iuris Canonici in cœmiterio Ecclesiæ S. Edwardi.
Schola magna Iuris ciuilis in Iudaismo
Schola opposita Aulæ B. Mariæ.
Scholæ legum in Schildyerdstrat.

Scholæ S.Edmundi in magno honore fuerunt & clarissimorum Auditorum consuetudine notissimæ: è quibus Abbas Cistercienisis vno tempore septem habuit, quos monachos fecit, autore Roberto Richio in vita S.Edmundi fratris sui.
Metaphysicę bassa prima.
Philosophiæ Nat. Bassa secunda.
Astronomiæ Alta secunda.
Geometriæ Bassa tertia.
Musicæ Alta tertia.
Arithmeticæ Bassa quarta.
Rhetoricæ Bassa quinta
Grammaticæ Alta quinta.

Ecce hic vltra centum & octoginta Aulas, ex quibus veteris Academiæ amplitudinem & dignitatem, æstimare facilè poteris: meam vero fidem (si dubitas) ex antiquis Academiæ Oxoniensis monumentis confirmare, paratissimum me profiteor.



SVM-

SVMMORVM OXONIENSIS ACADEMIÆ MAGISTRATVVM,

HOC EST HONORATISSIMORVM

Cancellariorum, Commissariorum & Vicecancellariorum nec non Procuratorum, quotquot ex eiusdem Archiuis ac monumentis aliorum authorum colligi possunt, Catalogus.

Anno

882. aut 883. S. Grymbaldus, Cãcellarius Oxon ab Aluredo constitutus, teste Rosso Warwicensi: prout in libro Apologiæ 2 latiùs dictum est.

1219. Lodouicus de Chapyrnay. Cancellar. Oxon.

1230. Radulphus de Sépringham Cancel.

1231. Ric. Batchden Canc, vt quidam asserunt.

1234. S. Edmundus Archiepiscopus. Cant. Canc.

1236. S. Richard. de la Wyke Canc,

1238. Simon de Bouill, Prior Prædicatorum Oxon. Canc.

1253. Gul. de Manchester, Archidiaconus Lichfeild Canc.

1266. Nicholaus de Ewelme Canc. forte Rob. de Ewelme qui hoc tempore Fridesvvidę Prior fuit.

Anno

Procurat

Rogerus de Plumpton.

Henr. de Godfree.

1274. Tho. de Hotham Canc:

1275. S. Thomas de Cantilupo Episc. Herefordensis Canc:

1281. Henr. de Stauntõ Canc.

Procurat.

Rob. de Burgo.

Gul. de Colsul,

1282. Gul. de Mõteforti Cãc.

1284. Rogerus de Rowell, aliàs Rodwell Canc.

1288. Robertùs de Winchelsey Archidiaconus Essexiæ. postea Archiepisc. Cant. Canc.

M. Io. Heythorne Commissarius eius: commissarij nomẽ inauditum erat ante Episcopos Cancellarios.

Procurat.

Io. dè la More.

Edward. Farney.

1292. Henr. Swaine. Canc.

1306.

1306. VValter: Canc.
1311. Henr. de Mansfeild aut Maresfeild. Cancel.

Procurat.
Tho. de Abyngdon.
Rob. de Bridlington.

1312. Eustachius Normanvile. Canc.
1317. Io. Lutterell. S. Theologiæ Doctor Canc.

Hic quoq; occurrit *Simō* de Feversham Cancell.

1318. Rich. Raden quem alij Radman vocant. Canc.
1322. Henricus de Sewer quē alij Henricum de Gower vocant. Cancel.

Procurat.
Gul Shelton.
Simon Yshtele

1325. Gul de Alburwicke. Cāc Rich: de Kamshall Commissarius eius.

Proc.
Gul. de Harrington.
Tho' de Bradwardyn.

1326. Io. Northwood quem alij sub An. 1346. ponunt

Procur.
Rog. Loke.
Gul. Engest.

1327 Tho. de Hodham primus illius nominis Canc.

Procurat.
Anton. de Golsborough.
Elias Waleways.

1330. Nigellus de Ware quem alij de Wauery vocant Canc.
1331. Gul. Nottingham celebris scriptor, Canc.
1333. Rich. Radulp. Canc.

Proc.
Edward. de Wyke
Jo de Gotham.

1335 Robertus de *S*tratford, Archidiaconus Cantuar: totius Angliæ & Oxoniæ Cācellarius: quo tempore scholares Stanfordiā convolantes, revocavit: atq; ad futuram vniversitatis pacem, procuratorum alterum Australem, alterum Borealē, ac seorsim, non simul & eodem die eligendū, edixit. fuit postea Episcop. Cicestrensis
1340 Gul. de Burgeueney vel Aburgeueney Canc.
1342. Gul. de *S*kelton. Cancellarius.

Proc.
Adamus de Pothowe
Ric. de Shreuesbury.

1349. Io. Wyliot Canc: factiosè à suis electus, vtrumq;

Proc:
Thomā de Stratforde.
Rob. Ingram

eiecit. Sigillum Vniversitatis eripuit: quibus omnibus saluo.

salvò restitutis, Regia autoritate ab officio amotus est. Aulam Portionistarum qui Mertonenses alumni sunt (ut tallor) instituit.

1349 Io. Hawkesworth Cancellarius eodem anno.

1350 Ric. Fitzrauf Armachanus postea Archiepiscopus Canc.

1354 Gul. de Palmorna. Canc.

Proc.

Rog. de Ward.

Rob. Frumne.

1356 Io. de Hodun. Canc.

Proc.

Io. Middleton

Nich. de Rading.

1357. Lodovicus vel Humphredus de Cherleton. Canc,

Proc.

Io. Iosekin.

Alex. de Ferebrigge.

1358 Io. Reyham. Canc,

Proc.

Rich. Sutton.

Walt. Wansford.

1360 Nic. de Aston Canc.

Proc.

Rich. Toulesworth.

Rob. Derby.

à Cancellario aliquandiu eiecti sed postea restituti.

1367 Adam. Thouewortn vel Thornworth. Canc.

Proc.

Adam. Plumpton.

Rob. de Aylsham.

Hactenus Cancellarij Oxon à Lyncolniensi Episcopo, in magistratum confirmati sunt.

1368 Gul. Courtney. Canc. quo sedente cessauit confirmatio per Lyncolniensem.

Proc.

Rob. Aylsham

Gul. Ferby.

1370 Gul. de Remingtō Can.

Proc.

Rob. Underhill.

Petrus Elande.

1375 Gul. Wilton. Canc.

1376. Io. Turke, Canc.

Procurat.

Gulielm. Wakefeilde.

Hi sunt procuratores qui apud Tho: Walsinghamū Gregorij Vndecimi de Wiclefo capiendo bullam cum dedecore reiecerunt,

1379. Rob. Aylsham. Can.

Procurat.

Ioan. de Buritone

Rich. Foster.

1380. Gul. Berton. Canc.

1382 Robertus Rigge seu Rugge, Foxo Cōmissarius, nobis tamen ex Archivis Can-

Kkk cel-

cellarium eum fuisse constat: quo officio privatus à quibusdam fertur, ob rem malè administratam inter Australes & Boreales.

Procurat.

Io. Huntman.

Walt: Dishe.

1382 Thomas vel Nich: Brightwel Newerkię in Leycestria decanus. Canc.

1390 Thomas Craule. Canc

1392 Radolph. Rudruth, sive Rudworth Canc.

1395 Tho. Hendman. Canc. Nich. Faux. Commissar.

Procurat.

Rob. Thurbury.

Io. Roke.

1396 Henr: Harkley vel Harckla. Canc.

Procurat.

Rich. Abell.

Gul. de Barnaby.

1399 Henricus Beauford. Canc. postea Episcop. Wynton & Cardinalis.

1400 Philippus Repingdō, Leycestrēsis Abbas Canc. cuius tempore, hi occurrunt.

Procurat.

*An.*1. *Io. Foster.*

Io. Brampton.

Procurat.

2 *Io. Foster.*

2 *Tho. Rodburne.*

Gul. Stoke.

1403 Robertus Alum, vel Halam Episcopus Sarum quē Bileus Rob. Allyngton vocat. Canc.

Procurat.

*An.*1. *Rog. Whelodale.*

Thomas Lucas.

Procurat.

2 *Edm. Orsoware.*

Gul. Louchurst.

Procurat.

3 *Tho. Martin.*

Io. Castell.

Procurat.

4 *Rich. More.*

Rich. Courtney.

Procurat.

5 *Isaacus Iacob.*

Petrus Barcomb.

1408. Gulielm. Clynte, S. Theologiæ professor. Canc.

Procurat.

Rich. Collinge.

Rog. Gates.

1409 Thomas Presbury, Abbas Salopiensis. Canc.

Procurat.

Rob. Ælonde.

Rich. Baron.

1411 Rich. Courtney, Canc.

Procurat.

*An.*1. *Io. Birch.*

Benedict. Brent.

Pro-

Procurat.

2 *Gilbertus kymer.*

Gul. Symond.

1414 Ioannes Snetishã non Richardus, vt quidam recitãt Canc.

1420 Walt. Treugof. Canc.

Procurat.

Rob. Merton.

Tho. Juster.

Resignante vero VValtero Treugof, occurrit hic Cancellarius Tho. Rodburne.

1421 Gilbertus Kymer; Medicinæ Doctor. Canc.

Procurat.

An.1. Gul. Tybart.

Gul. Branoon.

Procurat.

2 *Gul. Brandon.*

Io. Hales.

1423 Ioannes Castell. Canc.

Procurat.

An.1. Io. Bedmynster.

Procurat.

2 *Io. Shireburne.*

Gul. Collinge.

1426 Thomas Chace. Canc.

Procurat.

An.1. Thomas Lysures.

Io. Arundell.

Procurat.

2 *Henr. Sewer.*

Rich. Bagthorpe.

3 *Rich. Bagthorpe.*

Io. Kinge.

Procurat.

4 *Tho. Grant.*

Tho. Eglesfeild.

1431 Gilbertus Kymer, secundò Canc.

Procurat.

Gul. Dowson.

Rog. Batkley.

1434 Thomas Bourchier. Capellæ. S. Martini Londonijs Decanus. Canc. postea Archiepisc. Cant.

D. Tho. Gascoigne. Cõmiss.

Procurat.

An.1. Michael Tregory.

Rich. Denante.

Io. Bourbach, Commiss.

Procurat.

2 *Io. Spekington.*

Rob. Multon.

Commissarij.

3 M. Gregeley.

Tho. Bounigworth.

Procurat.

3 *Gul. Crowton*

Io. Kirbie

1437 Ioan. Carpenter, Magister Domus, S. Antonij Lõdon. S. Theol. profess. Canc. Io. Gorsuch. Commissar.

Procurat.

An.1. Io. Kirbie.

Th. Kempe.

Commissarij.

2 Gul. Hautryn.
D. Smith.

Procurat

2 *Gul. Selby.*
Rob. Flemminge

1439 Io. Norton Decretorum Doctor. *Canc.* Tho. Gascoigne Commiss.

Quo eodem anno occurrit Io. Gorsuch, Cancellarius, cũ Cõmissario eius Io. Burbach: & Richardus Rotherã *Canc.*

Procurat.

Cum Gul. Oriel.
Io. Willey.

1440 Gulielm. Grey, *Canc.* quicum nescio quo pacto hi procuratores, intra vnius biennij spatium occurrunt.

Gul Leyley.
Io. Wiley.
Io. Sigden.
Rich. Neubridge.
I. Killingworth.
Gulielm. Say.

1442 Henricus Sever secũdus illius nominis, *Canc.*
Io. Gorsuch Commiss.

Procurat.

Ann. 1. Rog. Gray.
Th. Wilkington.

Io. Westekam *Commiss.*

Procurat.

2 *Gul. Francys.*
Io. Tristrop.

1443. Thom, Gascoigne, Canc.
Rich. Hall. Decretorum Doctor Commissarius.

Proc.

Tho. Chaundler.
Io. Tristrop.

1444. Rich. Praty. Episcopus Cicestrensis. Canc.

Proc.

Io. Tristrop.

1445 Quatuor Canc. nati.
Rob. Burton.
Io. Barnaby.
Gu. Westkame
Tho. Gascoigne.

Proc.

Gul. Moreton.
Tho. Copleston.

1446. Rich. Thwaits Canc. Gul. Dowson Commissarius & Cancellarius natus.

Proc.

Gul. Snarston.
Gul. Lambton

1447. Gilbertus Kymer secundò vel alius eiusdem nominis, Canc.

Commissarij *Anno.* 1.
Io Barnaby.
Gul. Dowson.

Pro-

Proc.1.
Jo.Gygur.
Gul.Bate:
Proc.2.
Jo.Baker.
Henr.Meoles
Commiss.3.
Io.Willey.
Io.Barnaby.
Gul.Dowsō
Proc.3.
Io.*Woode.*
Gul.Daniell.
quo resignãte electus est Wlstanus Browne
Commis.4.
Ric Ringsted.
Io.Becke.
Rog.Buckley
Io.Vann.
Proc.4.
Rich.Luke
Wlstanus Browne
Proc.5.
Gul.Ketill.
Tho.Balsall.
6.Tho Sanders. Commiss.
Proc.
Io Okis
Tho. Reynolds
Sed Reynoldo in pace Vniversitatis conservandi à sicarijs interfecto, substitutus est Gulielm.Mogys.
7.Rob.Thwaits Commissar,

Proc.
Io.Yonge.
Io.Seymour.
1454 Georgius Nevil, Exoniensis Episcopus. Canc. cuius Cancellariatus anno primo, hi Procuratores confusè admodum occurrunt.

Proc.
Tho.Boket.
Rob.Normã.
Rob.Bennet.
Proc.
Rich. Ashedus.
Io Crosse.
2. Tho.Saunders Comm.

Proc.
Io.Marshall.
Walt.Windesore.

Proc.
3 *Io Brother.*
Rich. Abdy.
1457 Tho.Chaundler. ex resignatione Georgij Neuill Canc.
D.Chippenham Commiss.

Proc.
Tho Woodhill.
Tho. Bensley.
An.2. M.Dauuers Commiss.

Proc.
Mart. Ioyner.
Io Molineux.

Proc.
3 *Step. Bereworth*
Tho.Lee.
4 occurrũt hi quatuor procuratores
Rob.Elyot.
Tho.Purueier
Io.Morne.
Io.Thorpe.
1461. D. Georgius Neuill Archiepiscop. Eborac.totius Angliæ ac Oxoniæ secundò Cancellarius.
Gulielm.Iue.Commiss.
Proc.
Tho.Prockter.
Rich.Dobbs.
Proc.
An.2.M.Booron.

3 D.Husbande Commiss.
Proc.
Walt.Hill.
Gul.Corke.
Commiss.
4 Io.Mulchaster
5 Tho.Smith.
Proc.
Tho.Pawnton.
Io.Paynton.
Io.Chaldbeck Commiss, quicum hi occurrunt Procuratores.
Io.Harrowe
Nic.Langton.

Cane.
Whitway.
Commiss.
6 Tho.Chandler
Tho.Hill.
Tho.Steuins
Proc.
Gul.Brew.
Tho.Beston.
commiss.
7 Tho.Chaundler.
Tho.Steuins.
Proc,
Gul Sutton,
Rich.Barnard.
Commiss.
8 Tho.Iamme,vel Ianne.
Tho.Steuins.
occurrunt hic quoq;
Proc.
Io.Harrowe.
Nich.Langton.
Proc.
9 *Rich.Mayhow.*
Georg.Strangwiche.
Proc.
10 *Nich.Good.*
Rich. Dauy.
11 occurrunt superiores.
Procur.
Gul.Brewe.
Tho.Beston.
1472. Tho.Chaundler secũdò Canc.
Proc,
Gul.

Gul. Maior
Io. Acheley.
Procurat.
2 *Rich. Fitziames.*
Io. Netleton
Procurat.
3 *Rich. Bradley.*
Richard. *Estmond*
Proc.
4 *Gul. Bethun.*
Maur. Bertram.
Procurat.
5 *Io. Bettys.*
Gul. Sowthworth
Procurat.
6 *Rog. Handeley.*
Tho. Parmeter.
Procurat.
7 *Galfredus* Symeon.
David Irelonde.
Procurat.
8 R*ob. Gorborn.*
Io. Foster.

1480 Leonardus Wydevil. Canc.

Procurat.
Nich. Halisweell
Io. Martyn.

1481 Gulielm. Dudley, Episcopus Dunelm. *C*anc.
Procurat.
1 *Io. Porter.*
Rad. Hamsterley.
Procurat.
2 *Tho. Kerner.*
Rad. Stanhop.

1483 Io. Russell. Episcopus Lyncoln. totius Angliæ & primus Oxoniæ *C*ancellarius perpetuus: ante hunc enim vel annuus vel biennalis solebat esse Magistratus: hòc quoq; sedente, iuxta antiquã Vniversitatis consuetudinẽ, procuratores simul & eodem die bini eligi cæperunt.

Procurat.
Rich. Trapp.
Gul. Croft.
Procurat.
2 *Edmund Froceter*
R*ob. Ardern.*
Procurat.
3 *Io. Hobille.*
Gul. Bokinge.
Procurat.
4 *Io. Husey.*
P. Castley.
Procurat.
5 *Gul. Hewster.*
Rob. Boorton.
Procurat.
6 *Io. North.*
Rob. Wykes.
Proc.
7 *Io. Wethers.*
Tho. Hobbys.
Procurat.

Proc.

8 *Io.Dauis*
Gul.Lambton.
Procurat.
9 *Jo.Ioliff.*
Rich.Barningham.
Procur.
10 *Anton.Fishar.*
Rob.Dale.
1493 Io.Moreton. Archiep. Cantuar. Cardin. Canc.
Proc.
Gul.Hasard.
Gul.Martyll.
Procurat.
2 *Rowland.Philipps.*
Tho.Cracontbrope.
Procurat.
3 *Tho.Drax.*
Rich.Sednore.
Commiss.
4 Tho.Harper
Gul.Atwater
Proc:
Hugo Bresy:
Io.Lethon:
1498 Gul. Smith Episcop. Lyncolni: Canc:
Occurrit hic Commissarius vel idem cum superiore, vel alius eiusdem nominis Tho. Chaundler, atq;etiam Gul. Atwater,
Proc.
Ed.Derby
Thom.Claydon.
Proc.
2 *Gobam*
Darin
Dale
Commissarij
3 Gul.Atwater
Tho.Banke.
Commissarij
4 Gul.Atwater
Simon Greene,
Proc
Hugo Hawardyn
Jo.Matson.
Rich.Fitziames, Roffensis Episc. Canc. natus illud munus aliquanto tempore gessit. & post eum Ioan. Kinton. Senior Theologus.
Commissarij
Gul.Atwater
Io.Thornton
Rob.Tehi
1504 Rich. Mayewe Episcopus Herefordensis Canc:
Commissarij
Io:Thornton
Foderby
Proc:
Laurent.Stubbs
Io:Beuerstone.
2 Hugo Saunders Commiss.
Quidam hic, Gulielmū Lyncoln: Episcopum Cancellariū collocant, sed non potest is esse nisi Gul: Atwater, qui nō fuit

fuit Episcopus ante an 1515.

Proc:

Gul.Patenson.Austr.

Io.Goolde.Bor.

Commissar.

3 Rob.Thay

D.Knighton

Hastings.

Proc.

Rich.Stokys.Austr.

Edw.Colliar.bor.

1507 Gul,Warrhamus. Archiepisc.Cant.Canc.

Commiss.

Gul.Fauntleroy.

Io.Syremens,

Procurat.

Io.Lane.austr.

Gul.Tompson.bor.

Verum Tompsono in magna vacatione extincto, electus est Hugo Pogle: quo mortuo ite, Tho.Bentley in illius locum surrogatus est.

2 Io.Averey.Rector. Coll. Lyncoln,Commmissarius.

Procur.

Rich. Carter

Ric. Rowland

M. Messēger

3 D.Mart.Lynsey.Comm.

Proc.

Tho.Eritage

Rob.Duke

4 Tho.Michael. Commiss.

Procurat.

Io.Burges.austr.

Io.Hewes.bor.

5 Tho.Drax, Commissar.

Procurat.

Gul.Brooke.austr.

Tho.Sotherne.bor.

6 Io.Cockys.Commiss.

Proc:

Rich.Symons.aust.

Tho.Pulton.bor.

Proc.

7 *M.Mede*

M.Hobson.

Proc.

8 *Leonard.Hutchinson. austr,*

Tho.Ware.bor.

9 Edw.Wilford, Commiss.

Proc.

Io.Cottsford

Gul.Fostey.

10 Laurent.Stubbs, Collegij Balliol.Magist.Commiss.

Proc.

Rich.Walker

Edm.Grey

Proc.

11 *Tho.Irish,aut*

Tho.Ienill

Tho Mosgraue

Proc.

12 *Io.Steuins*

Rog.Dingley

13 D.Dooke.Commiss.

Proc.

Ll Tho.

Tho. Alyn. austr.
Tho. Flower. bor.
14 D. Benger, Commiss.
Procurat.
Io. Booth
Georg. Crostys
15 D. Benger Commiss.
Proc.
Henr. Tindale
Io. Wilde
16 D. Benger. Commiss.
Proc.
Laur. Barker
Tho. Starkie
Procurat.
Tho. Cauner.
Rob. Crispin
17 D. Moscroff Commiss.
Proc.
Tho. Cauner
Edm. Campiō
18 D. Moscroff. Commissar.
Proc.
Edw. Leighton
Phil. Bale.
19 D. Moscroff. Commiss.
Proc.
Anton. Sutton
Io. Tuckar
20 D. Moscroff. Commiss.
Proc.
Simon Bale
Tho Byrton.
21 D. Cottesford. Commiss.
Proc.
Arth. Cole
Richard. Lorgan.
22 Comm. idē, vel D. Higdē
Proc.
Io. Bellitory Mertonensis Collegij capellanus.
Wal. Bokler, eiusdē Col. Soc.
23 Commissarius idem.
Proc.
Io Warner
Tho. Duke
24 Commissarius idē, ac ijdē quoque ex mandato Thomæ Woolsei, Arch. Eborac. Card. procuratores.
25 Commissarius idem.
Proc.
Io. Pollard
Georg. Cootys
26 Commissarius idem
Proc.
Tho. Selwoode
Gul. Pedyll
1533. Octob. 11. Ioan. Longlande Episcopus Lincol. Cāc. quo per 14. aut 15. annos sedēte, D. Treshā solus fuit Com.
Proc. 1.
Io. Pekins. Exoniens. coll.
Owen Oglethorpe. Magdal.
Proc. 2.
Dunstanus Lacy
Io. Howell. om. n. Anim.
sed Dunstano defuncto, surrogatus est ex Col. Lyncoln.
lo.

Io. Pollet
D. Hastinges Commiss.
Procurat.
3 Io. *Howell*
Jo.Pollet.
defuncto etiam Io. Howell, surrogatus est Edm. Shether:
4 hoc anno hi occurrũt procuratores.
Gul.Wetherton
Gul, Pye. Oriell.coll.
Wright
Cherleton
Procurat
5 *Hugo Weston*
Tho. Knight
Occurrit hic Canc. D. Cootys
Procurat.
6 *Rich. Arderne*
Tho. Roberts.
Proc.
7 *Io. Stoite. aust.*
Gul. Smith bor. Oriell.
Procurat.
8 *Io. Man, austr.*
Ludouicus Reinold, bor.
Proc
9 *Rog. Brummold.*
Io. Wyman
electi in prima convocatione virtute litterarum Regiarum ex cœtu non Regentium.
Proc.
10 *Io. Estwike Oriell.*
Gul. Pye

11 Procuratores ijdem.
Proc.
12 *Nic. Alambridge*
Gul. Smith
Proc,
13 *Io. Stoit.*
Simon. Parret.
Proc,
14 *Jo. Smith. Oriall.*
Simon Parret. Magdal.
1547. Maij 21. D, Coxe: Dec. Aedis Christi, ex Fundatio- Regis Henrici Octaui. *C*ancellar. quod munus sine vllo deputato solus gessit.
Procurat.
Edm. Crispin: Oriel. coll.
Hump. vel Henr. Bayly.
Procurat.
2 *Io. Redman*
Tho. Symons.
Procurat.
3 *Leonardus Lingham.*
Rich. Huges. Oriel. coll.
Procurat.
4 *Tho. Francis*
Leon. Lingham.
Procurat.
5 *Rog. Eliot.*
Tho. Freinde
1552 Io. Mason Miles, Hẽrico 8. à secretioribus consiliis, resignante Coxo, fit Cancellarius; mutatum est *Com*missarij nomen in Vicecan-

cellarium.
D. Oglethorpe. Magdalens.
Vicecanc.
Proc.
Martiall.
Rogers.
2 D. Marshall Vicecanc.
Procurat.
Tho. Spenser.
Maur. Bullocke.
3 Vicecanc. idem.
Procurat.
Christ. Hargraue
Tho. Coueney.
4 Vicecanc. idem.
Proc.
Iacob. Gervasius.
Gul. Northfolke. Oriell. Col.
Vicecanc.
5 D. Marshall.
Tho. Reinoldes.
Procur.
Henr. Wootton.
Tho. Davys.
Verũ Hẽ. Woottõ, procurat. muneris pertæsus spõte cessit, ac ei Gul. Allyn successit.
1557 Reginaldus Polus, Trilingiũ meorũ ornamẽtum ac dulce decus, Archiep. & Cardinalitiæ dignitatis apicẽ cõsecutus, Cancellarius.
D. Th. Reynoldes Vicecanc. bimestris, successorẽ accepit D. White, novi Col. Custodẽ.
Procurat.
Franc. Babington. Om. An.
Gul. Allyn. Oriel.
2 D. White Vicecanc.
Procurat.
Alanus Copus Magdal.
Walt. Bayley. Novi Coll.
1559. Ian. 24. Dom. Fitz-Allẽ Arundeliæ Comes, Canc.
D. Tresham Vicecanc.
Procurat.
Iohn Day.
Bramborough. Novi Coll.
1560. Iul. 20. Quo anno electus est secundò in Cancellarium, Do. Io. Mason. Io. Warner Medicinæ Doct. Vicec.
Procuratores iidem.
2 D Babington Vicecanc.
Proc.
Rob. Leeche, Ædis Chr.
Tho. seu Allan: Scot, Col. S. Trin.
Vicecanc.
3 D. Babington.
D. White
Procurat.
Oliuer Withington Ænei nasi
Humph. Hall Ædis Christi
4 D. White Vicecanc.
Procurat.
Rog. Marbeke. Ædis Christi
Rog. Gifford. Merton.
5 D. White Vicecanc
Proc.
Tho. Walter
Rog. Gifford.

6 D.

6 D.Kennall Vicecanc:

Procurat.

Rog. *Marbecke Ædis Christi*

Io.Watkins Omn: Anim.

1565 Dom. Robertus Leycestriæ Comes Canc.

D.Kennall Ædis Christi Vicecanc.

Proc.

Tho. Garbrande Magd.

Io. Merricke noui Coll.

2 D.Kennall. Vicecanc.

Proc.

Gul Leech Æneanas.

Gul.Stocker.S.Ioannis.

3 D.Cooper Vicecanc.

Proc.

Adam.Squier Balliolens.

H.Bust. Magdal.

4 D.Cooper Vicecancell.

Proc.

Ja. Charnoke Æneinasi.

Edmund.Campion Ioannens.

5.D.Cooper Vicecanc.

Proc.

Io.Bereblocke,coll.Exon.

Tho.Bodley Merton.

6 D.Cooper Vicecancel.

Procur.

Arth.Atie Merton.

Tho.Glasier Ædis Christi:

7 D.Humphrey Vicecanc,

Proc.

Anton.Blencow. Oriel.

Edw.Fleetwood Merton

8 Vicecanc.idem, ijdemq; procuratores.

9 Vicecanc.idem

Procurat.

Io.Tatam.Merton.

Edm. Lilie. Magd.

10 Vicecanc.idem

Proc.

Io.Bust.Aedis Christi

Rich.Barret Oriel:

11 Vicecanc.idem.

Procura.

Io.Underhill Coll.Noui.

Henr .Sauill Merton.

12.D.Herbertus Westfalinge Vicecanc:per litteras Canc. à Comitijs nominatus, quod & hodiè in vsu positum est & Io.Mason Cancellarius, hoc idem(sed infæliciter) antea tentauit.Procuratores ijdem: hi enim licet ante Vicecācellarium eligantur,tamen de vtroq; anno participant.

13 D.Gul.Cole col.Corporis Christi Præsidens Viceca.

Procurat.

Io.Glouer Aedis Chr.

Tho.Dotchin.Magdal

14 D.Martin:Colepepper noui Col. custos Vicecanc.

Procurat.

Rad.Smith.Magdal.

Clemens Colmer Aeneanas.

15 Tobias Mathewe, Decanus

Procurat.
nus Aedis Christi, Vicecanc.
Gul. Souch Aed: Chr.
Isacke Vpton Magd.
16. Arth. Yelder Col. S. Trinitatis Præses. Vicecanc:
Procurat.
Rob. Crane Balliol.
Tho. Stone. Aedis Christi:
17 Gul, Iames Aedis Christi Decanus Vicecanc.
Procurat.
Rob Crane
Rich. Madoxe. Omn. Anim.
18 Do. Rob. Houenden. Col. Omnium Animarum fideliũ defunctorum Custos Vicec.
Proc.
Rob. Cooke Aeneanas.
Io. Browne Aedis Christi
19 D: Tho. Thorneton Aed. Christi Canonicus. Vicecanc.
Proc.
Tho, Leyson, coll. Noui
Rich. Eedes. Aedis Christi.
20 D. Io. Vnderhill: Collegij Lyncoln. Rector. Vicecanc,
Procurat.
Tho. Smith.
Nich. Mercer Exoniens.
21. D. Edmundns Lilye, Coll. Balliol. Magister.
Procurat.
Tho. Shingleton. Aeneanas.
Io, Bennet Aedis Chr.
22. D. Daniel Bernard. Vicecanc.
Procurat.
Gul. Watkinson, Aedis Chr.
Aegidius Tomson, Omn. anim.
23. D. Franc. Willys, Colleg. S. Ioannis Præses, Vicecanc.
Procurat.
Georg. Dale.
Io. Harmer Coll. Novi.
24. D. Martin Heton. Aedis Chr. canonicus; Vicecanc.
Procurat.
Tho. Ravis, Aedis Chr.
Math. Gwyn, Ioannens.
1589. Sept. 2. Dom. Christopherus Hatton Magni sigilli Angliæ Custos. Canc.
D. Nich: Bonde. Coll. Magdal, Præsidens. Vicecanc.
Procurat,
Io. Harding. Magdal.
Io. Kinge, Ædis Chr.
2. D. Gul. Iames, Ædis Chr. Decanus. Vicecanc.
Procurat.
Iaspar Colmer. Merton.
Io. Eveleigh. Exon.
3. Idem Vicecanc.
Procurat.
Rich. Braunch Aedis Chr.
Io. Lhuyd. Coll. Novi.
1592. Dec. 17. Dom. Thomas de siccâ villâ seu Sackuyll, Baro de Buckhurst, Comes Dorce-

cetensis, summus totius Angliæ Thesaurarius, illustrissimus Heros, Cancellarius.

D. Nich. Bonde. Vicecanc.

Procurat.

Tho. Savill. Merton.

Rodolph. Winwoode Magdal.

2. D. Edm. Lilye. Vicecanc.

Procurat.

Gul. Abrye. Aedis Chr.

Rich. Latewarr. Ioannens.

3. Vicecanc: idem.

Henr foster Aeneanas.

Hen: Cuffe Merton

4 Vicecanc. idem

Procurat.

Rob. Tinley Magdal.

Gul. Prichard. *Aedis Chr.*

5. D. Tho. Ravis Aedis Chr. Decanus. Vicecanc.

Procurat.

Abel Gower. Oriall.

Rowland Searchfeild Ioannens.

6. Vicecanc: idem.

Procurat.

Io. Parkhurst. *Magdal.*

Rich. Trafforde Merton.

7. D. Tho. Shingleton. Collegij Aeneanas, principalis. Vicecanc.

Procurat.

Edward. Gee. Aeneanas.

Hen. Bellingham. Coll. Novi.

8. D. Tho. Thorneton, Aedis Chr. Canonicus. Vicecanc.

Procurat.

Gul. Osborne. Omn. Anim.

Franc. Sydney. Aedis Christ.

9. D. Georgius Abbot, Colleg. Vniversitatis Magister. Vicec.

Procurat.

Nich. Langford. Aedis Chr.

Lau. Humphrey. Magdal.

10. D. Georgius Ryues, Novi Collegij custos. Vicecanc.

Procurat.

Georg. Benson, Reginens.

Ger. Massie. Aeneanas.

11. D. Io. Howson, Aedis Chr. Canonicus, Vicecanc.

Procurat.

Dan. Pury. *Magdal.*

Wal. Bennet. Novi Coll.

12. D. Georgius Abbot, Vicec.

Procurat.

Christoph. Dale, Merton.

Gul. Laud. Ioannens.

13. D. Io. Williams, Colleg. Iesu Principalis, Vicecanc.

Procurat.

Gul. Ballow. Aedis Chr.

Georg. Dorrell Omn. Anim.

14. D. Georg. Abbott. Vicec.

Procurat.

Rich. Fitz Harbert, Coll. Novi.

Io. Hanmer, Omn. Anim.

15. Henr. Ayry, Collegij Reginensis Præpositus, Vicec.

Procurat.

Si-

Simon Baskervyll, Exon.
Gul. Mabb. Magdal.
16. D. Ioannes Kinge, Aedis Chr. Decanus, Vicecanc.

Procurat.

Nath. Brent, Merton.
Io. Tolson, Oriel.

1608. Reverendissimus in Christo pater, & de Ecclesia nostra & Oxoniensibus preclarè meritus, vir doctissimus Richardus divina providentia, Dom. Archiepiscopus Cātuariensis, totius Angliæ Primas & Regiæ Maiestati à secretioribus consilijs, conspirātissimo omnium Oxoniensiū consensu, summus Academiæ Oxon. Cancellarius electus est. Aprilis 22.

Senescalli Vniversitatis Oxon.

Senescalli officium in Acad. Oxoniensi, Hēricus Quartus instituit. Anno regni, 7. h. e. Ann. Dom. 1403.

Io. Norrys, Miles, primus omnium Senescallus.
Reginaldus Bray, Miles.
Rich. Wydeuill.
Edmundus Hambden.
Tho. Lovell.
Tho. More.
Ioannes Dom. Russell; Comes Bedfordiæ.

1555. 30. Martij, in locum Comitis Bedfordiæ nuper demortui, electus est in senescallum Henricus Comes Arundeliæ.

Baro de Lumley, Henrico Arundeliæ comite socero resignante quia fuit electus Cancellarius, fit Senescallus.

FINIS.

